
EITSBIBLIOTHEEK GENT
00000022743

FRANC. PETRARCHAE PHILOSOPHI, ORATORIS ET POETÆ CLARISSIMI

Epistolarum	Familiarium	libri XIV.
	Variarum	lib. I.
	Sine titulo	lib. I.
	Ad quosdam ex veteribus illustriores li. I.	

Opus non paucis mendis repurgatum & multis Epistolis auctum ex vetusto codice bibliotheca I. CHALASII I. C. *quæ vt à cæteris dignosci possint ex Epistola ad lectorem præfixa intelligetur.*



LVGDVNI
Apud Samuelem Crispinum.
M. DCI.



TYPOGRAPHVS Lectori S.

QVum De literis & literatis optimè meritus Ioannes Chalasius Nemausensis, vir doctissimus & iuris ciuilis peritissimus, nobis communicasset manuscriptum exemplar epistolarum Fran. Petrarchæ, illúdque cum eiusdem Operibus Basileæ semel & iterum excusis diligenter contulissemus, tandẽ exemplar nostrum vidimus abundare LXV. epistolis quæ nondum in lucem exierunt. Præterea, ex eodem multos aliarum epistolarum editarũ errores deprehendimus. Quapropter nouam hanc editionem adornare visum est epistolis illis nouis ac nota ¶ in elencho designatis, aliis autẽ ad nostrum exemplar emẽdatis, auctam. Tu laboribus nostris, qui te non modò doctiorem, sed & virtutis amãtiorẽm reddere possunt, faue, & vale. Ex typographia nostra, Calend. Decembris. 1601.

FRAN. PETRARCHAE EPISTOLARVM ELENCHVS.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

obitum

LIBER QVINTVS

LIBER SEXTVS.

LIBER SEPTIMVS.

12 Amici

LIBER OCTAVVS.

LIBER NONVS.

LIBER DECIMVS.

LIBER VNDECIMVS.

LIBER DVODECIMVS.

que

cum.

LIBER EPISTOLARVM

SINE TITVLO.

AD VETERES ILLVSTRES VIROS.

FRAN.




FRANCISCI PETRARCHÆ V.C.

In Epistolas familiarium rerum

AD SOCRATEM SVVM,

PRÆFATIO.



VID verò nunc agimus frater? ecce iam ferè omnia tentauimus, & nusquam requies, quando illam exspectamus? Vbi eàm quærimus? Tempora (vt aiunt) inter digitos effluxerunt, spes nostræ veteres cum amicis sepultæ sunt. M. CCC. XLVIII. annus est qui nos solos atque inopes fecit. Neque enim ea nobis abstulit, quæ Indo, aut Caspio, Carpathióve mari restaurari queãt: irreparabiles sunt vltimæ iacturæ, & quodcunque mors intulit, immedicabile vulnus est. Vnum est solamen, sequemur & ipsi quos præmisimus, quæ quidem expectatio, quàm breuis futura sit, nescio: hoc scio, quod longa esse non potest, quantulacunque sanè est, non potest esse non molesta. Sed à querelis saltem in principio temperandum est. Tibi frater quænam tui cu-

ta sit, quid de teipso cogites ignoro, ego iam sarcinulas compono &(quod migraturi solent) quid mecum deferã, quid inter amicos partiar, quid ignibus mãdem circumspicio, nihil enim venale mihi est: sum sanè ditior (seu verius) impeditior quàm putabam, multa mihi scriptorum diuersi generis suppellex domi est, sparsa quidem & neglecta, perquisiui situ iam squallẽtes arculas, & scripturas carie semesas puluerulẽtas explicui, importunus mihi mus nocuit, atq; edacissimũ tineæ vulgus, & Palladias res agẽtẽ inimica Palladis turbauit aranea. Sed nihil est quod nõ frãgat durus & iugis labor. Confusis itaq; circumuẽtus literarum cumulis, & informi papyro obsitus, primùm quidem cœpi impetu cuncta flammis exurere, & laborem inglorium vitare: deinde (vt cogitationes è cogitationibus erumpunt) & quid (inquam) prohibet velut è specula fessum longo itinere viatorem in terga respicere, & gradatim adolescentiæ tuæ curas metientem recognoscere? Vicit hæc sententia: Sicut enim non magnificus, sic non inamœnus labor visus est: Quid, quo tempore cogitassem, recordari, sed temerè congesta, nullo ordine versanti, mirum dictu, quàm discolor, & quàm turbida rerum facies occurrerit vt quędam non tàm specie illorum, quàm intellectus mei acie mutata vix ipse cognoscerem, alia verò sine voluptate quadam retroacti temporis memoriam excitarent, & erat pars soluto gressu libera, pars frenis Homericis astricta (quoniam Isocratis habenis rarò vtimur) pars autem mulcendis vulgi auribus intenta, suis & ipsa legibus

vtebatur, quod genus apud Siculos (vt fama est) nõ multis ante seculis renatum, breui per omnem Italiam ac longiùs manauit. Apud Græcorum olim ac Latinorum vetustissimos celebratum, siquidem & Romanos vulgares rythmico tantùm carmine vti solitos accepimus. Hæc itaque, variarum rerum tanta colluuies, aliquot me diebus occupatum habuit, & licet dulcedine non parua, atque amore ad proprias inuentiones insito retraherer: vicit tamen charitas maiorum operum, quæ iam diutius interrupta, non sine expectatione multorum de manibus meis pendent, vicit recordatio vitæ breuis, timui (fateor) insidias. Quid enim, quæso, fugacius vita est? Quid morte sequacius? Subiit animum quæ iecissem fundamenta, quid mihi laborum, vigiliarúmque restaret, temeritas (imò verò insania) visa est, in tam breui, & incerto tempore, tot longos, certósque labores amplecti, & vix ad singula suffecturum ingenium, in diuersa distrahere, præsertim cum (vt nosti) labor alius me maneat, tantò præclarior, quantò plus solidæ laudis est in auctoribus, quàm in verbis. Quid multa? Incredibilem fortè rem audies, veram tamen, mille vel eo amplius, seu omnis generis sparsa poemata, seu familiares epistolas, non quia nihil in eis placuisset, sed quia plus negotij, quàm voluptatis inerat, Vulcano corrigendas tradidi, non sine suspirio quidem: Quid enim mollitiem fateri pudeat? sed occupato animo, quamuis acri remedio succurrendum erat, & tanquam in alto prægrauata nauis

releuanda pretiosarum etiam iactu rerum. Cæterùm illis ardentibus, pauca quidem animaduerti in angulo iacentia, quæ vel casu magis quàm consilio seruata, vel pridem à familiaribus transcripta, cuncta vincenti senio restiterant. Pauca dixi, vereor ne lectori multa, scriptori autem longè nimia videantur. His ego indulgentior fui, viuere passus sum, non illorum dignitati, sed labori meo consulens, nihil enim negotij præferebant. Ea verò duorum amicorum libranti ingenia, hac lance partiri visum est, vt prosa tibi, carmen Barbato nostro cederet, sic enim & vos olim optare solitos, & me pollicitum esse memineram. Itaque cuncta passim occursantia, vno impetu vastanti, & ne his quidem vt tunc erat animus parsuro, vestrum alter ad læuam, alter ad dexteram adesse visus, & apprehensa manu, ne fidem meam & spes vestras vno igne consumerem, familiariter admonere. Hæc illis euadendi præcipua causa fuit, alioquin (crede mihi) cum reliquis arsisset. Hæc ergo, quæ nunc tibi de virili reliquarum illarum parte obueniunt, qualiacũque sunt, non solum æquo, verùm etiam auido animo perleges. Non audeo illud Apuleij Madaurensis in commune iactare, Lector intende, lætaberis. Vnde enim mihi id fiduciæ? vt lectori delectationem lætitiám-ve pollicear, leges tamen ista, Mi Socrates, & vt es amãtissimus tuorum, fortasse lætabere, cuiusque animum probas, delectaberis stylo. Quid enim refert quanta sit forma, non nisi amantis subitura iudicium? Super-

uacuo

nacuo comitetur, quæ iam placet, si quid hic sanè meum placet, non id meum fateor, sed tuum, hoc est, non ingenij mei, sed amicitię tuę laus est. Nulla hîc equidem magna vis dicendi, quippe quæ nec mihi adest, & quam si planè afforet, stylus iste non recipit, vt quam nec Cicero ipse, in ea facultate præstantissimus, Epistolis suis inseruit, certè nec libris, in quibus est æquabile quoddam (vt ipse ait) & temperatum orationis genus. Eximiam illam vim, lucidúmque, & rapidum, & exundans flumen eloquentiæ, in orationibus suis exercuit. Quo genere, pro amicis sæpe aduersus Rempub. suósque hostes vsus est Cicero, quo pro aliis sæpe, pro se quater & quadragies Cato, quod quidem genus inexpertum mihi est. Nam & à Reipub. muneribus absui, & fama mea, tenuit murmure forsan interdum, & sibilis lacessita clandestinis, nullum hactenus, quod vlciscerer, vel vitarem, iudiciarium vulnus excepit, & verbalem ferre opem alienis vulneribus, non est nostrę professionis. Neque enim, aut tribunal ambire, aut locare linguam didici, aduersante penitus & reluctante natura, quæ me silentij, ac solitudinis amatorem fecit, fori hostem, pecuniæ contemptorem. Sed bene habet, quando me eius rei non egentem fecit, cuius fortè inopē si fecisset egerem. Omissa igitur illa oratoria dicendi vi, qua nec egeo, nec abundo, & quam si exuberet, vbi exerceam non habeo. Hoc mediocre, domesticum & familiare dicendi genus, Amice, leges, vt reliqua, & boni consules, his quibus in

communi sermone vtimur, raptum, accommodatúmque sententiis: sed non omnes tales iudices habeo, neque enim aut idem omnes sentiunt, aut similiter amant omnes. Quomodo autem omnibus placerem; cui placere paucis semper studium fuit? Triplex est profectò, veri iudicij venenum, Amor, Odium, Inuidia: Illud autem vide ne nimium nos amando vulgare coëgeris, quæ melius latuissent. Vt enim tibi amor, sic aliis fortè aliud officiet. Inter amoris autem & inuidiæ cæcitatem, causa quidem plurimum, effectu nihil interest. Odium quod medio loco numerauerám, nec mereor certè, nec metuo, sed fieri potest, vt nugas meas tibi habere, tibi legere, nihílque in eis aliud, quàm nostros, ac nostrorum casus meminisse cogites, in quo rem mihi pergratam feceris. Sic enim & petitio tua non neglecta videbitur, & fama mea tua erit, alioquin nihil superuacuo nosmetipsos fauore decipimus, quonam modo amicum, licet nisi sit idem, alter ego, lecturum hæc sine fastidio arbitremur? Diuersa inuicem & aduersa, in quibus non idem stylus, non vna scribentis intentio, quippe cum pro varietate rerum variè affectus animus illa dictauerit, raro quidem lætus, mœstus sæpe. Epicurus Philosophus vulgò infamis, sed maiorum iudicio magnus, epistolas suas duobus, aut tribus inscripsit, Idomeneo, Polyeno, & Metrodoro. Totidem pene suas Cicero, Bruto, Attico & Ciceronibus suis, fratri scilicet ac filio. Seneca perpaucas, præterquam Lucilio suo scribit. Promptum opus, & fœlicissimi

ſimi ſucceſſus, noſſe collocutoris ſui animum, vnius aſſueuiſſe ingenio. Scire quid illum audire iuuet, quid te loqui deceat. Mihi autem ſors longè alia, nempe cuiuſque ad hoc tempus vita pene omnis in peregrinatione tranſacta eſt, Vlyſſeos errores erroribus meis confert. Profectò ſi nominis & rerum claritas vna foret, nec diutius errauit ille, nec latius. Ille patrios fines iam ſenior exceſsit, cum nihil nulla ætate longum ſit, omnia ſunt in ſenectute breuiſsima. Ego in exilio genitus, in exilio natus ſum, tanto matris labore, tantóque diſcrimine, vt non obſtetricum modò, ſed medicorum iudicio diu exanimis haberetur. Ita periclitari cœpi, antequã naſcerer, & ad ipſum vitæ limen auſpicio mortis acceſsi! Meminit haud ignobilis Italiæ ciuitas Aretium, quò pulſus patria Pater magna cum bonorum acie confugerat. Inde menſe ſeptimo ſublatus ſum, totáque Tuſcia circumlatus, præualidi cuiuſdam adoleſcentis dextera, qui (quando iuuat laborum, diſcriminúmque meorum tecum primitias recordari) linteo obuolutum, nec aliter, quàm Methabus Camillam, nodoſo de ſtipite pendentem, ne contactu tenerum corpus offẽderet, geſtabat. Is in tranſitu Arni fluminis lapſu equi effuſus, dum onus ſibi creditum ſeruare nititur, violento gurgite propere ipſe periit. Finis Tuſci erroris Piſæ. Vnde rurſus ætatis anno ſeptimo dimiſſus, ac maritimo itinere tranſuectus in Gallias, hybernis Aquilonibus, haud procul Maſsilia naufragium paſſus, parum abfuit, quin ab ipſo rurſus nouæ

vitæ vestibulo reuocarer, sed quò rapior, oblitus propositi? Inde nimirum vsque ad hanc ætatem, àut nulla prorsus, aut rarissima subsistendi, respirandíque facultas fuit, & quot inter errandum periculorum-ve species pertulerim, præter me vnum nemo te melius nouit. quæ idcirco memorare nunc libuit, vt memineris me inter pericula natum, inter pericula senuisse (si modò iam senui) & non grauiora mihi in senio reseruātur. Hæc autem, & si communia sint omnibus intrantibus in hanc vitam (neque enim militia solùm, sed pugna est vita hominis super terram) sunt tamen alia alij, & longè diuersum pugnæ genus, & quamuis quemque sua prægrauent, tamen reuera, inter eās quibus premimur sarcinas, multum refert. In his ergo vitæ tempestatibus (vt ad rem redeam) nullo portu anchoram longum in tempus iaciens, quot veros amicos nescio (quorum & iudicium anceps, & penuria ingens est) notos autem innumerabiles quæsiui. Multis itaque, multúmque animo, & conditione distantibus, scribere contigit tam variè, vt ea nunc relegens, interdum pugnantia locutus ipse mihi videar: quod propemodum coactum me fecisse fatebitur, quisquis in se simile aliquid expertus est. Prima quidem scribentis cura est, cui scribat attendere: vnâ enim, & quid, & qualiter, cæterásque circumstantias intelliget. Aliter virum fortem, aliter ignauum decet alloqui; aliter iuuenem inexpertum, aliter vitæ muneribus functum senem; aliter prosperitate tumidum, aliter aduer-

ſitate contractum; aliter denique ſtudioſum, literiſque & ingenio clarum, aliter verò non intellecturum ſiquid altius loquaris. Infinitæ ſunt varietates hominum, nec maior mentium ſimilitudo, quàm frōtium, & ſicut non diuerſorum modò, ſed vnius ſtomachum, non idem cibus omni tempore delectat, ſic idem animus non vno ſemper nutriendus ſtylo eſt, vt geminus ſit labor, cogitare quiſnam ille ſit, cui ſcribere propoſitum eſt, qualitér-ve tunc affectus, cum ea quæ ſcribere inſtituis, lecturus eſt. Quibus ego difficultatibus multum à meipſo differre compulſus ſum. Quod ne mihi ab iniquis iudicibus vitio verteretur, partim beneficio ignis obtinui, partim tu mihi præſtiteris, ſi clanculum, ſuppreſſóque nomine iſta poſſederis: quæ ſi inter paucos ſuperſtites amicos òccultare nō potes (quoniam lynceos oculos habes, amicorum viſui imperuium eſt) admone, vt ſiquid horum apud eos ſubſtiterit, quamprimùm abiiciant, ne qua in eis rerum, aut verborum mutatione turbentur: ita enim accidit, vt qui hæc in vnam congeriem redigi, nunquam aut tibi, vt peteres, aut mihi vt aſſentirer, vēturum in animum ſuſpicabar, laborem fugiens, paſsim in vna dictum in epiſtola, in altera repeterem, meiſq; (vt ait Terentius) pro meis vterer. Nouiſsimè cum multis annis edita, & ad diuerſas mundi plagas ire iuſſa, vnum in tēpus, locúmque conueniſſent, facilè deformitas vniti corporis apparuit, quæ per membra tegebatur, & verbum quòd ſemel in vna Epiſtola poſitum delecta-

bat, in toto opere sæpius repetitum, fastidio esse cœpit. Vni itaque relinquendum, de reliquis eradendum fuit. Multa quoque de familiaribus curis, tunc fortè dum scriberentur, cognitu non indigna, nunc quamuis cupido lectori, grauia detraxi, memor in hoc irrisum à Seneca Ciceronem, quanquam in his Epistolis, magna ex parte Ciceronis, potius quam Senecæ morem sequar: Seneca enim quicquid mortalitatis in omnibus ferè libris suis erat, in epistolis congessit, Cicero autem philosophica in libris agit, familiaria & res nouas, ac varios illius sæculi rumores, in Epistolis includit. De quibus quid Seneca sentiat, ipse viderit mihi (fateor) peramœna lectio est, relaxat enim ab intentione illa rerum difficilium, quæ perpetua quidem, frangit animum, intermissa delectat. Nam Sidonij temeritatem admirari vix sufficio, nisi forte temerarius ipse sim, qui temerarium illum dicam, dum sales eius, seu tarditatis meæ, seu illius styli obice, seu fortassis (nam vnumquodque possibile est) scripturæ vitio non satis intelligo, vnum vtique, non me fugit irrisum, & à Sidonio Ciceronem. O libertas, ne si dicã audacia, quos temeritatis nomen offendit, exasperem! Inuentum esse hominem Latinum, qui non dico aliquid, vt (& Senecam, & iam hinc meipsum excusem, vix est enim humanum) omni reprehensione caruisse, sed eloquentiam, aut stylum, aut omnino dicendi genus Ciceronis irrideat, atque hoc Sidonius ausus est? Aluernus orator, nõ Latiosè fingere, fratrem vt ait ille (quod ipsum

satis

ſatis erat audaciæ)ſed æmulum,& (quod eſt grauius)irriſorem, atque illi detrahere, cui omnes deferunt, præter paucos illius coëtaneos,ac cõuiuas, quos præſentium comes haud dubiè torſit, & in voces compulit inuidia, quam nec Sidonio cauſam locus,nec tempus indulſerat,quo magis,magiſque animum viri miror. Vt contra indubitatum eloquentiæ Principem,eloquentiæ ſtudioſus inſurgeret, alio ſeculo atque alio natus orbe: & ſanè cuncta verſanti, nihil occurrit, quò vel docti hominis ignorantiam accuſare poſsim, vel iniuriã excuſare, nihílque quod ſuſpicer, peruerſitatem fuiſſe iudicij, non naturæ:falli tamen in hoc poſſum(vt in multis)in eo certè non fallor,vel ſi fallor,cum multis,longéque clariſsimis falli iuuat,quod ſolutæ facundię principatus,contradictoribus latè victis, vnius Ciceronis eſt proprius, quo luce clarior fit, vel morum, vel intellectus obliquitas contrarium aſſerentis. Ille tamen adducit, neſcio quem Iulium Titianum, & neſcio quos Frontonianos, ſuæ irriſionis auctores, quibus ego, ſimúlque omnibus idem ſentientibus, vna voce reſpondeo hoc ſolum, ſicut equidem verùm eſt illud Senecæ, quoniam quicquid habet Romana facundia,quod inſolenti Græcię aut opponat,aut præferat,circa Ciceronem effloruit. Verúmque illud Quintiliani, vbi inter multa, & glorioſa præconia viri huius, dono quodam prouidentiæ gentium dicit:in quo totas virtutes ſuas eloquẽtia experiretur. Et poſt multa,quibus hoc probat. Quare(inquit) non immerito ab omni-

bus ætatis suæ regnare in iudiciis dictus est, apud posteros verò id consecutus, vt Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiæ habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis exemplum sit. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Sicut hæc (inquam) vera sunt, sic illud quoque verissimum, quibus displiceat Ciceronis oratio, vel non nosse veram perfectámque facundiam, vel odisse. Hãc ergo calumniam indiscussam transire non potui, quanquam valde festinem: ad rem redeo. Multa igitur hic familiariter ad amicos, inter quos & ad teipsum scripta comperies, nũc de publicis, priuatísque negotiis, nunc de doloribus nostris, quæ nimis crebra materia est, aut aliis de rebus quas casus obuias facit, nihil quasi aliud egi, nisi vt animi mei status, vel si quid aliud nossem, notum fieret amicis. Probatur enim mihi, quod prima ad fratrem epistola Cicero idem ait, esse Epistolæ proprium, vt is ad quem scribitur, de his rebus, quas ignorat, certior fiat. Atque ea mihi tituli fuit occasio, de quo aliquãdo cogitanti, quãuis epistolarum nomen consentaneum rebus esset, quia tamen & multi veterum eo vsi erant, & ipse ego varium carmen ad amicos, de quo paulò suprà mentio incidit, eodem prænotabam: his eo vti piguit, nouúmque ideo placuit nomen, vt familiarium rerum liber diceretur. In quo pauca scilicet admodum exquisitè, multa familiariter, déque rebus familiaribus scripta erant. Et si interdum exigẽte materia, & simplex, & inelaborata narratio, quibusdam interiectis

mora-

moralibus,quod & ab ipso Cicerone seruatum est. Et hæc tam multa quidem, de tam parua re loqui censorum præmordacium iubet metus, qui nihil scribentes quod indicari queat de aliorum iudicant ingeniis. Impudentissimas temeritas,quæ solo silentio tuta est! Complosis in littore manibus sedenti facile est ferre,quam velit de gubernatoris arte sententiam, aduersus hanc proteruiam latebris, saltem tuis horridula hæc atque improuidè nobis elapsa defendito: illam verò non Phidiæ Mineruam (vt ait Cicero)sed qualemcunque animi mei effigiem, atque ingenij simulachrum multo mihi studio dedolatum,si vnquam supremam illi manũ imposuero, cum ad te venerit, sęcurè qualibet in arce constituito. Hæc hactenus. Illud libentius si liceret silentio tegerem, sed ingens morbus, nõ facilè occultatur: erũpit enim & indicio suo proditur pudet vitæ in mollitiẽ dilapsæ. Ecce enim (quod epistolarum ordo ipse testabitur) primo mihi tẽpore sermo fortis ac sobrius,bene valẽtis animi fuerat, adeò vt non solum me, sed sæpe alios consolarer, frequentia indies fragiliora atque humiliora sũt,neque sat virilibus referta querimoniis. Illa præcipuè, vt occultare studeas precor. Quid enim alij dicent, cùm ipse relegens erubescam? Ergo ego in adolescentia vir fui,vt in senectute puer essem? Infœlix& execranda peruersitas fuit,animum vel mutare ordinem, vel subtrahere tibi penitus ista, quæ damno neutro circumuenire posse visus eras, qui & flebilium exempla, & omniũ cum Con-

ſuæ diem tenes: ad excuſationum igitur arma cõfugio, laſſauit me longo & graui prælio, dum ſpiritus, dúmque animus fuit, ipſe reſtiti & ad reſiſtendum alios cohortatus ſum, vbi hoſtis viribus atque impetu, labare mihi pes, atque animus cœpit: excidit confeſtim ſermo ille magnificus, & ad hæc, quæ modò diſplicẽt, lamenta deſcendi: qua in re excuſet me forſitan amicorum pietas, quibus ſaluis, ad nullum fortunæ vulnus ingemui, eiſdem mox vna pene omnibus ruina obrutis, & mundo inſuper moriente, inhumani potius, quàm fortis viſum eſt non moueri. Ante hoc tempus quis me vnquam de exilio, de morbo, de iudicio, de comitiis, de vllis fori turbinibus, quis me de paterna domo, de fortunis perditis, de gloria imminuta, de pecunia dilata, de abſentia amicorum flebiliter agentem audiuit? quibus quidem in moleſtiis, tam molliter agit Cicero, vt quantum ſtylo delector, tantũ ſæpè ſententia offendar. Adde litigiolas epiſtolas, & aduerſus clariſsimos, atque ab eodẽ paulo ante laudatiſsimos viros iurgia, ac probra mira, cũ animi leuitate, quibus legẽdis delinitus pariter & offenſus, temperare mihi non potui, quo minus ira dictante, ſibi tãquam coëtaneo amico, familiaritate, quæ mihi cum illius ingenio eſt, quaſi temporum oblitus ſcriberem, & quibus in eo dictis offenderer, admonerem, quæ mihi cogitatio principium fuit, & vt Senecæ tragœdiam, quæ inſcribitur Octauia, poſt annos relegens, parili impetu eidem, & quoque, ac deinde varia occurrente materia,

Varro-

Varroni, Virgilióque atque aliis scriberem, è quibus aliquas in extrema parte huius operis inserui. Quæ nisi præmonitum lectorem, subita possent admiratione perfundere, quædã iri illo publico incendio periére. Qualis ille vir tantus in doloribus suis fuit, talis ego in meis fueram, hodie (vt scias) præsentem animi mei habitum, neque enim inuidiosũ fuerit, id mihi tribuere quod imperitis euenire (ait Seneca) Factus sum ex ipsa desperatione securior, quid enim metuat, quæ totiens cum morte luctatus sit?

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Animosius indies agere videbis, animosius loqui, & si quid fortè stylo dignum se obtulerit, erit stylus ipse neruosior, multa sanè se offerẽt: Scribendi enim mihi, viuendíque vnus (vt auguror) finis erit. Sed cum cætera suos fines aut habeant, aut sperent, huius operis quod sparsim sub primum adolescentiæ tempus incœptum, iam ætate prouectior recolligo, & in libri formam redigo, nullum finem amicorum charitas spondet, quibus asiduè respondere compellor, neque me vnquã hoc tributo, multiplex occupationum excusatio liberat, tum demum & mihi immunitatem huius muneris quæsitã, & huic operi positum finem scito, cum me defunctum & cunctis vitæ laboribus absolutum noueris, interim iter incœptum, sequar, non prius viæ, quàm lucis exitum operiens, & quietis mihi loco fuerit dulcis labor. Ceterum (quod & rhetores, & bellorum duces solent) infirmioribus in medium cõiectis, dabo operam, vt sicut prima

libri frons, sic extrema acies, virilibus sẽtentiis firma sit. Vel eò amplius, quò viuendo magis ac magis induxisse videor contra impetus atque iniurias fortunæ. Denique quis inter experimẽta rerum sim futurus, profiteri minimè ausim; sed hoc animo sum, vt nulli amplius rei succumbam,

Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Ita me Maronis, Flaccíque sententiis armatum scito, quas olim lectas, & sæpe laudatas, nunc tandem in extremis casibus meas facere ipsa ineuitabilis fati necessitate didici. Dulce mihi colloquium tecum fuit, cupidéque, & quasi de industria protractum. Vultum enim tuum retulit, per tot terras, & maria, téque mihi præsentem fecit, vsque ad vesperam, cum matutino tempore calamum cœpissem. diei iam, & epistolæ finis adest. Hæc igitur tibi frater, diuersis coloribus (vt sic dicam) liciis texta dicauerim. Cæterùm si stabilis sedes, & frustrà sẽper quæsitum otium contigerit (quod iam hinc ostendere se incipit) nobiliorem, & certè vniformem telam, tuo nomine meditor ordiri. Vellem ex his paucis esse, qui famam promittere possunt & præstare, sed ipse vi propria in lucem venies, alis ingenij subuectus, nihilque auxilij mei egens, profectò tamen, si inter tot difficultates assurgere potuero, tu olim Idomeneus, tu Atticus, tu Lucilius meus eris. Vale.

FRAN-



FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. EPISTOLARVM DE REBVS FAmiliaribus,

LIBER PRIMVS.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. I.

Famam ante mortem non esse appetendam.



VAERELAM publicam nemo sapiens suam facit. Satis quisque priuatarum quærelarum domi habet, Satis dixi, Nimis dicere debueram, nullí-ne hoc vnquam accidisse reris? falleris. Nulli verò contrarium accidit, vix superstite qui fecerat, cuiusquam scripta, vel gesta placuerunt. Laudes hominum mors inchoat. Scis quare? quia cum corpore moritur inuidia, viuítque cum corpore. Multorum, inquis, scripta laudantur, quæ si gloriari licet, non pergis vlterius, sed (qui indignantibus mos est) suspensum linquens auditoris animum, sermone præteruolas inexpleto. Verum enimuerò fugientem consequor mentis augurio, scio quid velis. Multorum scripta laudantur, quæ tuis admota, carere non tantum laudatore, sed etiam lectore debuissent, cùm tua interim nullus attingat, recognosco in verbis meis indignationem tuam, quæ iusta esset, nisi illam de communi omnium aceruo, in vsus proprios tra-

duxisses, omnium (inquam) quos hic scribendi seu amor, seu morbus tenuit, omniúm-ve quos tenebit. Respice enim in primis, quorum sunt illa quæ laudantur, quære auctores, certè pridem in cinerem versi sunt: vis & tua laudari? morere. A morte hominis viuere incipit humanus fauor, & vitæ finis principium est gloriæ, quæ si antè cœperit, singularis quædam, & intempestiua res est. Plus dicam: dum eorum qui tecum vixerunt, quisquam superfuerit, cumulatè quidem quod appetis non habebis, cum omnes pariter vrna concluserit, venient qui sine odio, & sine inuidia iudicent. Ferat itaque de nobis quãlibet sententiam præsens ætas, si æquam, feramus æquo animo: si iniquam, ad æquiores iudices, hoc est, apud posteros prouocemus, quando ad alios non licet. Delicatissima res est iugis conuersatio, minimus offenditur, & famæ semper inimica præsentia est, multáque admirationi hominum familiaritas detrahit, frequénsque conuictus. Vidés-ne tu hos scholiasticos, genus hominum vigiliis ac ieiunio squallidum? Crede mihi, nihil ad lucubrãdum durius, nihil mollius ad iudicandũ, cùm multa laboriosissimè legerint nihil examinant, & quid in re sit dedignãtur inquirere, cùm hominẽ ipsum nosse videãtur. Itaq; omniũ vna lex est: cũcta enim ex æquo quorũ auctores, vel semel aspexerint, scripta fastidiũt. Hæc (inquies) paruis accidit ingeniis, magna enim & valida, per obstantia quælibet erũpunt. Redde mihi Pythagoram, reddam tibi illius ingenij contemptores. Redeat in Græciam Plato, renascatur Homerus, reuiuiscat Aristoteles, reuertatur in Italiam Varro, resurgat Liuius, reflorescat Cicero: non modò segnes laudatores inuenient, sed mordaces etiam, & liuidos detractores, quòd quisque suis temporibus expertus est. Quid Virgilio maius habuit lingua Latina? Reperit tamen ille, qui non Poëtam, sed raptorem alienarum inuentionum, & translatorem dicerent: ipse autem & ingenij fiduciam, & iudice fretus Augusto, alto animo inuidorum verba despexit. Tibi quidem magnam ingenij conscientiam esse scio, sed vbi Augustum iudicem inuenies, quem enixè admodum atque omnibus modis inge-

niis sui temporis fauisse compertum est? Nostri reges de saporibus epularum, de volatu auium iudicare possunt, de ingeniis hominum non possunt. Quod si fortè præsumpserint, superbiæ tumor aperire oculos, aut flectere, & in verum figere non finit. Itaque nequid suę ætatis suspicere videantur, mirantur veteres, quos nouêre contemnũt, vt defunctorum laus viuentium contumelia non vacet. Inter hos iudices viuendum, moriendúmque nobis est, & (quod est durius) tacendum, vbi enim (vt dixit) Augustũ iudicem quæremus? Vnum habet Italia, imò verò terrarum orbis vnum habet, Robertum Siculum regem, fortunata Neapolis, quæ vnicum sęculi nostri decus incomparabili fœlicitate sortita es. Fortunata (inquam) & inuidiosa Neapolis, literarum domus augustissima, quæ si Maroni quondam dulcis visa es, quantò nunc dulcior videris, vbi ingeniorum ac studiorum æquissimus extimator habitat. Ad te cõfugiat quisquis ingenio fidit. Neque verò differendum putet, suspecta mora est, deuexa enim est ætas, & mundus iam pridem eo carere, & ipse ad meliora regna transire meritus, vereórque ne multa ipse mihi seræ pœnitentiæ materiam prolatando quæsierim, omnis quidem pulchræ rei dilatio turpis, & omnis de honesto deliberatio longior inhonesta est: rapienda est occasio, confestímque faciendum, quod ante tempus fieri non potest. Quod ad me attinet, currere, & properare propositum est (vt quod de Iul. Cæsare, in epistola quadam ait Cicero) omnia mea studia in istum conferam: Ego verò ardenti quidem studio, ac fortasse efficiã, quod sæpe viatoribus cùm properant euenit: vt si seriùs quàm voluerint fortè surrexerint, properando etiam citiùs, quàm si de nocte vigilassent, perueniant quò velint. Sic ego, quoniam in isto homine colendo, tam indormiui diu, cursu corrigam tarditatem. Tibi autem tuo foro vti necesse est, quando ad eum regem aspirare, non tam freti, quàm belli obice prohiberis: patria enim tua, cuius nemo amantior ciuis est, inimici regis imperio subiacet, dicerem tyranni, nisi quia timeo aures tuas offendere. Ad hæc & magna res est, neque nostris calamis discernẽ-

da, sed illorum gladiis. Igitur ad inceptum redeo. Si hæc tibi exempla de illustrissimis electa non sufficiunt, alia ex alio grege hominum adiiciam, & ætate recentiora, & sanctitate clarissima. Quantos olim æmulos Augustinus noster, quantos Hieronymus, quantos habuit Gregorius, donec spectata virtus, & literarum diuina, & admirabilis vbertas inuidiam vinceret? vix horum quisquam integrum famæ præconium, nisi ab ipso die mortis accepit. Vnum æmulo ac reprehensore carentem, vnum plena & indecerpta laude decoratum Ambrosium, cuius ne iuuenis quidem famam mordax liuor attigerit apud quosdam inuenio, quòd fortè ad puram eius ac simplicem doctrinam, omnis ambigui expertem referēdum est: nam apud Paulinum, qui Ambrosij vitam & obtrectatorum eius nomina legimus, & vindictam diuino irrogatam. Perfer igitur iam sine lamentis, quòd summis ingeniis contigisse vides. Videris autem quadam in parte tuarum literarum hoc ipsum conqueri, quòd multos noueris, magnum in vita nomen assecutos. Et hoc quoque si me audire volueris, magnifice contemnes. Scis enim quibus hoc euenit? His equidem solis, qui famam suam, quoniam calamo nequeunt, clamore defendunt. Aspice istos purpuratos, qui ingenti strepitu, populorum in se ora conuertunt, qui se sapientes dici volunt, & quos sapientes vulgus appellat, singulis ciuitatibus ascribens sapientum greges, cùm tamen illa florens olim studiorū mater Græcia, non ampliùs quàm septem sapientum nominibus glorietur, quod ipsum posteris importunæ nomen arrogantiæ visum est: sed qui eos excusant, aiunt non id eis cognomen proprio iudicio, sed populorum suffragiis obtigisse. Vnus ex omnibus sæculis Epicurus sapientem se profiteri ausus, intollerandæ superbia, seu potius ridiculosa dementia. Cuius secundo de Finibus bonorum, & malorum, meminit Cicero, hodie in nostrorum causidicorum grege, furor ille vulgaris est. Respice & hos, qui in altercationibus, & cauillationibus Dialecticis totum vitæ tempus expendunt, séque inanibus semper quæstiunculis exagitant: & præsagium me si de omnibus habeto, omnium nempe cum ipsis fama cor-

rues

ruet, vnum sepulchrum nomini ossibúsque sufficiet: cum enim mors frigidam linguam stare coegerit, non modò vt sileant necesse est, sed vt de his etiā sileant. Possem exemplis affluere, téque ipsum ex multis testem facere, quot loquacissimas picas agnouimus, in oculis insanę multitudinis perstrepentes, quorum repente vox cecidit, nisi longa, & apud quosdam superstitum odiosa fortè narratio esset: Sed de his, & sæpe aliàs, & nunc quod res ipsa poscebat diximus. Neque enim vt eos monerem sermo mihi institutus, sed vt tibi satisfacerem, cuius omnino diuersa conditio est: tunc enim maximè resonabis, cùm iam loqui ampliùs nequiueris. Cæterùm valdè impatientis animi est, breuissima expectatione torqueri, expecta paululum, eris voti compos. Cùm obstare tibi ipse desieris, id ex parte longæua forsan absentia ad plenum mors sola præstabit. Reduc ad memoriam ex omnibus sæculi illustres viros Romanos, Græcos, Barbaros, quorū nō præsentia famæ nocuerit. Tibi (si recentior memoria est) plures fortè ex historiis occurrent. Ego id vni omnium Aphricano tributum memini, vt scilicet & fama mirabilis, & præsentia mirabilior haberetur. Idem sacris in literis tribuitur Salomoni. Quære alium, fortè non inuenies. Et si Virgilius immodico studio Æneam suum exornandi, hoc ad eum gloriæ genus transferre contendat, sed immobile verum est: excusant tamen quasi non Æneam, sed sub Æneæ nomine, virum fortèm perfectúmque describat. Dedit idem Oratorum vni duntaxat, is qui hoc sicut verius vsurpasset, præillustris scilicet Oratorum princeps M. Tullius, vni quoque Poëtarum idem tribuit, Aulo Licinio Archiæ, sed vereor ne id amore iudicium obliquante, præceptori suo mediocris ingenij viro tribuat, quod nec Homero tribuit, nec Virgilio tribuisset. Cæterùm vt ad te reuertar, nihil ex omnibus quæ dixi, quod tibi iustam indignandi materiam præstare possit inuenies: nemo enim se anteiri ab vno, vel à paucis ægrefert, nisi qui gloriæ principatum pertinaci sibi mente constituit, patêre (vt cæterarum rerum) sic ingenij tui sortem, nominísque fortunam, putabas eam in solis diuitiis ius habere? Humanarum rerum

omnium, excepta virtute domina est, illam quoque sæpe oppugnare, sed nũquam expugnare permittitur. Famam certè, qua nihil est læuius, facilè rotat, ac ventosis suffragiis circumuoluit, à dignis eam transferens ad indignos, nihil quidem mobilius, nihil iniquius vulgari iudicio, super quo fama fundata est. Itaque mirũ non est, si assiduè quatitur, quæ tam tremulis innititur fundamentis. Hæc sanè non nisi in viuos regnum habet, mors hominem eximit ab imperio fortunæ. Cessant exinde ludibria hæc, velit ipsa, vel nolit virtutem fama, seu solidum corpus vmbra consequitur. Habes ergo (ni fallor) gloriandi potius causam, quàm indignandi, si cum omnibus ferè præstantibus, atque clarissimis viris communis tibi tua sors est, quóque etiam nunc æquiore animo sis. Africanum ipsum, quem ex hac acie segregare visus eram, in commune restituam, cui quamuis quod rarissimum est, vt dixi, præsentia non noceret: nocuit tamen vt cæteris hominum inuidia, quam tantis virtutibus non potuit extinguere, incéditque potius & inflammauit, nocuit (quæ sine indignatione non possum meminisse) conuersatio longior, & nascens ex familiaritate contemptus. Vnde autem hæc eliciam percontabere, nolo me aliquid immutasse suspiceris? Ipsa T. Liuij clarissimi scriptoris verba ponam, qui orta cõtentione dignitatis, honorúmque inter Scipionem Africanum Titúmque Flaminium, in qua succubuisse Scipionem refert. Maior (inquit) gloria Scipionis, & quò maior eò propior inuidiæ. Et statim postea. Accedebat (inquit) & aliud, Scipio Africanus iã prope annum decimum, assiduus in oculis hominum fuerat, quæ res minus verendos magnos homines ipsa facietate facit & hæc quidem ille. Tu verò (vt iam finem faciam) fortunam tuam, tanto comite solabere, expectabísque tranquillius, memor vetus apud Flaccum verbum esse, quod vt vina, sic poëmata meliora dies reddit. Apud Plautum aliquanto vetustius: ille enim ait:

Qui vtuntur vino vetere sapientes puto:
Et qui lubenter veteres inspectant fabulas.

Quod non minus ipsi Flacco bilem commouisse suspicor, quàm tibi tantam esse vetustatis reuerentiam ac cri-

men

men longo sermone purgandum sibi fuerit, Lucilium reprehendisse Postremò tecum cogita, quid est hoc, pro quo tam sollicitè torqueamur Ventus est fama quam sequimur, fumus & vmbra est, nihil est, itaque facillimè recto atque acri iudicio contemni potest. Quod si fortè (quoniam generosos animos familiaris hæc pestis insequi solet) appetitum hunc extirpare radicitus non potes, excrescentem rationis saltem falce compesce. Parendum tempori, parendum rebus est. Denique (vt sententię meæ summam breuius expediam) virtutem cole dum viuis, famam inuenies in sepulchro. Vale.

FRAN. PETRAR. RAYMVNDO SVPERANTIO, S. Epist. II.

Hominum vitam flosculo similem esse.

VEreri mihi (nec immerito) visus es, ne (quod ferè õmnibus adolescentibus accidit) ætatis flore decipiar, non pollicebor tibi, Pater, animum solidum ac stabilem, omnísque vanitatis exortem (quod in hac ætate difficillimum & potius diuinæ gratiæ, quàm humanæ virtutis arbitror) sed mentẽ haud quaquam suæ cõditionis ignaram spondeo, sentio me (mihi crede) nunc dũm maximè florere videor, maximè ad arescendum pergere, Quid in re celerrima segnibus verbis vtor? Imò verò properare, imò currere, imò (vt loquar propriè) volare: volat enim ætas (vt ait Cicero) & omnino nihil est aliud tempus vitæ huius quàm cursus ad mortem, in quo (vt ait Augustinus) nemo, vel paulò stare, vel aliquãtò tardius ire permittitur, sed vrgentur omnes pari motu, nec diuerso impelluntur accessu: neque enim cuius vita breuior fuit celerius diem duxit quàm ille cui longior sed cum æqualiter æqualia momenta raperentur ambobus, alter abiit propius, alter remotius, quò non impari velocitate ambo currebant. Aliud est enim amplius viæ peregisse, aliud tardius ambulasse. Qui ergo vsque ad mortem producti ora spatia temporis agit, non lentius pergit, sed plus itineris conficit, Ecce quanti duo viri velocitatem vitæ mortalis describentes, volare eam, & currere asserunt. Quotiens verò Virgilius fugere tempus ait? Quid si omnes tacerent? Quid etiam si negarent? Nunquid ideò

segnius fugiens curreret,aut volaret? Neque verò me talia summis labiis locutum putes (quique coëtaneis meis est mos) per auctorum vireta captare flosculos, quod viro turpe ait Seneca, nobis ita permissum putant, vt nihil videatur adolescentia formosius. Ego me non nego flosculos interdum legere,quibus inter seniorum choros(si res tulerit)vti queam, sed ita ad optatam senectutem me rita cum laude perueniam,vt ego magis omnia ad vitam extimem,quàm ad eloquentiam referendam. Et quamuis (vt est vsus,vt est ingenium, vt est animus, vt est ætas)eloquentiæ studio delecter, tamen & dum aliorum bene dicta recenseo,& si quando mihi aliquid fortè sonantius excidit,vtrobique magis meditor,vt quicquid id est, vitę prosit, adolescẽtiæque me malis expediat, quàm vt verbis ornatioribus iuuenilis lingua lasciuiat. Summæ quidem dementiæ videtur,in id niti,ad quod fortè nũquam sis venturus, & quod paucis accidit, quódque cùm adeptus fueris,modicum prosit fortassis, & multum noceat: illud verò negligere quod & omnibus promptum, præ omnibus vtile, damnosúmque nunquam esse possit. Scimus autem magnorum auctoritate hominum, experimentóque rerum edocti, quoniam paucis bene loqui, bene viuere autem omnibus datum est,& tamen plures illud amplectuntur,hoc fugiũt: Ita est natura hominum, difficultatibus incumbere, & ea cupidius appetere, quæ laboriosius parantur. Ego quidem (& si mihi fidem ætas deroget) teste tamen conscientia lego, non vt eloquentior, aut argutior, sed vt melior fiam. Et quod de morali Philosophiæ parte dixit Aristoteles, ad omnes traho, quanquam si vterque fructus sequeretur infortunatiorem me laborum non negarem. Tibi autem, Pater, gratias ago,quòd me paternè mones,& oro vt idem sæpe facias. Sed hic habeto, me iam hinc cœpisse cognoscere cursum meum,& pericula numerare,& multos nosse decrepitos, me altius humi fixos, ac tenacius inhærentes. Multum me tangit illud Domitiani principis iam senescẽtis. *Nil* (inquit) *gratius decore, nil breuius.* Et illud Catonis senis apud Tullium: *Quis est tam stultus, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum ad vesperum esse victurum?*

nuo? Et illud Virgilij, tunc iuuenis iuueniliter dictum, sed verè, sed grauiter, sed maturè,

Collige virgo rosas, dum flos nouus, & noua pubes.
Et memor esto, æuum sic properare tuum.

Ego verò memor sum, & quamuis nōdum plenè possim, nitor. Cogito tamen vt possum, & indies, & profundius possim, nitor. Cogito non quid aliis videor, sed quid sum & ætatem hanc, & qualemcunque formam corporis, & reliqua (vnde mihi forsan ab aliis inuidetur) sentio data mihi ad periculum, ad exercitium, ad laborem. Denique, vt breuiter concludam, scio me ascendere vt descendam, vir ere vt arescam, vt senescam adolescere, viuere vt moriar. Vale.

FRAN. PETRARCHA. IOANNI COLVMNENSI, S. Epist. III.

Germaniam, Rhenique ripas se peragrasse narrat.

Gallias ego nuper, nullo quidem negotio, vt nosti, sed visendi tantùm studio & iuuenili quodam ardore peragraui, Germaniam tandem, Rhenique ripas attigi, contemplatus sollicitè mores hominum, & aspectu telluris incognitæ delectatus, ac singula cū nostris conferés, & licet multa vtrobique magnifica viderim, me tamen Italicæ originis non pœnitet, imò, vt verum fatear, quò latius peregrinor, eò maior Italiæ soli subit admiratio. Quòd si gratias agebat Plato diis, vt verbo eius vtar, immortalibus, inter multa, quòd Græcum eum & non alienigenam, edidissent, quid nos prohibet, pro eodem quoque gratias agere, ortúsque nostri Deum auctorem recognoscere? Nisi fortè nobilius est Græcū nasci, quàm Italicum, quod si quis dixerit, dicat idem, & seruum esse nobiliorem quàm dominum, Atque nullus hoc Græculus, quantumlibet procax, impudénsque dicere audebit, dum meminerit diu ante Vrbem conditam, ante partum & auctum virtutibus imperium, denique ante

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Non Italiam, sed quartam Italiæ partem, eo tempore desertam, & vacuam Græcis habitatoribus possessam, ma-

gnámque Græciam nuncupatam. Quæ enim tūc magna visa est, quàm maxima, quàm immensa videri potuit, post euersam Corynthum, post vastatam Ætholiam, post Argos & Mycenas, cæteràsque vrbes triumphatas, post Macedoniæ reges captos, Pyrrhúmque deuictum, & madentes iterum Asiatico cruore Thermopylas, credo neminem negaturum, aliquanto clarius Italicum esse quàm Græcum. Sed de hoc fortè alibi: Nunc in Gallias reuertamur, Pariseorum ciuitatem regni caput, quæ auctorẽ Iuliũ Cæsarem prætendit, introij, non aliter animo affectus, quàm olim Thessaliæ ciuitatem Hypatam dum lustrat Apuleius: ita enim sollicito stupore suspensus, & cuncta circunspiciens, videndi cupidus, explorandíque vera-ne, an ficta essent, quæ de illa ciuitate audieram, non paruum in ea tempus absumpsi, & quoties operi lux defuit, noctem superaddidi. Demum ambiendo, & inhiando, magna ex parte didicisse videor, quis in eadem veritati, quis fabulis locus sit. Quæ (quoniam longa narratio est, neque hoc loco satis explicabilis) differenda est, donec ex me omnia coram audies Gandauum quoque (vt media sileam) eodem conditore superbũ vidi, & cæteros Flādriæ Brabantiæque populos, lanificos atque textores. Vidi Leodium insignem Clero locum: Vidi Aquensem Caroli sedem, & in templo marmoreo verēdum barbaris gentibus illius principis sepulchrum, vbi fabellā audiui non inamœnam cognitu, à quibusdam templi sacerdotibus, quam scriptam mihi ostenderunt, & postea apud modernos scriptores accuratius etiam tractatam legi, quàm tibi quoque vt referam incidit animus: ita tamen, vt rei fides non apud me quæratur, sed vt (aiunt) penes auctores maneat. Carolum Regem quem Magni nomine æquare Pompeio, & Alexandro audent, mulierculam quandam perditè, & efflictim amasse memorant, eius blanditiis eneruatum, neglecta fama (cui plurimùm inseruire consueuerat) & posthabitis regni curis, aliarum rerum omnium, & postremo suiipsius oblitum, diu nulla prorsus in re, nisi illius amplexibus acquieuisse, summa cum indignatione suorum ac dolore. Tandem cùm iam spei nihil superesset (quoniam aures regias salutaribus consi-

tô filiis insanus amor obstruxerat) fœminã ipsam malorũ causam insperata mors abstulit, cuius rei ingens primum in regia sed latens gaudium fuit: deinde dolore tantum priore grauiore quantum fœdiori morbo correptum regis animum videbant, cuius nec morte lenitus furor, sed in ipsum obscœnum cadauer & exangue translatus est, quod balsamo & aromatibus conditum, onustum gemmis, & velatumq́ purpura diebus ac noctibus tam miserabili quàm cupido fouebat amplexu. Dici nequit quàm discors, & quàm malè se compassura conditio est amantis, ac regis: nunquam profectò contraria sine lite iũguntur. Quid est autem regnum, nisi iusta, & gloriosa dominatio? Contrà quid est amor, nisi fœda seruitus & iniusta? Itaque cum certatim ad amantem (seu rectius) ad amentem Regem, pro summis regni negotiis legationes gentium, præfectíque & prouinciarum præsides conuenirẽt, is in lectulo suo miser, omnibus exclusis, & obseratis foribus amato corpusculo cohærebat, amicam suam crebro, velut spirantem, responsurámque compellans, illi curas, laboréfque suos narrabat, illi blandum murmur, & nocturna suspiria, illi semper amoris comites lachrymas instillabat, horrendum miseriæ solamen, sed quòd vnum ex omnibus Rex alioquin (vt aiunt) sapientissimus elegisset. Addunt fabulæ quod ego nec fieri potuisse, nec narrari debere arbitror. Erat ea tempestate in aula Coloniensis Antistes, vir, vt memorant, sanctitate & sapientia clarus, necnon comis, & consilij Regij prima vox, qui domini sui statum miseratus, vbi animaduertit humanis remediis nihil agi, ad Deum versus illum assiduè precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere multò cum gemitu: quod cum diu fecisset, nec desiturus videretur, die quodam illustri miraculo recreatus est: siquidem ex more sacrificanti, & post deuotissimas preces pectus & aram lachrymis implenti de cœlo vox insonuit, Sub extinctæ mulieris lingua, furoris Regij causam latere. Quo lætior mox peracto sacrificio, ad locum vbi corpus erat se proripuit, & iure notissimæ familiaritatis regiæ introgressus, os digito clam scrutatus gemmam perexiguo annulo inclusam, sub gelida, rigentíque lingua

repertam,festinabundus auexit. Nec multò post rediens Carolus, & ex consuetudine ad optatum mortuæ congressum properans, repentè aridi cadaueris spectaculo concussus,obriguit,exhorruítque cõtactum,auferri eam quantocius ac sepeliri iubens. Inde totus in Antistitem conuersus,illum amare,illum colere,illum indies arctius amplecti. Denique nihil nisi ex sententia illius agere, ab illo nec diebus, nec noctibus auelli. Quod vbi sensit vir iustus ac prudens, optabilem fortè multis, sed onerosam sibi sarcinam abiicere statuit, veritúsque, ne si vel ad manus alterius perueniret, vel flammis consumeretur, domino suo aliquid periculi afferret, annulum in vicinæ paludis præaltam voraginem demersit. Aquis fortè tum rex,cum proceribus suis habitabat,ex eóque tẽpore cunctis ciuitatibus,sedes illa prælata est, in ea nil sibi palude gratius,ibi assidere, & illis aquis mira cum voluptate illius odore,velut suauissimo delectari.Postremò illuc regiam suam transtulit,& in medio palustris limi, imméso sumptu,iactis molibus,palatium, templúmque cõstruxit, vt nihil diuinæ, vel humanæ rei eum inde abstraheret. Postremò ibi vitæ suæ reliquum egit,ibíque sepultus est: Cauto prius,vt successores sui primam inde coronam,& prima imperij auspicia capescerent, quod hodie quoque seruatur,seruabitúrque quàm diu Romani frena imperij Theutonica manus aget. Longior fui in hac narratione quàm debui: sed quoniam peregrinatione longinqua,librorum solatio destituta est,& in perpetuo motu facilius est multa cogitare, quam grandia, iustum epistolæ modum implere seriis non valens, eam(vt vides)obuiis quibúsque consarcio. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. IIII.

Coloniæ Agrippinæ vrbis descriptio.

AQuis digressum, sed prius vnde ortum oppidi nomen putant, Aquis Baiano more repentibus ablutum,excepit Agrippina Colonia, quæ ad sinistrum Rheni latus sita est,locus & situ,& flumine clarus, & populo. Mirum in terra barbarica,quãta ciuilitas,quæ vrbis species,

cies, quæ virorum grauitas, quæ mundiciæ matronarum. Fortè Ioannis Baptistæ vigilia erat dum illuc applicui, & iam ad occidentem sol vergebat, confestím amicorum monitu (nam & ibi amicos prius mihi fama pepererat, quàm meritum) ab hospitio traducor ad fluuium, insigne spectaculum visurus. Nec fallebar: omnis enim ripa pręclaro & ingenti mulierum agmine tegebatur, obstupui, dij boni, quę forma, quæ facies, quis habitus! amare potuisset quisquis eò non præoccupatum animum attulisset. In loco paulùm altiore constiteram, vnde in ea, quæ gerebantur intenderem, incredibilis sine offensione concursus erat, vicissimque alacres, pars herbis odoriferis incinctę, reductísque post cubitum manicis, cãdidas in gurgite manus, ac brachia lauabant, nescio quid blandum peregrino murmure colloquentes. Vix nunquam clariùs intellexi, quod Ciceroni placet, & veteri prouerbio dici solet. Inter lĩguas incognitas, omnes propemodum surdos ac mutos esse. Vnum mihi solatium grauissimorum interpretum non deerat. Nam & hoc inter cuncta mirabere, cœlum illud spiritus Pierios alere. Itaque dum miratur Iuuenalis, quod

Gallia causidicos docuit facunda Britannos:

miretur idem:

doctos quod argutos aluit Germania vates:

At ne me aũctore fallaris, scito ibi nullum Maronem esse, Nasones plurimos, vt dicas verum fuisse præsagium, quod in fine libri Metamorphoseos, multum vel posteritatis gratię, vel ingenio suo fidens ponit. Siquidem qua Romana potentia (seu verius) qua Romanum nomen domito orbe se porrigit, plausibiliter nunc fauentis populi ore perlegitur. His ego comitibus, vbi quid audiendum, seu respondendum incidit, pro lingua, & pro auribus vsus sum. Vnum igitur ex eo numero admirans, & ignarus rerum percunctatus Vergiliano illo versiculo,

Quid vult concursus ad amnem, Quid-ve petunt animæ?

Responsum accepi: Peruetustum gentis ritum esse, vulgo persuasum, præsertim fœmineo, omnem totius anni calamitatem imminentem, fluuiali illius diei ablutione purgari, & deinceps lætiora succedere, itaque lustratio-

nem esse annuam, inexhausto semper studio cultam, colendámque. Ad hęc ego subridens. O nimium fœlices (inquam) Rheni accolæ, quorũ ille miserias purgat, nostras quidem nec Padus vnquam valuit purgare, nec Tyberis! Vos vestra mala Britannis Rheno vectore transmittitis, nos nostra libenter Afris, atque Illyrijs mitteremus, sed nobis (vt intelligi datur) pigriora sunt flumina. Commoto risu, serò tandem inde discessimus. Proximis aliquot diebus à mane ad vesperam, ciuitatẽ iisdem ducibus circumiui, haud iniucundum exercitium, non tàm ob id quod ante oculos erat, quàm recordatione nostrorũ maiorum, qui tam procul à patria monumenta Romanę virtutis, tam illustria reliquissent. In primis autẽ occurrebat Marcus Agrippa Coloniæ illius auctor, qui licet multa domi, multa foris præclara construxerit, illam tamen ex omnib dignam censuit, cui suum nomen imponeret, ædificator ac bellator egregius, dignúsque habitus, quem Augustus in generum, ex toto orbe deligeret, qualiscunque filiæ virum, sed dilectæ sed vnicæ, sed Augustę. Vidi tot simul trunca millia, sacrarum virginum, & terram generosis dicatam reliquiis, ac degenerum, vt aiunt, cadauerum expultricem. Vidi Capitolium effigiem nostri, nisi quod pro Senatu illic pacis ac belli consilia agitante, hîc formosi iuuenes ac puellæ mixtim nocturnas laudes Deo concinunt æterna concordia. Ibi rotarum & armorum strepitus ac gemitus captiuorum, hîc quies & gaudium & iocantium voces: denique illuc bellicus, huc pacificus triumphator ingreditur. Vidi templum vrbe media pulcherrimum, quamuis inexpletum, quod haud immeritò summum vocant. Magorum ibi Regum corpora, ab ortu ad occasum tribus saltibus trãsuecta, quos Æthereum quondam regem ad præsepia vagientem, cum muneribus veneratos legimus, venerabundus aspexi. Parumper hic, Pater optime, & pudoris mei metas excessisse videor, & plura collegisse quàm necesse erat, vtrum fateor, sed mihi nil tam necesse est, quàm vt imperio tuo paream: inter multa sanè quæ abeũti iusseras, hoc fuit extremum, vt de terris, ad quas ibam, & de singulis quæ vidissem, audiuissémque perinde te certiorem scripto facerem, ac

re,ac verbo solito ne calamo parcerem ne breuitati, vel ornatui studerem,ne-ve floridiora decerperem, sed cuncta complecterer. Denique Tulliano verbo vsus, Scribe (dixisti) quicquid in buccam venerit. Promisi me facturum, promissum crebris ex itinere literulis implesse videor,si iussisses loqui de altioribus, tentassem. Nunc epistolæ officium reor,non vt scribentem nobilitet,sed vt certificet legentem. Quod si omnino videri volumus, ostendamus nos in libris,in epistolis colloquamur. Procedo,Ad secundas Cal.Iulias Colonia discessi tanto sole ac puluere, vt sæpe alpinas niues ac frigora Rheni à Virgilio requirerem.Inde Arduennam syluam scriptorum testimonio pridem mihi cognitam, sed visu atram atque horrificam transiui solus(& quod magis admireris) belli tempore,sed incautos (vt aiunt)Deus adiuuat. At ne longum iter vix æquo peracto calamo remetiar, multis ego regionibus ambitus, hodierno die Lugdunum perueni, nobilis & ipsa Romanorum Colonia est,paululúmque vetustior Agrippina.Duo hîc noti amnes,in nostrum mare currentes,Rhodanus Ararísque conueniunt. Sonam incolę appellāt:Sed de his nihil amplius Iuncti enim ad te properāt,alter cogēti,alter coacto similis,& Auinionē vbi te nūcac genus humanūRo.Pōt.detinet,permixtis vadis abluunt.Huc ego cum manè peruenissem,& intranti fortè familiaris hic tuus occurrisset,mille eum quæstiunculis (vt mos est peregrè redeuntium)aggredior,ille autem nihil ad reliqua, sed præclarissimum fratrem tuum, ad quem maximè properabam, sine me Romam petiisse narrauit. Quo audito quærendi,veniendíque ardor repētè deferbuit.Hîc igitur expectare in animo est, donec & æstas ipsa deferueat,quàm hucusque non senseram,& me vegetiorem quies faciat,qui me fessum esse, hoc ipso primum loquente perpendi. Nulla quidem fatigatio maior quàm animi est,quod si reliqui itineris tædium subierit, Rhodanus mihi pro vehiculo erit, interim vt noris vbi sum, hæc tibi festinante nuncio trāscurrere non piguit. De fratre item tuo,duce olim, nunc(da dolori veniam) desertore meo,nusquam alibi,quàm apud ipsum conqueri visum est:quam quærelam,vt sibi quàmprimum mitti

iubeas, oratus facito. Et Vale nostri memor.

FRAN. PETRARCHA IACOBO COLVMNAE, S. Epist. V.

De fide & taciturnitate.

REuertebar è Germania, & iam Lugdunum peruenꝭram, precum tuarum, & desiderij mei vncis retrahẽtibus, non tam Poëtico, aut Physico, quàm cursorio more festinans. Illi cursui meo molestissimum frænum adhibuit, insperatus rumor, aufugisse te, absentiæ meæ velut opportunitate captata, & sine me Romam petiisse, quod profectò nũquam facturum esse promiseras. Quid dicam? Amante non amato, nil reor esse miserius. Quomodo autem, seu quibus primum verbis aggrediar? suspiciosúm-ne, an tuorum cõtemptorem putem? nihil moribus minùs tuis conuenit: obliuiosum quærar? mirator ipse memoriæ tuæ. Fidefragum dicam? sed notissima fides est. Quid ergo? Tu culpę nomen inuenies, & teipsum condemnabis, vel si libet absolues? apud tribunal tuum tecum agitur tu idem & reus, & testis, & iudex eris. Sede igitur & mecum aliquãtisper æquo iure discepta: æquat enim amor imparia. Quod si contra me fortè lingua tua pronunciauerit, ad conscientiam prouocabo, responde dolori meo, quærenti. Cur tu Romæ, ego in Gallia sum? Quid tanto diuortio dignum feci? An vt inutilis, & inamœna sarcina in tergum obijcior? De vtilitate quidem videris, de reliquo (quoniam dolor ingens libertatis assertor esse solet) ipse pronuncio. Nulla igitur (si te noui) amœnior, nulla curis tuis opportunior, tecũ est Lęlij mei, & cæterorum pace dixerim, quibus (vt me æquare audeam) superbæ forsitan fortunæ illorum cogit & dolor mei. Ego enim te mundo prætuli, tu mihi quæso, quid non præferes? an timuisti ne secretum tuum ex me in vulgus erũperet? itá-me rimosum expertus es, ita infirmi ac futilis animi, cui tam facilè commissa diffluérent? Egisti incautè, qui mihi totiens grauiora credideris. Sed (crede mihi) quoniam hodie (vt video) dolor verecundiam superat: crede inquam mihi, pater optime, nullius (quem quidem ego nouerim) fido silentio secundus sum. Nemo me

ideò

ideò quod secreta non teneam, ne dicam fideli amicitiæ, sed vel Senatorio gradui, vel Sacerdotio Cereris inhabilem argueris. Legimus apud Persas nihil fide sanctius, nihil pulchrius silentio, nihil loquacitate deformius. Itaque illud vel morte custodiunt, hanc morte castigant, non est qui quocunque supplicio sui regis pandat arcanum, si quis fortè contrà fecerit nullo non supplicio dignus habebitur: Præclarè. Quid enim omnino facilius quàm tacere? ad quid ergo vtilis, aut cui magnæ rei sit habendus idoneus, qui rem longè facillimam implere nequiuerit? An verò occupationes meas interrumpere noluisti? Conuersatio igitur longæua quid profuit? Nondum intelligis, non esse me de illorum grege, qui, vt ait Flaccus,

Breui fortes iaculantur æuo
Multa qui terras alio calentes sole permutant:
Qui penetrant aulas & limina regum

Vt Virgilius ait, qui animum suum in frusta discerpunt, huic arrident, illi seruiunt, neminem ex integro diligũt, nulli plenè confidũt. Certè ego qui sim nescio: valde enim in iudicio rerum nostrarum fallimur. Sed vt sim de grege nihil optantium magnopere laboro, de multis nũquam speraui, sciebam enim, quòd qui paucorum similis fieri studet, multis fiet inuisus. Spes & occupationes meæ in te hactenus sitæ erant, in quo si me diutius errare non es passus, perurbanè mecum agi non negauerim. quòd alienationem animi tui, non contumelioso quidem actu, non verbo aspero, non graui supercilio, sed fugæ silentis indicio perceperim: sin experiri, aut inflammare desiderium meum cogitasti, vide ne aduersus imbecillem animum, nimis aculeatum ludi genus elegeris. At fortè indulgétior causa est, pepercisti, arbitror, labori meo, veritus ne fastidio pelagi impar essem, & quoniam id tibi quoque restat, iter per siticulosam Apuliam, sub æstiuo sole deficerem Sed quæso, nónne hoc tuo de me iudicio iniuriosus es famæ meæ? Vbi ego hanc opinionem merui? Quis me labor fregit, aut terruit. Sola videndi dulcedo, per ignotam me Barbariem circunducit, per Italiam credo pulchra necessitas nõ duxisset, sub Pyreneis olim

collibus, vt tibi comes essem nisi pudet, quantis me precibus ac blanditiis onerasti? Quanquam (vt verum fatear) sequebar ego propè cupidius, quàm detrahebar, qui ita nunc sub Apennini iugis comes esse non merui, nisi fortè inertiam meã illa peregrinatio patefecit. Tu verò quotidie miraberis, vnde ea laborum patientia, in literarum otio mihi nato ac enutrito, præsertim cum & anni tempus esset aduersum, & vepricosum iter, & inculta regio (quódque super omnia nos angebat) cõuersatio dura, & multum nostris moribus aliena. Sed fortè (quoniam sensim ratiocinatio ad verum ducit) non quæcunque potuimus possumus, dies auget, dies imminuit. Ab ea peregrinatione, quarta nunc æstas agitur, triẽnio senior factus sum, quod tempus non tantum mutando corpuscula mortalis hominis, sed euertendis imperiis, atque vrbibus latè patet. Ludo tecum (vt vides) magnus interdum dolor, vbi lamenta defuerint, in iocos vertitur, omnis quidem dies, fateor gradus est ad mortem, & vagientes in cunabulis infantes crescendo pariter senescunt: neque tamen ea ætas est mihi, quæ naturale detrimentum sentiat, quippe quæ nondum plena est. Itaq; crescentibus adhuc annis prouehor, multóque, & membris, & animo validior indies fio, quamuis non ignorem quid sequatur. Viator enim quò altius ascendit, eò descensui proximior fit, & si dici fas esset, quodammodo ascendendo descendit. Idem mihi accidit: interim tamen ascẽdo. Quæ cum ita sint idoneam facti tui causam fortè tu noueris: ego eam palpitabundus inquiro, nec inuenio, & hoc vno vel maximè amare me intelligo (quod amantium mos est, primis quidem offensionibus moueri, mox vbi flammã extinguere non datur, ad excusationum medicamenta confugere, & quod acrius factum dolẽt, vel nequaquam factum si liceat, vel bono animo factum dicere) hoc igitur ago, si possum vt iure desertus videar, quod vtinam mihi persuadeam, & profectò fieri potest, vt tu nec profectionem meam impedire volueris, nec potueris reditum expectare, & cum me ab amplexu tuo lachrymantem dimitteres, nouam mihi gemendi materiam inculcare volueris. Vellem inclementior fuisses, pietas enim

sua

tua in contrariū versa est, inexpectato nil hoste nocētius, & intempestiua quælibet grauiora sunt. Vnde si absque fletibus esse non poteram, melius tunc fleuissem, quoniam natura hoc habet, vt abeuntium potius quàm redeūtium comites lachrymas videamus. Tu precor, quàm primùm cogita, qualiter te mihi exundanti illo defendas eloquio, quàm vere nihil ad rem, modò verisimiliter satis erit. Credere parato nulla inefficax persuasio est, interim facilius inducar, vt tuæ culpæ ignoscam quàm fortunæ meæ. Vale nostri memor.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. VI.

Dialecticorum detestatur contentiones.

Temerarium est cum eo hoste confligere, qui nō tam victoriam appetit, quàm certamen. Scribis quendam senem Dialecticum, literis meis vehemētissime permotum, quasi artificium suum ego dānauerim, ideò palàm fremere & minari multa se quoque in studia nostra suis literis inuecturum: eas te literas multis ne quicquam mensibus expectasse. Noli eas expectare amplius. Crede mihi, nunquam venient. Hoc modestiæ remansit, siue ijs styli pudor, siue ignorantiæ confessio est, lingua implacabiles, calamo non contendunt. Nolunt apparere quàm friuola sunt quibus armantur, ideóque more Parthico fugitiuum pugnæ genus exercent, & volatilia verba iactantes quasi ventis tela committunt. Cum his (vt dixi) suo more contendere temerarium est, quippe qui summam voluptatem ex contentione percipiunt, quibus non verum inuenire propositum est, sed altercari. Atqui Varronis prouerbium est: Nimium altercando veritas amittitur, noli autem trepidare, ne in apertum scripturæ solidíque colloquij campum descendant. Hi sunt enim, de quibus Quintilianus inter institutiones Oratorias loquebatur, quos reperias in disputando mire callidos, cùm ab illa cauillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo grauiore actu quàm parua quædam animalia, quæ in angustijs mobilia,

campo deprehenduntur, meritò itaque campum timent. Verum est enim illud eisdem diuerticula & anfractus suffragia esse infirmitatis, vt qui cursu parum valent, flexu eludant. Tibi verò, amice, vnū hoc dixisse velim, si virtutē si veritatē sequeris, id genus hominū vita, Sed quonam fugiemus à facie insanorum, si ne insulæ quidē tutæ sūt, Ergo nec Scylla, nec Charybdis obstiterit, quo minùs hæc pestis in Trinacriam transnatarent: imò verò iam insularum peculiare malum est, si Dialecticorum agmini Britannico Aethnea nunc nouorum Cyclopum acies accesserit? Hoccí-ne est, quod in Cosmographia Pomponij legeram, Siciliæ maximè similem esse Britanniam? Ego quidem putabam similitudinem hanc, in terrarum situ, ac propè triangulari vtriusque specie. & fortasse etiam in circumfusi maris perpetua collisione consistere, nihil de Dialecticis cogitabam. Audieram Cyclopas primùm, postea tyrannos, vtrosque feroces incolas, tertium monstri genus aduenisse non noueram, armatum enthymemate bis acuto, & ipso Taurominitani littoris feruore procacius. Vnum sanè & ego pridem animaduerteram, & tu nunc admones eos sectam suā Aristotelici nominis splendore protegere: dicunt enim Aristotelem ita solitum disputare. Est fateor qualisqualis excusatio clarorum ducū inhæsisse vestigijs, nam & M. Tullius non inuitum se cū Platone, si oporteat erraturum dicit: sed falluntur, Aristoteles enim vir ardentis ingenij, de rebus altissimis vicissim, & disputabat, & scribebat, alioquin vnde huius tam multa volumina summo studio, & tantis exhausta vigilijs, inter multorum. & præsertim illius fortunati discipuli graues occupationes, & in ætate non longa, siquidē circa illum apud scriptores infamem? Tertium scilicet & sexagesimum vitæ annum defunctum accepimus: isti autem cur à duce suo, tam diuersi abeunt? cur quæso Aristotelicos dici iuuat, & non potius pudet? Nihil illi tanto Philosopho dissimilius, homine nihil scribente, parum intelligente, multúmque & inutiliter clamante Quis illas conclusiunculas non rideat, quibus literati homines, se simul & alios fatigant? in quibus omnem ætatem conterunt quippe ad illa inutiles, ad hoc ipsum præcipuè damnosi.

nosi. Qualia sunt quę à Cicerone, & à Seneca pluribus locis irridentur, quale est illud Diogenis propositum, quem dum contumeliosus Dialecticus verbis esset aggressus, hoc modo, Quod ego sum, id tu nõ es, annuissétque Diogenes, Ille subiunxit: Homo autem ego sum. Cùm id etiam non negasset, conclusionem subintulit cauillator. Homo igitur tu non es. Enimuerò vltimum hoc, inquit, Diogenes, falsum est, & si verum fieri vis à me incipe. Multa sunt id genus perridicula, in quibus quid quærant, an famam, an oblectamentum, an bene beatéque viuendi consilium, sicut ipsi fortitan mihi nihil ignotius. Nam lucrum, aut digna studiorum merces, nobilibus ingeniis videri debet: mechanicorum est lucra captare: honestarum artium generosior finis est. Dum hæc audiunt irascuntur (est enim ferè multiloquium contentiosi hominis iracundiæ proximum) ergo (inquiunt) Dialecticam tu cõdemnas? absit. Scio enim quantum illi Stoici tribuant, secta Philosophorum fortis & mascula, cuius cùm sæpe alias, tũ in libro de Finibus Cicero noster meminit. Scio quod vna liberalium est, & gradus ad alta nitentibus, interque Philosophorum dumeta gradientibus, non inutilis armatura: excitat intellectum, signat veri viam, monstrat vitare fallacias: denique si nihil aliud, promptos & perargutulos facit. Hoc ita esse non inficior, sed non statim quà honestè transimus laudabiliter immoramur, quinimò viatoris insani est, amœnitate viarum metam quam destinauerat obliuisci, multa citò transisse, & nusquam citra terminum substitisse, viatoris laus est: & quis non viator ex nobis est? Breui omnes aduersóque tempore, tanquam hyberno, pluuialíque die, longum ac difficile iter agimus, cuius Dialectica pars esse potest, vtique terminus non est, & potest pars esse matutina, non serotina. plurima quidem honestè fecimus quæ turpissimè faceremus: si enim Dialecticæ scholas, quod in eis pueri lusimus, senes relinquere nescimus, eodem iure, nec par impar ludere, nec arundine tremula equitare pudeat, nec rursum cunis infantilibus agitari. Sunt miræ varietates rerum ac vicissitudines temporum, quas occurrens natura fastidio vigilan-

tissimo artificio meditata est, eas non putes in anni tantum circulo, sed multò magis in longa ætate reperiri. Ver floribus & arborum comis, æstas frugibus diues est, autumnus pomis, hyems niuibus abundat. Hæc modò non tantum tollerabilia, sed grata, si peruertantur, fient concussis naturæ legibus importuna: & nemo erit qui vel hyemis glaciem æquo animo per æstatem perferat, vel solis ardorem alienis mensibus sæuientem: Sic nemo reperitur, qui vel senem infantibus colludentem non oderit, aut puerum canum, aut podagricum non miretur: quid autem quæso ad omnem disciplinam tam vtile, imò tam necessarium est, quàm ipsarum literarum prima cognitio, in quibus omnium studiorum fundamenta cõsistunt? Sed ex diuerso, quid sene ridiculosius, in talibus occupato? tu ergo senis tui discipulos meis verbis excita, neque deterreas, sed hortare non quidem vt ad Dialecticam, sed vt per eam ad meliora festinent. Seni autem dic, non me liberales artes damnare, sed senes pueros: vt enim nihil elementario sene turpius, quod ait Seneca, sic nihil Dialectico sene deformius. Et si syllogismos eructare cœperit, fuge consulo, ac iube illum disputare cum Encelado. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. VII.

Inuentioni & ingenio quomodo inseruiendum.

QVid agendum tibi sit consulis in eo statu, in quo ferè omnis scribentium turba est, quãdo & sua cuique non sufficiunt, & vti pudet alienis, & interim à scribendo cessare non sinit ipsa rerum dulcedo, insitáque mortalium animis gloriæ cupiditas: sic itaque perplexus, atque hæsitans ad me redis, primum omnium consultius fuerat certiorem adiisse consultorem à quo vel multa & varia vel vnum quodcunque optimum, & electissimum esset, accepisses. Enimuerò nunc ad ostium pauperis pulsasti, vnde tamen, me volente, non omnino vacuus abibis, quod ab alio mendicaui id tibi libens impartiar. Mihi quidem fateor, de hac re non amplius quàm vnicum con-

consilium est, quod si fortassis inefficax experimento deprehenderis, Senecam culpabis: at si efficax, sibi, non mihi gratiam referes. Denique in omnem euentum, illum non quidem solum, nam & hoc ante Flaccus dixerat, & (quod satis auguror) ante Flaccum alij, quòd quęrendi nunc ocium non est, sed expressiorem habeas velim consilij huius auctorem, cuius summa est, Apes in inuentionibus imitandas, quæ flores non quales acceperint, referunt, sed ceras ac mella mirifica quadam permixtione conficiunt. Eius autem non sensum modò, sed verba Macrobius in Saturnalibus posuit, vt mihi quidem vno, eodémque tempore, quod legendo simul, ac scribendo probauerat, rebus ipsis improbare videretur: non enim flores apud Senecam lectos, in fauos vertere studuit, sed integros, & quales in alienis ramis inuenerit, protulit: quanquam quod alienum ego aliquid dixerim, licet ab aliis elaboratum, cùm Epicuri sententia sit, ab eodem Seneca relata, Quicquid ab vllo bene dictum est, nō alienum esse, sed nostrum. Non est itaque cur Macrobius culpandus sit, quòd magnam epistolę vnius partem in proœmio operis illius, non tam transtulit quàm transcripsit: id enim & mihi forsan interdum, & multis maioribus accidit, sed illud affirmo elegantioris esse solertiæ, vt apium imitatores, nostris verbis, quamuis aliorum hominum sententias prof eramus, rursus nec huius stylum aut illius, sed vnum nostrum conflatum ex pluribus habeamus. Fœlicius quidem non apium more, passim sparsa colligere, sed quorundam haud multò maiorum vermium exemplo, quorum ex visceribus sericum prodit, ex seipso sapere potius, & loqui dummodo & sensus grauis ac verus & sermo esset ornatus. Verùm quia hoc, aut nulli prorsus aut paucissimis datum est, feramus æquanimiter ingenij nostri sortem, nec altioribus inuidentes, nec despicientes, qui infra nos sunt nec paribus importuni. Scio autem quid tu nunc tacitus dicis, Homo hic, me à studio retrahit, & ab industria dehortatur, dum patienter ignorantiam ferre docet. Ego verò nihil magis cauendum arbitror, quàm ne ignauia cōsenescat ingenium: licet enim Cicero scribat videri sibi homines, cùm multis rebus hu

miliores & infirmiores sint, hac re maximè bestijs præstare, quod loqui possunt, tamen id vel oratori ad commendationem artis quam tradebat indulgendum fuit, vel sic accipiendum, vt ipsum *loqui posse*, sine præuio intellectu esse non possit: alioquin multò mihi potiùs videntur in eo præcellere, quòd intelligere, quòd multa scire ac meminisse possunt, quod belluis natura non tribuit, tametsi aliquam intellectus discretionis & memoriæ similitudinem habere videantur. Quid ergo? Hortor atque obsecro, vt omni vigilantia, & summis viribus, animi tenebras, ignorantiam depellamus, enitamúrque in terris aliquid addiscere, quo via nobis ad cælum fiat: sed interdum meminerimus, si fortè (quia non omnes vno sydere nascimur tarditati nostræ iter ad summa non panditur) decere nos ingenij terminis esse contentos, quos Deus nobis & natura prædixerint: quod nisi fecerimus, nunquam sine mentis anxietate futuri sumus: quamdiu enim in cognitionem rerum ibimus (quod iter nūquam intermittere, vsque ad extremum spiritum debemus) noui quotidie recessus apparebunt, ad quos se ignorantia nostra porrigere, hic mœror & indignatio, & contemptus nostri, quas latebras (quoniam vulgus indoctum nō videbit) lętiùs deget, atque tranquillius. Ita fiet, vt scientia, quæ ingens causa sacræ delectationis esse debuerat molestissimam sollicitudinem inferat, & vitam, cuius se ducem pollicebatur, interimat. Assit ergo cunctis in rebus modestia, illa nobis suadebit, vt non in illis solùm quæ fortunæ, aut corporis dicuntur, sed in his etiam quæ animi bona sunt quæcunque nobis portiuncula obuenerit, de modicis quoque non modicas grates agere consuescamus Largitori ęterno, qui optimè quid nobis expediat vident, id largitus est, non quod delectabilius, sed quod opportuniùs nouit. Et nimirum sicut iure laudatur senex paucorum ille iugerum, qui regum æquabat opes animo, sic ille laudabitur deformis hebes aut balbus, qui Alcibiadis formam animo, qui Platonis ingenium, aut eloquentiam Ciceronis æquauerit. Cui igitur ingenium deest, non desit æquanimitas: cui adest, assit & moderatrix rerum omnium discretio, vt incorrupto iudicio, vires

res

res suas extimet, ne fortè ei subblandiēs & ipse se fallens, importabili fasce prægrauet, contrà illud quod in arte Poëtica scriptum est:

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Nempe adiuuandum studio ingenium est, & meditationibus subleuandum, sed minimè cogendum, quò non possit ascendere. Alioquin præterquàm quod conatus erit irritus, sæpe accidit, vt dum impossibilia cupimus, possibilia negligamus. Dictum breue, sed vtile (nisi fallor) & memorabile inserã, quod apud Quintilianũ acutissimum virũ legi, quod quoniã breuiter, ac dilucidè ab eodẽ scriptum erat, mutare verba nõ libuit. Accidit enim (inquit) etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, vt labore consumantur, & in silentium vsque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini, narrasse mihi Iulium Secundum, illum æqualem meum, atque à me (vt notum est) familiariter amatum, miræ facundiæ virum, infinitæ tamen curæ, quid esset sibi à patruo suo dictum. Is fuit Iulius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioquin inter paucos disertus, & dignus illa propinquitate. Is cùm Secundum scholæ adhuc operatum, tristem fortè vidisset, interrogauit: Quæ causa frontis tam obductæ? Nec dissimulauit adolescens, tertium iam diem esse, quod omni labore materiæ scribendũ destinatæ, nõ inueniret exordiũ, quo sibi nõ præsens tantùm dolor, sed etiã desperatio in posterũ fieret. Tũ Florus arridens, Nunquid tu, inquit, melius dicere vis, quàm potes? hoc nepoti suo Florus, Quintilianus autem nobis, imò omnibus. Ita (inquit) se res habent. Curandum est, vt quàm optimè dicamus, dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus est studio, non indignatione. Quod consilium, ab eloquentia ad actus alios vitæ hominum multipliciter trahi potest. Sed quoniam de ingenio, facundiáque sermo erat, vtriusque rei, vt cæterarum omnium, diuitiæ & paupertas æquo animo ferendæ. Si quem sanè, tam benigno lumine astra respexerint, vt ipse sibi sine externi operis

adminiculo satis sit, & per seipsum magnificos sensus possit exprimere multum habet, quod dono gratiæ cœlestis ascribat, caueat insolentiam, & cum multa humilitate fruatur muneribus Dei, suum apibus morem linqueat. Nos autem quibus non tam magna contigerunt. apes imitari non pudeat, illæ quidem vt Virgilius noster ait:

Venturæque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

Experiamur & nos dum tempus est, dum feruet ætas, & viget ingenium. Non expectemus donec frigus senectutis obrepat, & æstiuæ claritati nubila hyberna succedãt. De apibus apud eundem Poëtam legimus, quod eas æstate noua per florea rura exercet sub sóle labor. Et iterum alio loco, quod illæ in pratis æstate serena floribus insidunt varijs,

Et candida circum lilia funduntur, Strepit omnis murmure campus.

Si volumus itaque consilium nostrum latiùs extendere, quæcunque de apibus scripta sunt, ad humanæ inuentionis industriam referemus. Æstas nostra quid est aliud, nisi ætas ista flagrantior? Rursus quid est algenti brumæ similius, quam senectus? Quem verò tunc nobis huius tẽporis aut ocij fructum sperandum esse proponimus, quas ingenij messes, si nunc facie laboris exteriti cessamus? Quid ex hórreis nostris posteritas feret, si desidia torpentes consistimus?

Nudus ara, sere nudus hyemis ignaua colono.

Sed ne ab apibus ad colonos dilabatur oratio nunc potiùs, nunc in pratis, & per rura multorum floribus variis insidamus, perscrutemur doctorum hominum libros, ex quibus sententias florentissimas ac suauissimas eligentes, candida circum lilia fundamur. Idque sicut indefessè, sic modestè, leniterque faciendum est studiorum nostrorum) non inanem vulgi gloriam ventosæ contentionis argutiis paratam, sed veritatis effectum, ac virtutis honestiorem terminum statuamus. Licet, mihi crede, sine clamosis altercationibus scire aliquid; non facit clamor, sed meditatio doctorem. Profectò itaque nisi videri magis quàm esse propositum nobis est, non tam plausus insanæ multitudinis quàm veritas in silentio placebit, erimúsque

que tenui sono, protulisse nobisipsis interdum authenticarum scripturarum verba contenti. Atque ita non fragore resonabit,

Sed strepet omnis murmure campus.

Et quoniam (vt vides) liberaliùs ago, quàm dubitationis tuæ necessitas exigebat, aliud etiã præmissis addiderim, vt omnem locum fugias, vbi aut turpiter, aut cum pompa viuitur, & ad solius famæ popularis arbitrium: nec minus tibi, quàm apibus pestiferũ scias habitaculum. Aut vbi odor cœni grauisa, vt vbi,

Concaua pulsu saxa sonant, vocisque offensa
Resultat imago.

Neque tibi soli hoc dictum putes, sed omnibus quicunque in aliqua rerum laudabilium inuentione versantur. Duobus his præcipuè nobilia multorũ suffocantur ingenia, libidinũ cõsuetudine, & opinionum peruersitate vulgarium: dum enim illa sedet intrinsecus, exteriùs ista circunsidet, eneruatur animus, & lõgiùs ab ipsa veritas agnitione distrahitur. Hæc visa sũt de apium imitatione, quæ dicerem, quarũ exemplo ex cunctis quę occurrẽt, electiora in alueario cordis abscõde, eáque summa diligẽtia parcè, tenaciterque cõserua, ne quid excidat si fieripotest, néve diutius apud te, qualia decerpseris, maneãt caue. Nulla quidem esset apibus gloria nisi in aliud & in meliùs inuẽta cõuerterent. Tibi quoque, si qua legendum, meditãdique studio repereris, in fanũ stylo redigẽda suadeo. Hinc enim illa profluẽt, quæ tibi iure optimo, & præsens, & vẽtura ætas attribuet. Atque vt nullos hodie flosculos, nisi ex Virgilianis carpamus arboribus, Hinc anni tẽpore certo, Dulcia mella premes, nec tãtum dulcia, quantum & liquida, & durum Bacchi domitura soporem. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. VIII.

Eloquentiam animique æquitatem cæteris rebus anteponendam.

ANimi cura Philosophum quærit, eruditio linguæ oratoris est propria, neutra nobis negligenda, si vos (vt aiunt) humo tollere, & per ora virũm volitare nobis propositum est. Sed de priore alibi, magna enim res est, & labor ingens, sed messis vberrima. Hoc loco (ne in aliud exeam, quam quòd me ad calamum

traxit) exhortor, ac moneo, vt non vitam tantùm, & mores (quòd primum virtutis est opus) sed sermonis etiam nostri consuetudinem corrigamus, quod artificiosæ nobis eloquentiæ cura præstabit: nec enim paruus, aut iudex animi sermo est, aut sermonis moderator est animus, alter pendet ex altero. Cæterùm ille latet in pectore, hic exit in publicum: ille comit egressurum, & qualem esse vult fingit, hic egrediens, qualis ille sit nunciat, illius paretur arbitrio, huius testimonio creditur. Vtrique igitur consulendum est, vt & ille in hunc sobriè seuerus, & hic in illum veraciter norit esse magnificus. Quanquam vbi animo cõsultũ fuerit, neglectus est sermo, non possit, sicut ex diuerso adesse sermoni dignitas non potest, nisi animo sua maiestas affuerit. Quid enim attinet quod Ciceronianis te fontibus prorsus immerseris, quod nulla te, neque nostrorum scripta prætereant, ornatè quidem, lepidè, dulciter, altisone loqui poteris, grauiter seuerè, sapienterque (quod super omnia est) vniformiter certè nõ poteris: quoniã nisi primum desideria inuicẽ nostra conueniant (quod præter sapientem scito nemini posse contingere) illud necesse est, vt diffidentibus curis, & mores & verba diffideant. At bene disposita mens instar in mõte serenitatis, placida semper ac tranquilla est: scit quid velit, & quod semel voluit, velle non desinit. Itaque tametsi oratoriæ artis ornamenta non suppetant, ex seipsa magnificentissima & certè sicut consona elicit. Negari autem nequit, quiddam singularius emergere, quotiens compositis primum animi motibus (quibus æstuantibus, nihil fœliciter euenturum sperare licet) eloquẽtiæ studio tempus impenditur: quæ si nobis necessaria non foret, & mens suis viribus nisa, bonáque sua in silentio explicans, verborum suffragiis non egeret, ad cæterorum saltẽ vtilitatem, quibus cum viuimus, laborandum erat, quorum animos nostris collocutionibus plurimum adiuuari posse non ambigitur. Instabis autem & dices: Heu, quantum & nobis tutius, & illis efficacius fuerat suadere, vt eorum oculis nostræ virtutis exempla præberemus, quorum illi pulchritudine delectati ad imitationis impetum raperẽtur. Natura enim hoc habet multò melius multóque

facilius

facilius factorum quàm verborum stimulis excitemur, pérque hanc viam expeditius ad omnẽ virtutis altitudinem consurgamus. Ego verò non aduersor: quid enim de hoc sentirem, iam tunc intelligere potuisti, cũ in primis animum componendum esse præmonui. Non equidem sine causa reor dixisse Satyricum:

Prima mihi debes animi bona.

Non essent autem prima, si quod illa præcederet. Veruntamen, quantum quoque ad informationem humanæ vitæ possit eloquentia, & apud multos auctores lectũ, & quotidiana experientia monstrante compertum est: quàm multos, quibus nihil omnino loquentium exempla contulerant, ætate nostra velut experrectos agnouimus, & à sceleratissimæ vitæ cursu ad summam repente modestiam alienis tantum vocibus fuisse conuersos. Non referam tibi nunc, quæ de hac re M. Cicero in libris Inuentionum copiosius disputat. Etenim locus ille notissimus. Nec fabulam Orphei, vel Amphionis interseram, quorum ille belluas immanes: hic arbores ac saxa cantu mouisse, & quocunque vellet, duxisse perhibetur, non nisi propter excellentem facundiam, qua fretus alter libidinosos ac truces brutorúmque animantium moribus simillimos, alter agrestes & duros in saxi modũ atque intractabiles animos, ad mansuetudinem & omnium rerum patientiam creditur animasse. Adde quod hoc studio multis in longinqua regione degentibus prodesse permittitur. Ad quos enim nostri copia & conuictus nunquam forte venturus est, sermo perueniet. Iam verò quantum posterius collaturi simus, optimè metiemur, si quantùm nobis contulerint maiorum nostrorum inuenta memineris. Sed hic rursus occurres: Quid enim est opus amplius elaborare, si omnia, quæ ad vtilitates hominum spectant, iam ante mille annos tam multis voluminibus stylo prorsus mirabili, & diuinis ingeniis scripta manent? Pone (quæso) hanc sollicitudinem, nunquam te res ista trahat ad inertiam. Hunc enim metum & quidam ex veteribus nobis abstulerunt, & ego post me venturis aufero. Decem adhuc redeant annorum millia, secula sæculis aggregentur, nunquam satis laudabitur virtus, nunquam ad amorẽ

Dei, ad odium voluptatum præcepta sufficient, nunquam acutis ingeniis iter obstruetur ad nouarum rerum indaginem. Bono igitur animo simus; non laboramus in irritum, non frustrà laborabunt qui post multas ætates sub finem mundi senescentis orientur: potiùs illud metuendum est, ne prius homines esse desinant quàm ad intimũ veritatis arcanum humanorum studiorum cura perruperit. Postremò si cæterorum hominum charitas nulla nos cogeret, optimum tamen & nobisipsis fructuosissimũ arbitrarer eloquentiæ studium non in vltimis habere. De se àlij viderint, de me autem quid mereantur in solitudine quædam voces familiares, ac notæ non modò corde conceptæ, sed etiam ore prolatæ, quibus dormitantem animum excitare soleo, quàm præterea delectet, vel aliorum vel mea nunquam scripta reuoluere, quantúm-ve ex ea lectione exonerari me sentiam grauissimis acerbissimísque molestiis, non facilè dicturum me sperauerim. Eóque magis propriis adiuuor interdum, quò illa lãguoribus meis aptiora sunt, quæ conscia manus medici languentis, & vbi dolor esset sentientis, apponit. Quod nunquam profectò consequerer, nisi verbà ipsa salutaria demulcerent aures, & me ad sæpius relegendum vi quadam insitæ dulcedinis excitantia sensim illaberentur, atque abditis aculeis interiora transfigerent. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. IX.

Quendam senem Dialecticum detestans.

SEniculum tuum optime valentem noueris, mores nõ animo tantùm, sed & corpori opitulantur: frugalitas bonæ valetudinis soror est, hunc (nisi fame conficitur) immortalem scito, ita siccum & defecatum corpusculum est! ita nihil loci febribus, aut podagræ; victum hominis aspectus ipse testatur, vultus, pallor, macies, & oculorum specus, triste supercilium, & inculta seueritas. Accedit in coturni morem subductus calceus, & attritum senio palliolum: modò literas nosset, Philosophum aut Poëtam diceres: physicum enim tergum, tragicos pedes,

habet,

habet, quicquid ad hæc additur, superuacuum erit. Vt tamen paucis expediam, haud absimilis est seni Plautino cuius mores atque animum mordaci sale respergens seruus ille in Aulularia:

Pumex (inquit) non æquè est aridus, atque hic est senex.
Suam rem periisse, seque eradicarier.
Quum deûm atque hominum clamat continuò fidem.
De suo tigillo fumus si qua exit foras
Quin cùm it dormitum follem obstringit ob gulam,
Ne quid animæ fortè amittat dormiens.
Aquam hercle plorat, quum lauat profundere.
Famem hercle, utendam si roges nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat
Collegit, omnia, abstulitque præsegmina:
Pulmentum pridem ei eripuit miluus,
Homo ad pratorem plorabundus deuenit,
Infit ibi postulare plorans eiulans,
Vt sibi liceret miluum vadarier.
Sexcenta sunt quæ memorem, si sit ocium.

Hæc ille. Huius autem nostri sexies sexcenta talia curiosus fabulator inueniet. Hospitem Apuleij Milonem prodigalitatis arguet, quisquis hunc viderit, vel semel audierit disciplinam rei familiaris œconomicis nulli vnquam philosopho cognitis regulis coarctantem, sed nimis alienis vitiis immoramur. Redeamus ad propria. Omnes ferè mortales vno morbo laboramus, extremis contrariis iactamur, Et est illud Flacci verissimum:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Quid autem interesse credimus, inter Rufilli pastillos, Gorgonij hircum, aut inter Aristippi iacturam, Stallerij epigramma? Non oportet errare per deuia, & longè quærere quid beatos faciat. Vitia in extremis habitant, virtus in medio sita est. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMAE MESSANENSI, S. Epist. X.

Parasitum faceta periphrasi famelico homini comparat.

FOeliciter puto successit prima perconctatio, secundam facis. Experiri vis (vt arbitror) in demonstratiuo

causæ genere, quid possim. In laudibus potius, quàm in contrario me probasses velim, sed quando sic placitum tibi, & sine nomine res agitur, quamuis exacta periphrasis vicem proprij nominis obtineat, & hic quoque quæstioni tuæ morem geram. Is de quo quæris

Scurra vagus est,

Est qualem describit Horatius:

Qui non certum præsepe teneret
Impransus non qui ciuem dignosceret hoste.

In summa omnium importunissimus, qui vnquam parasiticæ arti operam dederint: nihilo tamen fœlicior, quàm si omnium desidiosissimus foret, non tam vel natura scopulū, vel grandinem agricola, vel mercator furem, quàm eum omnes metuunt omnes declinãt, omnes cedunt semita, quasi oneratus spinis aduenìat. Vbique vias vacuas, deserta atria, obseratas fores inuenit, perinde aduentu eius fugitur, ac si in gremio bellum ferat. Nunquam tamen incommodius ista contingũt, quàm hoc anni tempore, Æstas vtcunque pauperum portus est. Vna arbor, & vestem, & cibum, & tectum, & cubile suppetit. Nũc quid agat? conspirat hyems senectus, inopia, nullus opem fert, & (quæ omnium rerum durissima) sine miseratione miseria est. Vidi illum hodie valido aquilone iactatum, ibat altè succinctus, dederátque omnia diffundere vẽtis, Maroneæ Veneris in morem, Si fuluum lupi de pelle galerum tegmen capiti habuisset. In reliquis, hernico à Pelasgis accepto habitu, in bellum ibat: sinistri enim pedis vestigia nudus erat. Ea rabies vrgebat, vt conuenire sibi posset, quod apud Plautum de se præceps ille Parasitus prædicat:

Nam meus est balista, pugnus cubitus catapultust' mihi,
Humerus aries:

Talis erat: ita tamen vt inter minas diuturnæ famis vestigia cernerentur, hominem denique (vt Plautus idem ait) neque ieiuniosiorem, neque magis effractum fame vidi, nec cui minus procedat, quicquid facere occœpit. Postremò dum è conspectu in angiportum deflexisset, vt pyraticum velut Scalmum latebris euaderem, vidi illum in transitu fumi globos per nebulas exhalantem, ceu Caci

spelun-

speluncam, aut quamlibet Æolicarum insularum præteruehérer. Audiui nescio quem tremulum atque confusum illi è faucibus erumpentem sonum, quid dicere vellet ignoro, tam concisim verba frangebat, sed puto proprios pedes ac scapulas, illo Satyrico solaretur elogio:

Durate atque expectate cicadas.

Habes quod optabas: maledicum me fecisti. Vale.

FRAN. PETRARCHA. THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. XI.

In eundem senem Dialecticum inuehitur.

ECce iterum tentamur. Dialecticus tuus vt scribit, quiescere non potest. Miraris? Mirarer ego si quiesceret, cuius gloria in strepitu & conuitiis sita est. Sed bene habet, quod nec ille scribere aliquid nouit, nec eum hic exaudio, ita & aures interiecto maris ac terrarum spatio, & oculi mei illius ignorantia tuti sunt. Totum importunæ collocutionis pondus in tuum caput refunditur & meritò, quoniam literas meas Dialecticis ostendisti. Ex omnibus sanè quæ de illius raucissimo latratu collegisse te dicis, hoc primum erat & maximum quod artificium nostrum omnium minimè necessarium dicit. Ecce iam virus, quod in aliis literis minabatur, euomuit: sed est-ne hoc, quod in studia nostra se inuecturum prædixerat? Præclarè quidem. Artificium (inquit) vestrum ex omnibus minimè necessarium. Primum de artificio videamus: nescio enim, quid artificij nobis attribuat: sed puto de Poëtica eum intelligere. Hanc minimè necessariam dici non inficior, idem enim videtur & nostris:

Namque animis natum inuentumque poema iuuandis.

Et Flaccus ipse testatur, & res ipsa docuit Poëticam delectationi atque ornamento esse, non necessitati editam. Viuat ergo Dialecticus tuus, & cornutis semper affluat syllogismis, quando & nobiscum sentit, & non est ignarus omnium, vt rebar. Sed nequaquam his terminis continetur torrens & feruidum ingenium. Quid ergo? Rapidum enthymema contorquet. Si minus necessaria (inquit) at minus nobilis. O quam malè tegitur insania. Iam

se non Dialecticum modò, sed phreneticum ostendit. Ergò sutrina & pistrina vilissimarum mechanicarum artium, si necessitas nobilitare illas potest, nobilissimæ omnium fient: philosophia autem & reliquæ omnes, quæcunque beatam atque excultam & ornatam vitam faciunt, si necessitatibus nil conferunt, ignobiles. O doctrinam nouam & exoticam, ipsique (cuius nomen infamant) Aristoteli incognitam; Ille enim ait: Necessariores quidem omnes, dignior vero nulla. Legat primum Metaphysicæ librum, & inueniet. Sed in ignota regione verum sequi, & scrupuloso tramite senem ire iubeo: non paruus labor. Vale.



FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. EPISTOLARVM DE REBVS FAMILIARIBVS,

LIBER II.

FRAN. PETRARCHA PHILIPPO CAVALLICENSI EPISCOPO, S. Epist. I.

Propter obitum fratris mærentem consolatur.



INGENS scribẽdi negotium mihi nunc adimit virtus tua: vt enim corporis, sic animi grauius affecti, difficilior cura est: vtrique autem sano, aut nullis, aut planè leuioribus remediis est opus, vtque illic Medico, ita hic consolatore minus, imò verò nihil, est opus. Tecum ergo, vir optime, acuratiùs agerem si te fregisset aut strauisset aduersi-

uersitas: nūc cùm fortunæ impetum forti animo tuleris, cōsolatoris mihi partes eripiens, laudatoris ac miratoris officiū reliquisti: qua in re vt dicebā operosioris styli mihi materiā præcidisti: cōsolatio enim, vt mœsti auditoris animū penetret, eget multa verborū maiestate, eget grauibus animosisque sentētiis, virtuti testimoniū simplex & incultū sufficit, nec oportet veritatem rerū fictis adumbrare coloribus, quoniā virtus ipsa sibi plaudit, & proprio contēta præconio, alterius theatri strepitū non requirit. Venerā ad te nuper acri rumore perculsus immaturæ mortis amantissimi fratris tui, & quàm concussus esset animus tuus, ex mei pectoris mansuetudine metiebar, nec cogitabam quosdam ictus inualidis tyronibus fuisse mortiferos, quos spreuisset fortis & expertus miles, quosdam alieni sanguinis effusione perterritos exclamasse, ingemuisse, expalluisse, sæpe in extasim concidisse: cùm tamen interim quorum ille pectoribus emanabat, taciti & intrepidi starent, siccísque oculis vulnerum suorum flu- ta conspicerent. Veneram itaque mœstus & ad bene valentem Medicus æger accesseram: inueni faciē tuā inter affectum debitæ pietatis, ac decorē propriæ honestatis, fraternæ compassionis & virilis animi signa preferentem vtrunque mihi placuit; alterum mansuetudinem, alterū sapientiā tuā decet. Humanum est in morte suorum pietatis testes lachrymas fundere; virile est modū illis imponere, eásque cū aliquandiu fluxerint coërcere. id te vtrunque, quum decuit, implesse vultus tui habitus designabat. Accesserunt & verba maximorū plena sensuum, ex quibus ego, qui consolandi proposito adueneram, non tam tibi opē meam necessariam cognoui, quàm ipse solamē curis meis elicui. Nihil ego consolantis in morem locuturus, laudo, probo, admiror & stupeo magnitudinem animi tui, Fratrem optimum amisisti, imò verò non amisisti, sed in patriam præmisisti, ad quam tibi quoque veniendum est; Sed loquamur vt vulgus, non sentiamus vt vulgus; Amisisti: non amisisses, nisi foret iste mortalis, querela est igitur nō de vni⁹ hominis morte sed de mortalitate naturæ, quę nos ea lege introduxit in hāc vitā, vt egrederemur ad reuocātis imperiū. At reuocauit

ante tempus, & præcipiti edicto fecisse videtur iniuriam. Nullum hic præfinitum tempus est: sine termino debitores sumus, si essemus in diem obligati, possemus vtique differre, tergiuersari, & exactricis auaritiam culpare. Núc de celeritate conqueri non possumus, quasi ante diem repetatur quod statim vt accepimus, debuimus. Sed poterat vlterius viuere, poterat & citius mori, poterat & aliter mori, & quanquam honesto viro nulla mors possit inhonesta contingere, poterat tamen durius mori. Iste verò sic vixit, sic mortuus est, vt Deo gratias agere debeas, & quod talem dedit, & quod taliter abstulit, & si fata rerũ humanarum, ac varietatem casuum recognoscas, non solùm nõ lugebis, sed fortassis etiam gaudebis extinctum: sæpe enim mors labores vitæ præsentis intercipit, sæpe præoccupat: quis anxietates, solicitudines mundi huius, Quis miserias, quis ærumnas, & tot contumelias fortunę, Quis animi, corporisque pericula, & in vtrunque ius habentium morborum turbas enumeret? Quibus etsi omnibus premimur, semper tamen subiacemus, donec nos ab eorum potestate suprema dies exemerit. Ab his omnibus itaque frater tuus, beneficio tempestiuæ mortis immunis est. In hoc autem, Pater benignissime, fallimur, & nimis vulgariter erramus, quod morientes dicimus vitæ commodis abduci, qui tamen, siquis altius consideret, ab innumerabilibus malis morte discedunt! Quod facillimè possem & auctoritatibus, & rationibus, & exẽplis ostẽdere, nisi quia lõgum sermonẽ epistolæ breuitas non capit, Iã ergo fœlix adolescẽs, ista nõ metuit: euasit enim hinc, & modicum discessit à nobis, talem sui nominis odorem post se relinquens, vt non parua dulcedine memorantium sensus & corda permulceat. Ad hoc (inquiet quispiam) dolemus, quod bonum nobis & egregium virum mors præripuit: laus enim defunctorum quadam damni memoria lachrymas viuentibus excutit, & inconsolabilem gemitum parit irreparabilis iactura. Non sum nescius hoc à plerisque dici solere. Ego autem (vt viua voce tecum dixisse memini) longè aliter existimo. Agebatur ad supplicium Socrates iniquissimis iudicum sententiis, eóque animo ibat ad mortem, quo steterat semper in vita ma

ta magno quidē & recto & qui fortunæ iugū ferre non posset. lætus erat quòd tyrannorum minas, quas viuendo despexerat, moriendo relinqueret. Hunc tali constantia porrectum sibi à carnifice veneni vasculū iam labiis applicantem multum dispariter affecta vxor auertit. cuius inter cætera fœminei vlulatus commiseratio viri erat quòd is iustus atq; innocēs moreretur. Quod ille audiēs, & à potu tantisper in vxorem versus. Quid ergo? An tu (inquit) satius putabas, nocentem & iniustum mori? Hoc ille quidem eleganter vt reliqua. Ego itaq; vt eò vnde discesseram reuertar, à plurimorum opinionibus auersus sic cēseo lugendam esse malorū mortē, quæ animam simul & corpus interemit, contráque bonorū exitium gaudio prosequendū, quòd eos Deus ex hac valle miseriarū misericorditer eruens ad lætiora traduxerit. Nisi fortè fratris tui mors ideò acerbior visa est, quòd eum procul à finibus patriis inuasit: sed non sumus vsque adeò rerum ignari. Scimus à Poëta verissimè dictum esse, quod omne solum forti patria est. Et tamen hoc vero verius est, quod ait Apostolus: Non habemus hic manentem ciuitatem, sed aliam inquirimus. Videntur hæc sibi inuicem aduersa, sed non sunt, quisque pro diuersitate loquentium, satis breuiter quod sentiebat expressit, & quamuis aliter atque aliter, vterque tamen verè. Si Poëtam sequeris, nō potuit frater tuus extra patriam suam mori: at si credis Apostolo & omnes extra patriam morimur, vt sic tandē in patriam reuertamur. Et sanè vtramuis sententiā sequaris, nihil inuenies cur de fatalis zonæ distātia cōquideraris. Detur fortasse viuētibus, vt quibusdam seu honestis affectibus seu turpibus inducti locū vnū alteri præferendum esse contendāt morientiū certè nihil interest, vbi potissimū moriantur. Et si cui contrarium videtur, adhuc se nutricis & mulierculárum erroribus imbutum norit. Interrogatus Philosophus, Vbi sepeliri mallet Nihil mea interest, respōdit vndique enim (inquit) ad inferos tantundē viæ est. Nos quibus ascendēs CHRISTVS in cœlum ascendendi spem reliquit, dicamus aliter. Quid refert vtrum in Italia, an in Galliis, an in Hispaniæ finibus, an in rubri maris littoribus iaceamus? Vndique ad cœlum tantūdem viæ est.

Illa nobis via calcãda est, arcta quidẽ & difficilis, sed ducem habemus, quẽ sequẽtes aberrare nõ possumus. Si ad illam viam spectamus, quid ad nos pertinet, vbi hæc corporum sarcinam deponamus? nisi suspicari libeat difficiliorẽ fortunam esse longè iacentiũ corporum reassumptionem in die nouissimo. Sed hoc religiosissima & verè tali digna filio mulier non timebat, quæ moriens ordinánsque de sepulchro, *Ponite*, ait, *hoc corpus vbicunque, nihil nos eius cura conturbet*. interrogatáque, Nunquid non procul à patria mortem formidaret? Vide quid respondit: *Nihil est* (inquit) *longè Deo, neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine sæculi, vnde me resuscitet.* Hæc mulier illa catholica, nos qui & catholici sum⁹, & viros pollicemur, nũquid muliebrius sentiemus? Sed scio, quid acerrimè lugeant superstites in mortibus amicorum, quod videlicet nunquam eos reuisuri sint, quos sũmo amore dilexerũt. Paganorum sit ista crudelitas, eáque non omniũ, sed eorum tantùm qui animos putãt cum corporibus interire. Certè M Tullius, quem paganũ fuisse sicut notissimum, ita dolendũ est, credens animam immortalẽ, & gloriosis spiritibus post hanc vitã cœleste habitaculũ patere, non hæc opinabatur. Nunquã enim M. Catonem illũ senem induceret in eo libro, qui inscribitur Cato maior, sperantem & verbis talibus vtentẽ: O præclarum diẽ, cum in illud diuinorũ concilium cœtúmque proficiscar, cúmque ex hac turba & colluuione discedã. Proficiscar enim, non ad eos solùm viros, de quibus antè dixi, sed etiã ad Catonẽ meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior. Et rursus eodẽ loco quidem inquit, Efferor studio Patres vestros, quos colui & dilexi, videndi, neque eos solum cõuenire habeo, quos ip se cognoui, sed illos etiã de quibus audiui & legi, & ipse cõscripsi. Hæc & his similia, quæ apud Ciceronẽ Cato loquitur, satis quid vterq; crederet testãtur. Illi tamen vtcunque crediderint, quorũ magna ex parte spes inanes ac fallaces fuerãt, nobis ab illo, qui & falli non potest, & fallere nõ nouit, spes certa præstatur, illuc tandẽ, quo fratrem tuum translatũ cõfidimus esse venturos. Sed quid interim faciam? dixerit aliquis: Desiderio torqueor, amore langueo, auiditate

cruciot

cruciot fratrem reuidēdi. Quid facias aliud, nisi quod facere solent, qui casu aliquo à personis charissimis auelluntur? Memoriā retineat, & absentium imaginem pro fundamento custodiunt, illos amant, de illis loquuntur, illis prosperum optant iter. Idem fac (& certus sum iam fecisti) fratrē tuū in ea parte cordis abscōde, vnde nulla eū pellat obliuio. Illum dilige sepultum vt viuentē dilexisti, vel etiam multo vehemētius. Illum coge sæpius ad te reuerti cōmemoratione pia & frequēti. Precare iter vt faustū sibi cōtingat & calcatis perfidi hostis insidiis, velox in patriā reditus. Neque enim hæc aut patria nostra est, aut fuerat sua, vbi & nos peregrinamur. Adhuc & eū irritis votis expectauimus, ad meliora properātem. Exiliū est hoc, ipse in patriā profectus est. Oremus vt sospes, & sine labore perueniat, id illi prodesse poterit: id agamus. piū obsequij genus est pro defunctis orare. Lachrymæ autē sunt arma mulierum, viros nō decēt, nisi moderatissimæ forsan, atque rarissimæ: alioquin & fudētibus ea officiunt, & illis non proficiunt, quorum amore funduntur. Siquibus etiam nunc desiderij stimulis vrgeris, cogita id diuturnum esse non posse: breuis est enim hominum vita, vt si ad nos non sit ille reuersus, nos tamen ad illum oporteat satis celeriter proficisci. Omnia autem breuia (vt ait Cicero) tolerabilia esse debent, etiamsi magna sint. Frater tuus ereptus est mille laboribus, & verisimiliter speratur ad æternam requiem peruenisse, aut de proximo peruenturus: nos in sæculi fluitantis agone remāsimus. Quamobrē si quis propter seipsum, quod relictus est deflet, videat ne meritò possit audire Tullianum illud: Suis incōmodis grauiter angi, nō amicū, sed seipsū amātis est: si verò propter illū, verēdū est (vt idē ait) inuidi magis quàm amici sit. Hæc nō tā ad informationē, quàm ad gloriam tuā retuli quoniā sicut incœperā, gratias cōsolatori æterno, tu externa cōsolatione nō indiges, quāquā quid etiā indigēti cōferre potuissē: hæ literulæ raptim de arescētis ingenij scatebris expressæ. Superuacuum est deinceps illorum exempla subtexere, qui suorum mortem fortiter tulisse memorantur & tamen vt intelligas, quorum ego te numeris ascribo, tantóque fretus comitatu, hæreas, in incœpto, quantū memoria complecti potuero

pauci enim libelli me in hanc solitudinem sunt secuti) aliquot nobiliora exempla ex omni copia vetustatis inter seram. Æmilius Paulus, vir amplissimus, & suæ ætatis ac patriæ summum decus, ex quatuor filiis præclarissimæ indolis, duos extra familiam in adoptionem alijs dando ipse sibi abstulit, duos reliquos intra septem dierum spatiū mors rapuit, ipse tamen orbitatem suam tam excelso animo pertulit, vt prodiret in publicum. Vbi audiente P. R. casum suum tam magnificè consolatus est, vt magis metueretur, ne quem dolor ille fregisset, quàm ipse fractus esse videretur. Ex quo nō minorē, iudice me, gloriā cœpit, quàm ex triūpho quē illis diebus speciosissimū egerat. Per illū enim Macedoniæ, per hoc mortis ac fortunæ victor apparuit. Pericles Atheniensis dux, intra quatuor dies duobus filiis orbatus, non solùm non ingemuit, sed nec priorem frontis habitum mutauit. Cato senior ille (cuius suprà mentionem habui) quātum laudetur ab omnibus nullus ignorat, qui modò vel tenuiter nouit historias. Quódque maius est, sine vlla historiarum notitia sic iam apud cunctos huius nominis fama percrebruit, vt eo audito vix quicquam ad sapientiæ summam adiici posse videatur. Ita fit vt non magis veterum iudicio quàm modernorū consensu Cato sapiētissimus habeatur. Atq; inter multa præclara hominis illius nihil singularius admiramur, quàm quòd mortē filij optimi viri modestissimè datur tulisse. Xenophon filij morte nunciata, sacrificiū (cui tunc intererat) non omisit coronam tantùm quam capite gestabat deposuit, mox interrogans diligentius, atque audiens, quod strenuè pugnans cecidisset, coronam ipsam capiti reposuit, vt ostenderet de cuiusquā morte non dolendum, nisi turpiter & ignanè morientis, quo metu verisimile est virum sapientem veréque Socraticum ad primum nuncij relatum deposuisse coronam. Anaxagoras mortem filij nuncianti, Nihil (inquit) nouum, aut inexpectatum audio: ego enim cùm sim mortalis, sciebam ex me genitum esse mortalem. O verè dignum homine responsum. Quàm multi sunt è medio etiam grege Philosophorum, qui etsi naturæ conditionem amplecti simularent, tamen peruersum moriendi ordinem taciti

non

non tulissent. Anaxagoræ verò nihil inopinatum poterat cõtingere: cogitabat enim assiduè (quod est apud Senecam) omnia & mortalia esse, & incerta lege mortalia. Quódque alio quodam loco ait idem, sciebat sibi omnia restare. Ideóque quicquid factũ esset, dicturus fuerat Sciebam. Multa nunc vltrò equidem cõstantiæ similis exẽpla offerunt, sed Epistolæ modus plura non recipit: finem igitur imponam. Etsi cui forsan patientia tua, ab his laudatissimis actibus aliena videbitur, propterea quod tu non filium perdideris, sed fratrem, æquo animo patiar vnumquemque sẽtire quod opinio sua fert. Ego quidem in mei pso alterum casum duntaxat expertus sum, fillj amissionem nõ noui, at fraternæ necis vulnus excepi, de hoc certius loqui possum. Nihil itaque contendo, neque luctus inuicem confero sed illud scio, sæpe facilius amissum filium restaurari posse quàm fratrem. Vale.

FRAN. PETRARCHA CAVILLICENSI EPISCOPO, S. Epist. II.

De Varijs sepeliendi ritibus.

AMicum bonum periisse tibi doleo, sed magis in te rectum periisse iudicium indignor neque enim aut te ipse satis viriliter, ne dicam Philosophicè consolaris, aut illum, qui flendus est, defles, si modò quisquam viri fortis exitus non inuidiosus potiùs quàm miserabilis videri potest. Nam (vt epistolæ tuæ sensum breuiter stringam) non tam mihi videris aut damnum tuum, aut amici parumper festinatam mortem (vbi parcere possem vulgato forsitan errori) quàm genus mortis, atque inhumati corporis iniuriam, iactatum mari Ægyptio cadauer deplorare. Hanc non vulgarem magis quàm anilem querimoniam ferre nõ valeo. Non-ne enim, quæso, de genere sepulturæ tam scrupulosæ sollicito illud occurrit. Sepulchri facilem esse iacturam? An Maronei versiculi nil aliud clamantis oblitus es. qui adeò pueris etiam notus est, vt iam in prouerbium abierit. Quod si ad mortem respicis, falleris; si per hãc fœlicem aut miserum fieri putas? Satis est notus versus alterius Poëtæ:

Non fit morte miser.

Vita est, quæ miseros facit & beatos, quam qui vsque ad extremi fugam spiritus bene egit nullo eget amplius, fœlix est, securus est, in portu est. Quid ergo ad summam fœlicitatis huius pertinere arbitraris? vtrum tellus illum opprimat, an pelagus voluat, an flamma consumat? Sed quoniam te de sepultura singulariter, præque omnibus anxium intelligo, quanto tu beatiorem æstimas hunc tellure demersum quàm illum alterum fluctibus obrutum? Propter vnius credo Virgiliani carminis horrorem, quia scilicet

Vnda feret piscésque impasti vulnera lambent?

Quid autem, si alterius vulnera rabidi canes absumpserint, si famelicorum grex luporũ effossis tumulis membra discerpserint? Respõdebis (vt arbitror) & hos itidem infœlices. Ita iam ex omnibus fœlices erunt, quibus inconcussa contigit requies sepulchri? Nihil hac opinione puerilius: cùm enim cuncta prouideris, negata belluis viscera, infestis vermibus negare non poteris. Iam cernis, qui cõtactum pulcherrimorum fortassis animalium formidabas, quid à turpissimis necessariò sis passurus. Verùm ista non adeò metuuntur, quoniam vsu iam quotidiana sunt. Vides itaque (quod sæpe dicere soleo) nec mea solum est, sed illustrium Philosophorum sententia, quicquid in hac vita patimur molesti, non tam ex ista rerum natura, quàm ex nostræ mentis imbecillitate, siue (vt eorum etiam verbis vtar) ex opinionum peruersitate procedere. Noua timemus, vsitata contemnimus. Cur quęso, nisi quia in altero mens inermis improuisa rerum facie turbatur, in altero frequenti meditatione rationis clypeum fabricata est, quem asperitatibus cũctis opponeret? Respice nautarum morem, quàm æquo animo patiũtur corpora suorum in fluctus effundi. Vnũ de multis exemplum illustre non sileo. Lambas de Auria, vir acerrimus atque fortissimus, dux Ianuẽsium fuisse narratur. Eo maritimo prælio, quod primũ cum Venetis habuerunt (omnium memorabile quæ patrum nostrorũ tẽporibus gesta sunt) hostili classe conspecta, vbi pugnandi horam aduenisse cognouit, numero licet inferior, tamen suos pro

tem-

tēpore magnificè ac breuiter adhortatus, manū cū hoste cōseruit. Cūmq; in eo cōgressu filius illi vnicus florentissimus adolescens, qui paternæ nauis proram obtinebat, sagitta traiectus primus omnium corruisset, ac circa iacentē luctus horrēdus sublatus esset, accurrit Pater, & nō gemēdi (inquit) sed pugnandi tempus est. Deinde versus ad filium, postquam in eo nullam vitæ spē vidit. Tu verò (inquit) fili nunquam tam pulchrā habuisses sepulturam si defunctus esses in patria. Hæc dicēs, armatus armatum tepentéq; complexus, proiecit in medios fluctus. Ipsa, vt mihi quidem videtur, calamitate fœlicissimus, cui talē casum cōtingit tolerare tā fortiter. Factū nēpe eius ac verba, accēsis animis, egregiā illo die victoriam peperit. Nec minus ideò pius est habitus, quā si incūbens cadaueri, ac muliebriter ingemiscēs, in eo præcipuè rerū statu cum sūmo suæ Reip. discrimine torpuisset. Tu genas vnguib. foderes tale aliquid in tuis videns, non tā propter mortis dolorē quàm propter ignominiā sepulturæ. Nautici ergo homines, quod amicis cariturі sint dolent vt cæteri, quòd mare illos habeat, æquabiliùs ferūt, idq; euenit, quia talia perpeti longa cōsuetudine didicerūt. Quid ni igitur indigner cū Cicerone, plus vsum posse quā rationē? Poterit natura rudis sine lachrymis cernere, quia consueta, quod tu Philosophus nō poteris ratione fretus, & tot bonis artib. instructus tum tuorū exemplorū copia suffultus? Animaduertere licet ex historiis multiplices hominū ritus in sepulturis, & ab vsu nostro multipliciter abhorrentes. E quibus quosdā suorū corpora domi seruare summo studio cōdita: quosdā ea bestiis obiicere solitos, ad id vnū pro singulorū facultatib. multò antè cōparatis ac nutritis, & generosi canis aluū, optimū sepulturæ genus opinari: quosdā verò per seipsos deuorasse legimus. Artemisia illa Cariæ regina, cōiugalis amoris exemplum inter cuncta celeberrimū, nihil habuit, quòd viro tā dilecto dulcius præstaret, quā vt defūctū viuo cōderet sepulchro. Redactū enim in cineres, sūmáq; parsimonia reseruatū, paulatim potui superfundēs, bibit. & amato corpori tale sui corporis hospitiū dedit. Nec illud modò quæritur, rectè-ne id fecerit: illúdq; potius agitur vt intelligas

omnia quibus agimur, in opinionibus non in rebus esse, inque his gignendis alendísve consuetudinem posse quàm plurimum. Illa virum, quem amauerat consumpsit, tu si quam ex nostris mulieribus idem facientem videris, obstupesces, & abominatione spectaculi oculos auertes. Fiat idem vbi fieri solitum est, nec humanitas, nec insignis amor, sed vulgare obsequium dicetur. Non oportet peregrina conquirere, maioribus nostris in hac ipsa Italia mos fuerat suorum corpora flammis exurere, quem morem & historiarum fides, & vsque ad nostram ætatem inuentæ sub terra vrnæ cum cineribus testantur: neque tamen ea peruetusta consuetudo est. Ante enim (vt nunc) toti humabantur, donec id remedij genus inexplebili odio bellorum ciuilium in sepulchra etiam sæuiente commenti sunt, séque ope flammarum hostili ludibrio subduxêre. Itaque Scipiones, vt, qui meritò se Reip. charos scirent, omnes integri iacuêre. Nec omnino vllus in gente Cornelia vstus est ante Lucium Syllam Dictatorem. Is primus omnium contra familiæ suæ morem, multorum sibi conscius odiorum, corpus cremari suum voluit, nominatim veritus (vt ferunt) ne in se Mariana factio post obitum auderet, quæ ipse ausus fuisset in Marium. Valuit exemplum, secutíque sunt factum, quibus facti ratio nulla erat. Sed postquam cremandi mos inualuit, vsúsque sua esse cœpit auctoritas, tum demum quod remediũ fuerat, decus fuit, & ex illo probrum ingens visum supremis ignibus caruisse. Hinc laudata pietas, quæ pauculis lignis collectis in littore Niliaco truncatum impiè Magni Pompeij corpus cremare non tam potuit, quàm voluit: inde sibi partum nomen. Quis enim Codrum hunc nosset, nisi Pompeij membris faculas inferentem? Ille autem Codrus Atheniensis alia pietatis genere, & propria morte cognoscitur. Nunc defunctos comburere extremæ fuerit, vel iniuriæ, vel vindictæ. Vnde hæc in vna eadémque gente varietas? Nimirum decursu temporis mutati mores opiniones hominum alternant. Nec rursus id quæro, de quo magnos interdum viros differentes audiui: Vter esset sepulturæ modus honestior, an ne quẽ maiorũ nostrorũ memoria, quémque multis adhuc gẽtibus

seruari

seruari fama est, lege addita, quæ sepeliri hominem in ciuitatibus vetat, quibusdam paucis admodum exceptis, quos singularis virtus legibus solutos fecit, cuius tertio de legibus meminit Cicero? An hic noster, quem à vetustioribus resumptum Christianę religionis vsus obtinuit? Non ea mihi nunc cura est. Id potius, quod agebam, perago, ideò multa nobis horribilia videri, quia consuetudine longa varios concepimus errores, quæ apud alios diuersa consuetudine non timentur. Si verò tu mihi (quod professionis tuæ proprium est) cæteris spretis, veritatem rerum, non vuulgi rumoribus, sed insita ratione quæsieris, inuenies virum sapientem, opinionem ab erroribus auertere, & aut miserari delirantium greges, aut ridere. Vale.

FRAN. PETRARCHA SEVERO APENINICOLAE. S. Epist. III.

Exilium quid, & exul quis.

EXilium etsi ab exiliendo tractum rear, vel vt Seruio placet, ab eo quod quis extra solum erat, non tamen exilium esse, nisi inuito accidat, annuerim. Alioquin sæpe à regnis suis reges exulant, eóque maximè tempore, quod prorogandis tuendísque regni finibus, & propagandæ gloriæ impenditur, quando nemo illos exules dicere audeat, nisi à quo ratio omnis exulauerit: quippe cum nunquam verius & sint, & dicantur reges. Aliqua ergo vis, dolórque aliquis interueniat oportet, vt exilium verum sit. Id si recipis, iam cernis in tua manu situm, vtrum exul an peregrinus sis. Si lachrimans, si mœstus, si deiectus exiuisti, exulem te procul dubio noueris: si verò nihil propriæ dignitatis oblitus, neque coactus, sed libens, & eodem habitu frontis atque animi, quo domi fueras, iussus exire paruisti, peregrinaris profectò, non exulas. Nam & in cæteris formidatarum rerum generibus, inuenies neminem esse miserum, nisi qui se miserum fecit. Sic pauperem non rerum paucitas, sed cupiditas facit: sic in morte (quæ exilio simillima est) non tam rei ipsius asperitas, quàm trepidatio & opinionis peruersitas nocet, quibus amotis, multos aspicies non modò

æquanimiter, sed lætè etiam ac fœliciter morientes. Ex quo nimirum intelligitur non esse necessarium, sed spontaneum mortis malum, nec in re ipsa, sed totum in obliqua mortalium existimatione repositũ. Quod nisi ita esset, nunquam in periculo pari tanta esset imparitas animorum. Eandémque rationem video exilij quàm cæterorum omnium, non in illo, sed in nobis esse quo vincimur, opinionem scilicet, quæ vbi paululum à veritate deflexerit, mox innumerabilibus iactatur erroribus, vt ad verum difficillimè redeat, séque nisi multum adiuta non erigat ad intuendum propriæ originis maiestatem. Vt enim cœptum persequar, quid exilium quæso? Ipsá-ne rei natura, aut intermissio dilectarum personarum? An indignatio potiùs & impatiens desiderium animi, languentis, exasperati? Quod si tu mihi quicunque à patria absunt, exulare sine vlla distinctione firmaueris; rari ergo non exules. Quis enim hominum, nisi desidiosus, ac mollis, non aliquotiens aut visendi auidus, aut discendi studio, aut illustrandi animi, aut curandi corporis aut amplificandæ rei familiaris proposito, aut necessitate bellorum aut suæ Reip. seu domini, seu parentis imperio, domum liquit & patriam? Cur autem ita peregrinantes non miseri omnes sunt, nisi quia restiterunt, nec impelli seipsos in miseriam passi sunt? Æquè etenim caruerunt coniugio, liberis, cognatis, parentibus, amicorum conuictu, amatæ vrbis aspectu: horum tamen omnium desiderium leniit modestia, & solamen aliquod inuenit absentiæ, sed & multum profuit spes reditus. Nunquam iuissent tam constanti animo, nisi se redituros in patriam credidissent. Sit ita, tibi verò spem quis abstulit, præsertim cùm hæc sit vna ex omnibus, quæ ab inuito non eripitur? Pellitur in exilium vir bonus ad tyranni nutum, spoliatur rebus omnibus, in carcerem mittitur, detruncatur, laniatur, occiditur, insepultus abiicitur: inter tot minas atque impetus fortunæ cùm cogamur ad cætera, ad desperandum nemo compellitur. Vidimus in exilium missos, priusquam ad destinatum peruenissent, immenso patriæ desiderio reuocatos, alios verò post tempus tanto cum honore tantáque ciuium pœnitentia re-

uersos, vt mihi fœlices tali exilio viderentur, quosdam ab extrema inopia ad summas repentè diuitias, quosdam ex carcere ad imperium peruenisse, nonnullos collum subduxisse securibus, morti præreptos, & prosperitati eximiæ reseruatos. Nemo vnquam tam iniquo loco iacuit, vt non ei liceret oculos attollere: nemo tā deploratum rerū suarum vidit exitum vt prohiberetur sperare meliora. Ciceronem ab exilio Roma reuocauit, diebus paucis egregij ciuis præsentia carere vix potuit. Reuocauit & Metellum, cui cùm in spectaculo Trallibus sedenti honorificentissimæ literæ S P.Q.R nomine redderentur, nihil in lætitiam versus, eodem vultu fuit, quo mœnia vrbis exierat. Vir nec digressu fractior, nec insolentior reditu. Illic patriæ furori cessit, hîc desiderio paruit: illic modestus, hîc pius, vtrobique memorabilis. Tentauit pari facilitate Rutiliū, sed ille durior mansit, & patriam reditu censuit indignam suo. Eadem fuerat sors Marcelli, euentus longè alius, qui dum reuocatus à Cæsare, summo desiderio bonorū omnium rediens in hostem incidisset, effectum est, vt in locum prædulcis expectationis, publicus luctus incederet: cui mortē tamen illam nunquā exilio difficiliorem fuisse crediderim. Vna est enim virtus, quæ varijs licet asperitatibus perferēdis animos armat atque instruit. Fuerat autem hic in exilio talis, vt magnū sui præberet indicium, qualis futurus esset in morte, de quo non tacebo quid in libro de Virtute ad Ciceronem Brutus refert: vidisse se eum, videlicet, Mitylenis, exulem, tam infracto animo támque auido bonorum studiorum, tam denique fœliciter beatéque disposito, vt non ille sibi, quāuis longè relegatus, sed ipse potiùs exul, cùm ab illo discederet, videretur. Addit etiā C. Iul. Cæsarem, qui sibi & exulandi auctor fuerat, & postmodùm redeundi fuit, per ea loca transeuntem, verecundia permotum super exilio tanti viri, vrbémque ideò vbi ille tunc erat, de industria præteruectum. O gloriosum exulē, cuius exilium potentissimorū ciuium alter suspexit, alter erubuit! Sit Cæsar mundo terribilis, Brutus etiam Cæsari, vtrumque tamen reuerentia cepit exulis Marcelli. Quis exilium tale non cupiat, imò verò quis exilium, quod ipsis patriæ dominis inuidiosum

est? Illos commemoro, quos pœnitentia ciuium reduxit. Quàm multos autem fortuna restituit? Nunquam Camillum Roma vocasset: sors illi, & excidium vrbis (quis crederet?) ac fremens per Italiam transalpinarum gentium furor, viam fecit ad reditum, vt esset vnus (vix memorandum) cunctis exulibus, & bonæ spei simul & spectatæ erga ingratam patriam pietatis exemplar? Atque (vt aliquando ad nostrorum temporum acta trãsgrediar) Matthæus vicecomes, Mediolano patria præpotentis inimici viribus pulsus, quamdiu solus ac profugus & in summa inopia rerum omnium fuit, comploratus à suis, illusus ab hostibus? Quem ferunt die quodam curarum plenum, præter ripam Benaci lacus errantem, habuisse obuium superbi hostis nuncium atque ab eo Domini sui verbis interrogatum: Quid nam ibi tam incomitatus ageret? Nil aliud respondisse, nisi se retia tendere. Quod Responsum, tunc fortè contemptui habitum, breui quid mysterij importaret, innotuit Ita otiosus senex vnus aduersarios suos omnes, ceu totidem pisces esca spei inanis elusos, prouidentiæ suæ retibus circunuenit. Alio quoque tempore cùm ad eundem nuncius rediisset, & percontaretur irridens: Quibus itineribus, aut quando esset in patriam reuersurus? trãquilla fronte respondit: Tu verò abi, Dominóque tuo nuncia, iisdem me rediturum itineribus, quibus exiui, sed non antequàm sua crimina præponderare meis incœperint. Nec fefellit augurium. Siquidem non multò post in immensum auctis hostium sceleribus, quibus insolens dabat alimenta fœlicitas, Mediolanum, illis eiectis, victor ingressus est, in qua vrbe (vt vides) vsque in hodiernum diem & nepotes dominantur & filij Nec in hanc narrationem incidisse ideò videri velim, vt vel tibi, vel cuiquam viro bono auctor sim, aduersus quantumlibet malè meritam patriam arma capiendi (satiùs reor pauperem in exilio mori, quàm libertate turbata volentibus imperare) sed vt veteribus & nouis constaret exemplis, non posse per vim exulibus spem auferri. Et si animos difficultatibus obsessos ad patiendum erigit fortium virorum recordatio, accipe nunc etiam insigne recénsque aliud exemplum. Stephanus de Columna, summũ militiæ decus,

cus, cùm in omni fortuna gloriosus, tamen in exilio gloriosissimus & admirabilis fuit. Neque enim vna erat eius, & cæterorum exulum conditio: quibusdam extra patriam nobilibus tuto viuere permittitur, hi cùm patriam reliquerint, laxiorem retinent libertatem, aliis arctior dicta lex est, vt hoc, aut illo loco se contineant, illic habitantibus nil durius expectandum. Huic verò & Patria interdictum, & nullus in orbe terrarum tutus locus, nullus in tanta tempestate portus aut refugium hostem habuit, vt potentem, ita inexorabilem Bonifacium VIII. R. Pont. quem armis frangere difficillimum, humilitate seu blanditiis flectere nec possibile quidem esset: denique qué nihil nisi sola mors vinceret, sæuitum est inhumanè, petitúmque modis omnibus immerentis caput exulis, promissionibus, minis, potentia, dolis, auctoritate, pecuniis, ingentia persecutoribus præmia, fautoribus denunciata supplicia. Cum Stephanus nunc citra, nunc trans æquora, nunc disiunctissimas vtriusque maris insulas, Siciliam, Britanniámque, nunc extrema Galliarum soliuagus circumiret, egenus interea cunctarum rerum, sed prædiues animi. Itaque cùm Arelatem casu quodam in manus explorantium venisset, interrogatus, Quis esset? Nomen suum, quod dissimulare poterat, multis audientibus dixit, séque ciuem Romanũ intrepido ore professus est. Quanta autem, Deus bone, vnius capitis maiestas, quæ odiosas etiam & armatas manus à furore deterruit? Edicto proposito sollicitabantur reges, ne quis eum foueret hospitio, cuius obtentu cum Sicilia decedere iuberetur, eo animo paruit, vt exul in ea prouincia remansisse, rex abiisse crederetur. Sic illum, sic alios toto persecutionis suæ tempore reges vidit, tanquam ipse rex esset. Altissimo animo nec vllis aduersitatibus contracto, & supra fortunæ fluctus eminente, prorsus vt vni sibi dictum videri posset Poeticum illud;

Aspice securus vultu non supplice reges.

Quotiens Romæ, & per Italiam nunciata mors eius erat, quotiens actum esse de rebus Columnensium fama fuit, & cum illo viro egregiam corruisse familiam? Nulla vsquam de illo spes, præter quàm in solo ipsius pectore re-

stabat. Nunquam tamen inde discessit, quo minùs diebus ac noctibus versaret animosa consilia, & omnem laborem obiret imperterritus: vltrò enim in medio rerum suarum discrimine, amicorum bellis interdum, vtrique partium ignotus interfuit, & omnium confessione vnius hominis præsentiam est secuta victoria, haud ambigua, sed tibiipsi, quam mihi notiora recenseo. Quis ergo miserum dicat hunc exulem, cum quo tantus virtutum comitatus exulabat, quem post decennem sui experiẽtiam in priorem statum, vera animi magnitudo non fortuna reposuit? Sed quorsum hæc tam multorum exemplorum conquisitio? Vt nemo præsenti malo attonitus venturum opinione præoccupet, & mediocriter graui exilio grauissimum malorum omnium desperationem accumulet, præsertim cùm non solùm virtus operosa, ea quæ Stephanum ipsum in patriam reuexit, sed mutatis sæpe populorum moribus, vel dissentio simultatum, vel quæ feros animos mitigat longa dies, incidens commiseratio, non digna patientium, vel ipsa tacitæ virtutis admiratio, vel impensum ciuibus suis obsequium, vel publicæ necessitatis occasio, vel aliqua vis fortunæ finem imponere possit exilio. Ne quis præterea, quod ipse depulsus sit, virtutum suarum proiiciat ornamenta, graue cogitans pretiosissima rerum in exilium ferre, cùm viliora non liceat. Neque enim nouum est, vt efferentes gemmas, atque aurum, vrbana prædia, & omnem inutilem aut onerosam sarcinam, in incendio relinquamus. Quod si aurum inter pretiosa numerandum esse persuasum est hominibus, quid tandem de virtutibus iudicandum est?

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Atqui cùm nõ semper in exilium ferre argentum & aurum sinamur, quocunque ferimus, virtutes & bona animi ferre permittimur. Quod fecisse videmus eos, quorum tibi nunc exempla proposui, vt ad imitandum exardesceres, nec diffideres fieri posse iterum, quod totiens factum est. Licet in exilium, & carcerem, & in mortem ipsam ferre virtutes. Licet dixi, imò verò expedit, necessarium est, oportet, alioquin verè exules sunt, qui relictis his abeunt, verè inopes, verè infœlices & miseri. Nec satis

est,

est quantum habueris afferre, plusculum exigitur. Vide quam acuratè viaticum parat peregrè profecturus, copiosior cupit esse, quò longius pergit. Optimum tibi in hac peregrinatione viaticum ex virtutibus constabit, quibus affluentibus, etiamsi alimenta corporis desint, pauper esse non poteris. Has igitur congrega, his te vndique fulcias: præclaram tibi fuisse olim scio multarum virtutum supellectilem: non importuna, nec difficilis, sed agilis & amœna res est. Laboriosè (fateor) tanta res quæritur: cæterum postquam quæsita fuerit, sine labore circunfertur. Quæsiuisti eam ab adolescentia, seruasti eam domi, noli eam nunc senior & peregrinus amittere, sed quantum habuisti vel eò ampliorem, quò maior se ostendit necessitas, perfer, quanquam id tibi nolenti sciam euenturum sponte sua viaticum quidem hoc nunquam vsu consumitur, sed augetur potius: est enim ex virtutibus quæ vsu pullulant, & in mediis difficultatibus crescunt, donec possessorem suum ad supremum fœlicitatis culmen euexerint. Taceo nunc exilij tui non spernenda solatia, si sub Arcton æternum illud Scithiæ gelu, aut sub ardenti sole inhospitale mundi latus incolere iubereris. Denique propius licet, sed extra Italiam proiectus, haberes fortasse aliquid, quod fortunæ tuæ posses obiicere. Nunc vide, quàm digna querela tua sit. Iussus es Florentiam ire, & illic manere donec te populus reuocet Non ne animaduertis quantas grates agere debeas magistratibus tuis, qui te otio longo consopitum excitarent, & ex diuturna consuetudine maternis vberibus hærentem abduxerunt, téque ex patria (vt pace tua dixerim) multum impari in ciuitatem florentissimam transire voluerunt. Hoc (inquam) prætereo, quoniam sic sumus naturaliter affecti, vt incultum licet ac desertum scopulum, vbi natos nos educatósque meminimus, omnibus anteponendũ terris arbitremur. Quod si aliquãdo error iste cessaret, ignosceres profectò fortunæ, imò verò veniam peteres, quod beneficiũ suum non antè cognoueris. Adde quod duos præclaræ indolis filios tecum eduxisti alterum iuuenem, infantem verò alterum, peropportunis ætatum gradibus

distantes, vt scilicet cum illo curarũ sarcinam partiri posses, cum hoc etiam obliuisci. Hinc præsidium vides, illinc solamen profectionis tuæ, hi tibi dulcem patriam faciebant, hos habes, quid requiris aliud? Expectas vt vxor pudicissima, vt parentes optimi, vt blandissimæ filiæ reuiuiscant? Non illos tibi exilium abstulit, sed mors, quam cum totiens insultantem, & rerum tuarum dulcissima quæque rapientem viceris, non debes exilio vinci, quod te omnia vitæ prioris adminicula, & præcipuè natos tantorum pignorum reliquias auferre non prohibet. Verũ ego (vt dixi) & hoc solatium omne, quod fortunæ ictibus subiectum est sileo; scio quæ patriam abstulit, idem in filios ius habere: redeo ad virtutum stabiliora præsidia, quas tibi nec ciuium tuorum decreta, nec imperia tyrannorum, nec prædonum violentia, nec nocturni fures eripient. Hæc si tecum detulisti, mentietur quisquis te exulem dixerit; si autem reliquisti, omnes dies nouum aliquid quod lugeas ferent, omnis locus non molestus tantum, sed hostilis, nec exilium modò tibi, sed carcer erit. Vale.

FRAN. PETRARCHA SEVERO APENNINICOLAE, S. Epist. IV.

Exilium non ægrè ferendum.

EXcidisse tibi omnem spem video quod quàm rectè patiaris, epistola superiore testatus sum, doleóque nil illam tibi remedij contulisse. Nec satis scio, vtrum in Medico, an in ægrotante sit vitium, qui si ad salutem peruenire cupis, credulum te consiliis, & obsequentissimum medicorum legibus præstare debes. Ego quidem in illa id agebam, vt dimissa patria, spem seruares, cuius tanta vis est, vt præsentes molestias non sentiat, dum sibi lætiora promittens euenturum tempus cogitatione complectitur. Quid autem te sperare prohibebat? patriæne relegantis asperitas? Quænam verò, seu quid prorsus est tibi præter hoc vnum exilij nomen, ablatum, illatúmue quod doleas? An ad hæc tibi clarorum virorum exempla defuerant? Sed multa ante oculos posui, & plurima ponerẽ, nisi illa periissent, ex quibus agnosceres spem

be-

bonam euentus habere fœlicissimos. An verò timuisti patriam tuam sine fine sæuituram, quod tantillum ex solita dulcedine remisisset? Sed an ignorabas, nulli natorũ patres esse mitiores quàm ei, quem semel malè tractauerint? nullius amorem magis ardescere, quàm eius qui erga bene meritum se gessit asperius. At te magis exterruit edictum patriæ, quo pœnis adhibitis cauetur, ne reuocandis exulibus mentio vlla fiat ad populum. Scire autem debes, populorum voluntates sicut ingressu frementes & variæ sunt, sic progressu faciles & instabiles fore. Sed est quædam in animis mortalium, quam & tenuiter video & verbis consequi nequeo, miserabilis & funesta peruersitas, aures obstruentium aduersus salutares consolatorum voces, atque omnibus modis id agentium, vt miseriores fiant, neúe aliquid quod dolorem lenire possit, obrepat, quo nihil excogitari potest, ne dicã dementius esse. Nũc verò quoniam sic te affectum inuenio, vt desperationem reditus tui pro quadam (vt ita dixerim) voluptate suscipias, ab illa parte manum, retraham, in qua multùm intractabilem medicamenta nil releuant. Quid autem prohibet illorum more, qui vno aut altero membro perdito, ne per reliquum corpus infectæ partis contagia dilabantur, proxima circunliniunt, vulneris quoque tui oras ambire, & (ne in totum animum dolor serpat) conquisitis propè fomentis occurrere? Noli, quæso trepidare, non illuc digitos inferam, vbi tu forsan expectas. Nil contra opinionem tuam hodie dicturus sum; illud potius, ne cum vnius rei desperatione cęterarum omnium subeunte fastidio, totius vitæ tuæ tranquillitas pereat: enitor, quando ita vis, vt reintegrandæ tibi spei, nulla mihi spes superfit. Finge itaque in exilio viuendum tibi, in exilio moriendum. Habes, credo quod petis, vt me fauente, reditum in patriam desperare tibi liceat. Verùm vt cumulatiùs moderatur ægritudini tuæ, indulgebo tibi amplius, non vt in tantum exilio. sed toto diuisus vt orbe à terra moriare tua, ac tibi barbara tellus incumbat, plus ego quàm tuipse dolori tuo permisi. Tu lætius, nihil ego etiam tristiora proposui; nec tamen video quid in hac re tam miserum sit, vt virum fortem cogere possit ad la-

chrymas. Certè si aut insani amoris, aut ambitionis facibus ardere te crederem, quæ procul à patria conflagraturæ videntur intensiùs, vel si exilij comes inopia sequeretur abeuntem, multa mihi simul contrahenda fuerint, quibus seu blandum illud, seu ventosum malum mitigari posset, seu præstari solatium paupertati. Quæ quanquam mihi dictu facilia videri, & tibi auditu credibilia debuissent, non tamen facile variorum remedia morborum his explicabantur angustiis. Quam tristis enim res, quàm luctuosa sit iste, quem amorem dicimus: quàm miserabiles exitus inueniat, quàm fucata & mendaci fulgore cælata sit, quàm nihil eorum, quæ pollicetur, præstare possit ambitio; quàm magno animo tolerabilis sit paupertas, non potest à quoquam hominum breuiter dici. In præsenti verò quando nec amoris flammas, morum tuorum grauitas nouit, & si quid olim tale sensisses, iam ætas extinxit. Ambitionis præterea suspicionem, honorum per omnem vitam fuga nō recipit, & paupertatem remisit patriæ pietas. Magnus mihi labor vberioris consolationis eximitur. Patria tua nullo te alio affecit incommodo, quàm vt eius carentes amplexibus, omnia tua aut tecū sunt, aut tibi seruiūt. Non illa solum dico, quæ nec eripi poterāt, magnanimitatem, modestiam, aliásque virtutes, quæ siue Bias ille sapiens (vt Cicero, vt Valerius, vtque omnes) siue (vt Seneca ait) Stilbon, incensa patria profugus, sua secum se ferre gloriatur; sed vulgariter intelligo tua etiam quæ de fortunæ manibus accepisti. Veteris enim patrimonij dominus perinde locuples exul excedis, ac domi fueras ciuis, ac nescio, an eò fortè locupletior quò manentibus diuitiis sumptus est parcior. Accedit quòd maior pars hominum non prius se cadere posse quàm tota ceciderit, suspicatur: tu verò non cecidisti, sed impulsus es: integer igitur, ac rectus sentis. Iam (vt arbitror) nutare fortunam, & quam fragilibus fundamentis inhæseris, cùm tibi magnus videbaris, intelligis, nec deinceps dubitas eam quæ impulit, posse prosternere: ita (quòd rarissimis contingit) exul diues & cautior vadis, vt facilè duobus grandibus bonis malum vnum, & illud exiguum, consoleris, siquid tamen

tamen in vita bonum, nisi virtus, aut malum aliquid, nisi virtutis oppositum, dici debet. Vade itaque securus, non te repetet patria, non reuehet casus: at verò, quod tantoperè defles, exilium etiam pertinax illustrabit iniuria. Multos magnos viros calamitas fecit multos declarauit, neminem ex diuerso miserum fecit aduersitas. sed detexit, nec latitare diutius passa est. Quid palles, quasi magnum in te ius habeat fortuna? Non illa partes iudicis obtinet, sed testis. Qualis sis, in tua potestate est, nō est in illius, quale de te testimonium ferat, sed vt ferat, tantum mentiri non potest, loqui potest. Quis autē, nisi culpæ sibi conscius, testem metuit verè locuturum? Non est, quæ te ad ignauiam cogat. est quæ digressus tuos dinumeret, patientiam exerceat, suscipiat aut despiciat pectoris tui robur, denuum populo referat, quicquid inuenerit. Erige animum, discute tenebras errorum populariũ, non pateant aures tuæ muliercularum vocibus: nunquam lætus eris, nunquam securus, si te populo regendum tradideris. Quicquid magna pars hominum, aut miratur, aut metuit, ridiculum est; quicquid prædicat falsum, committe potiùs te paucorum consiliis. Non sunt, vt videntur, ista terribilia inter quæ vulgus exilium numerat, & si lectio longa non profuit, experientia proderit fortasse. Noli semper terram intueri, interdum oculos attolle, cōfestim veritas occurret, & exilium nihil esse fateberis nec peius viuere virum bonum quantumlibet procul à patria, imò verò non posse extra patriam viuere, cui totus hic orbis est patria. Quid enim refert quàm diuersa parte consistat, valles quidem & lacus, & flumina & colles alios videt, cœlum vnũ est: illi se infert, illuc animũ erigit, eò cogitationes suas ex omni mundi parte transmittit, nec aliud, quàm sub tecti vnius amplexu, ex alio in aliũ thalamũ transiuisse se cogitat. Tu quoque (nisi meam, & multorũ spem diutissime fefellisti) absit vt ad vnum huius immensi ædificij angulũ sis astrictus, quò minus vbicunque terram sub pedibus calcaueris, vbi cælum supra verticem videris, vbi te spirabilis aura perflauerit, patriam tuam voces. Erit igitur exilij tui non solùm facilis, sed iucunda conditio: cùm enim duo sint, quæ hominum affectum ad beneuolentiam excitent, Virtus

scilicet,qua(vt ait Cicero)nihil est amabilius,& immerentibus viris inflicta calamitas;quorum primum facit,vt amemus miremúrque claros viros, secundum vt misereamur afflictis. Alterum in hac tempestate tibi aderit,alterum adesse videbitur.Virum fortem sentient omnes,exulem dicent.Et sanè(si quid Tullio credimus)inter omnes virtutes fortitudinis splendidissimus vultus est,rursus inter hominis ærumnas non in vltimis numeratur exiliũ. Aut ego fallor,aut optandum est,ne fortè recens hæc ciuium tuorum ira lentescat, né-ve tibi hoc exulis nomen casus aliquis eripiat,in quo miseriæ nihil, fauoris autem & gloriæ vides esse quàmplurimum. Sed laborẽ (inquis) atque ignominiam reformidat animus. Primum nego tale hic aliquid inesse, vbi oblatam tibi magnæ laudis materiam, ac generosam fuisse linquendæ patriæ causam, alto animo obiectam tyrannis contumaciam scio. Vbi præterea otium, & quas semper optaueras, laborum ferias inuenisti.Denique qui ignominiam timet,quam peperit virtus, famæ non virtutis amicus est. Qui verò labores refugit, optare desinat gloriam, ad quam certè difficilis, sed clara(ni fallor) & delectabilis via fert. Tibi quidem vni (vt dixi) singulari quadam prærogatiua ingens gloria,nullis molestiis, nisi fortè quas tuipse tibi finxeris, quæritur. Illud enim vereor,ne alienis potiùs quàm tuis oculis susceptum vulnus aspicias, & casum tuum alieno metiaris arbitrio, quæ adeò quotidiana pestis est, vt ad clamorem alienum plerique titubent, & multò prius concidant,quàm impulsi sint quanquam satis impulsus videri possit,quem tot hominum millia pessimis opinionibus perurgere non desinunt. Sed vt valdè imbecillis virium est, quem lenis aura prostrauerit: sic prorsus insanum animi scito, quem videris res suas aliorum & præsertim ignorantium ponderare sermunculis, qui quò frequentiores sunt,eò cautiùs contagiosus morbus euitandus est passim tam multorum hominum corda corripiens.Si alios audire volueris, nõ deerunt qui fortunam tuam multiplicibus onerent querelis,qui te incolumẽ atque optimè valentem lugeant,qui femineces velut feretro viuentis assideant. Audies voces miserabiles;

vide-

videbis forsan & lachrymas, aut simulatas, aut amentiæ proximas; miser esse incipies, quia miseris aurem præbere consueueris: Nihil enim ferè est, quod conuictus assiduus in hominum ingeniis non possit. Quod si teipsum consulere, tecúmque quàm cum aliis loqui malueris, nunquam desinam de te grandia sperare, téque fœlicissimum iudice te dicere, & inuidiosum magis existimare quam miserum. Et si ad credendum aliis pronus es, cur & mihi non credis veriora simul, & gratiora referenti? Non tu (mihi crede) corruisti, nec corrues quidem nisi velis, nullam ignominiam passus es, sed adeundæ gloriæ penitus in limine optionem habes, vtrum gloriosus incedas, an retrocedas inglorius. Non labor est iste, sed requies: non exilium, sed libertas. Quam olim mira celeritate fugientem quærebas, occurrentem vltrò complectere:

Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?
Libertas, quæ sera tamen respexit inertem.

Ille in sermone pastorio, vt libertatem inueniret, patriã se reliquisse gloriatur? tu Philosophus defles. Vixisti aliis diu, incipe iam tandem tibi viuere. Nemo properasse te arguet, qui nec prius incœperis quàm pastor ipse Maroneus, sed

Candidior postquam tondenti barba cadebat.

Omne tempus ab ineunte ætate ciuibus tuis condonasti, retribuerũt inexistimabilis rei perpetuam largitatẽ, & vt longæ vitæ reliquias saltem tibi habeas decreuerunt. Agnosce ciuitatis animum, & hic propriam erga illam munificentiam contemplare, quæ tanta fuit, vt egentissimas licet sui manus perseuerando laxauerit. Vtere lætus immunitate tibi nunc concessa: sic patriæ tuæ mœnia tanquam inquietum libertatis propriæ carcerem recordare: euasisti, & (quòd magnum est) contingit iubentibus abire custodibus insanis. *Si quid fortè committis vt redeas. Ad illa potiùs te conuerte, quibus adolescentiam dedicaueras, quæ robustiores annos tuos fecissent vtique tranquillos, nisi quam adhuc desideras, patria vetuisset. Facient autẽ profectò placidissimam, & venerabilem senectutem, nec exilij modò, sed fortuitarum rerum omnium cõtemptricẽ. De studiis liberalibus loquor, & præ-

fertim de illa parte Philosophiæ, quæ vitæ magistra est. Hæc tu nunquam animo prorsus intermiseras, & si parumper ab eis te ciuilium negotiorum impetus arceret. Nunc verò his, quoniam nihil obstat, totus incumbe, idque melioribus auspiciis nouæ vitæ offer, & talibus animum exerce muneribus. Relege veterum historias: quãtas æmulationes Romanorum ducum, & quidem illustriũ, hinc reperies exortas, quòd aut se quisque quàmprimum extra patriam mitti vellet, aut seriùs reuocari. Cur quæso, nisi quia dulce natalis soli caruisse dulcedine, dum latiorem alibi virtutis exercendæ materiam inuenirent? Celebratis Comitiis solebant Coss. prouincias sortiri, & illam generosior animus optabat, in qua periculi plurimum videbat, non quòd per se quisquam hominum, nisi amens, pericula seu difficultates eligat, sed quòd virtutis splendor in illis facillimè videatur apparere. Quapropter siue exilium hoc tuum leue est, & importuna querela est inter blanda vociferantium, siue durum & molestum, quod populus asserit. Ego autem aduersor: nec tamen ideò, si quid vsquam vetustæ indolis remansit, erit viro digna querimonia, oblatum sibi sponte deplorantis, quod aliis ambitur. Locus hic, quem tibi magistratus ordinaret, prouincia tua est: non possunt omnes cum ingenti exercitu in Aphricam transire, detractóque ex Italia Hannibale, infestam oppugnare Carthaginem. Non possunt alias ex aliis propagando victorias, nunc rebellantes Hispanias, nunc obsessa prædonibus maria, nunc Armeniam ac Iudæam, & totius Orientis regna penetrare. Non omnibus datum est, aut fractis Numidiæ viribus & continuatis imperiis, à meridie in Boream arma trãsferre, breuissimóque tempore tinctum Libyco sanguine, Theutonicis ac Cimbricis mersare cruoribus, aut Galliis latè perdomitis, & regibus ad violentam confessionem Romanæ virtutis adductis, hinc Rheni, illinc Oceani claustra perrũpere, & Germaniam atque Britãniam vno impetu calcare: nec omnibus contingit ante currum reges captiuos agere: hæc enim Scipionibus, Pompeiis, Mariis, Cæsaribus, Æmiliísque reseruata sunt. His & similibus viris absentibus certamen fuit

cum

cum hoste longinquo, tibi cum exilio pugna est, cuius impetum non feres modò, sed repelles & conteres. si capias quodcunque necesse est, si animo tuo persuaseris vnicum aduersus aspera clypeum esse patientiam, & illam saluberrimam Cleantis vocem Latinam ab Anneo Seneca translatam, in tuum pectus altè dimiseris:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. V.

Animam in corpore multa pati.

EX itinere meo redeuntem, epistolam tuam auidissimè suscepi. Optabam enim, solito etiam ardentiùs, statum tuum prosperum audire, quòd amoris comites zelus, & timor per absentiam crescunt. Angebar autem & turbatum erat cor meum, quoniam & turbatum te discessisse noueram, & hos, qui turbationi tuæ materiam præbuerant, nefarij voti compotes videbam sub oculis meis velut triumphaliter obseruari, quod & te in exilium pepulissent, & me præsentia oris tui, conuictuque sobrio ac delectabili spoliassent. Terruerant me visa quoque mea, & somniorum imagines, quæ turbulentæ miris modis, & infestæ semel, & iterum animam dormientis impleuerint, non quòd ignorarem somniis temerè non habendam fidem: sed sic est, hoc iter ingressus sum, iter dico vitæ huius labentis ad mortem, in quo & æstuare oportet, & algere, & famem, & sitim, & somnium, & somni minas atque ambages, & quietem turbidam sentire: denique multa pati, donec illa dies expectata piis, formidata nocentibus, mortalē hunc nobis exuat amictū, & animos nitētes ad supera de compedibus tādem huius caliginosę stationis eripiat. Interea, fateor, nec longa est via passionū insultibus, quicquid de his aut sedādis, aut tollēdis Philosophi disputēt: quicquid in se alij sentiāt, adhuc valde sū obnoxius. Hæc mihi nascenti lex cū corpore data est, vt ex eius consortio, multa patiar, aliter non passurus. Secretorum naturæ cōscius Poëta, vbi animabus humanis

inesse quendam igneum vigorem & cœlestem dixit originem, excipiendo subiunxit:

Quantum non noxia corpora tardant,
Terreníque hebetant artus, moribundáque membra,
Hinc metuunt, cupiúntque dolent, gaudéntque nec auras
Respiciunt clausæ tenebris & carcere cæco.

Sic eram igitur admirans, quod de te post digressum tuũ aures meas nullus rumor impulerat, tum ecce literæ tuæ mihi oblatæ sunt agnoui signum, & iam securior legi. Cæterùm quia nuncius mirum in modum festinabat, & res pluribus verbis egere videbatur, responsionem distuli in diem alterum, quam iam hinc tripartitam fortè prouideo, quod tua quoque de rebus variis triplex est querela. Vnum quòd breuiter dici poterat, non fuit consilium differre, me scil icet peccatorum meorum nodis implicitum nondum in portum potuisse confugere, sed in eadem tempestate, qua me discedens reliquisti, actatum fluctibus hærere, ne quicquam sæpe retentantem vela facere, siquis meus ventus ab occidente consurgeret, hoc tamen solo lætum & Deo gratias agentem, quod te saltem per multos labores euasisse video, quod nauicula tua ex iisdem periculis veniens, aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo. Deinceps expeditior casibus meis occurram, quod & consequendi desiderium incessit, & geminæ sollicitudinis dimidia parte liberatus sum. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. VI.

Amicitiam inter absentes durare.

SPerabam ex te magnificum aliquid audire, sapientia enim tua iam pridem mihi videbatur finem impositura querimoniis, quibus stolidum vulgus, & ingratum personat. Longè verò fallebar (vt video) atque vtinam submissum liceret ab alio suspicari, & non propriis tuis digitis, querulum illud chirographum constaret, in quo rem vnam exiguam multis verbis pæne muliebriter deplorasti. Cuius lamentationis summa est, te acerri-

mè

mè atque inconsolabiliter doluisse, quod huius exoptatissimi atque optimi ducis nostri meámque & amicorum faciem videre desieris. Motum te de digressu subito, turbatúmque non dubito: mansuetudinem namque animi & suauitatem morum tuorum noui, qui omnino cum vlla seueritate, aut habitu mentis asperiore, non conueniunt. Vnde tamen hic tam immodicus dolor non intelligo. Innumerabiles causæ segregant amicos, amicitiam veram nullæ qua præsente amicus absens esse non poterit. Quantum enim locorum interuallis ab amicorum conuersatione disiungimur, tantum absentiæ detrimentum assidua commemoratione discutimus. Cuius si tanta vis est, vt morte superata, defunctos etiam amicos pro viuentibus celebremus (quod post obitum iunioris Aphricani sapientissimo & omnium Romanorũ in amicitia gloriosissimo viro Lælio docente didicimus) quid tam magnũ est, si absentia similiter victa, longè positos amicorum vultus pro præsentibus habeamus? Apud Poetam scriptum est,

Hærent infixi pectore vultus, Verbáque

Et iterum:

Absentem absens auditque, vidétque.

Ergo insanus, & obscœnus amor hoc poterit: pius ac sobrius non poterit? Imò verò multò amplius eodem Poeta dicente:

Ante leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante (pererratis amborum finibus) exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrin,
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

Lælius ipse de amicissimo viro loquens, vide quibus verbis vtatur: Virtutem (inquit) illius viri amaui, quæ extincta non est. Tu quare non dicis, virtutem illius, aut illorum amo, quæ absens aut longinqua non est, sed ante oculos, omni tempore versatur, & in honore semper erit apud me. At iucundissimum est amicos præsentes habere, intueri frontem atque oculos, viuis eos vocibus alloqui, & colloquentium admotis auribus verba perci-

pere. Neque enim (quin in hac re Poeticis testimonijs vti vacat) sine quadam animi dulcedine legimus Anchisen filij occursu alacrem, tensis ad cœlum palmis, & profusis lachrymis dicere:

---Datur ora tueri
Nate tua, & notas audire ac reddere voces.

Nec ego quidem aduersor dulcissimam esse præsentiam amicorum (quis enim hoc negauerit, nisi inhumanus idem ac ferus?) sed tu mihi negabis absentiam quoque suas habere voluptates, nisi totam fortassis amicitiæ pulchritudinem, quæ latissimè patet ad oculos solos restringimus, & à sede eius, quæ est in animo seuocamus. Quod si fieri cœperit, angustissima quidem area restabit, vbi se amicorum charitas oblectet: vt enim mortem, vt carcerem, vt ægritudines, vt peregrinationes seu necessarias seu voluntarias sileam, quis quotidianas naturæ necessitates, somnum, famem, sitim, æstus, algores, lassitudinem, quis studiorum aliarúmque rerum occupationes innumeras explicet, quibus etiam in eadem domo, ne dicam vrbe degentium, nec vultus aspicere, nec semper voces audire permittimur? Ita æui breuissimi reperitur amicitia, quàm longissimæ vitæ, non æquæuam modò, sed (vt dixi) superstitem esse decuerat. Quiuis autem locus in amicitia relinquetur Appio cæco, cæteros enim in eadem conditione positos taceo: ille mihi primus occurrit, quem omnino credibile non est, quod oculos non habuerit, nec amicos habuisse, qui vniuersæ Reip. talis fuerit amicus. Quid est ergo, quod tantopere lugeas absentiam, quasi hæc tibi possit amicitiam surripere, cum illa nihil, in hac neque cæteris rebus tuis, nisi quantum tu sibi permiseris posit? Memento potiùs quæso, non quam longè sis corpore (quamuis quid longinquum videri potest in hac puncti vnius breuitate, cuius nos homines vix integram particulam incolimus) sed esse in tua potestate, vt animo, & cogitationibus præsens sis. Hoc igitur vno quo potes modo, nos iugiter aspice, literarum identidem frequenti commercio teipsum nobis ostende. Vale.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. VII.

Futurorum expectatio amputanda.

MOlestissimam moram traxisse te Niciæ indignando describis per mensem integrum exspectantem aliquam nauem quæ in Italiam perferret: atqui in Italia tunc eras, dum ad Italiam suspirabas. Ita dico si (quod Poetis atque Cosmographis placet) Italiæ terminus Varus est, intra quem à parte Italiæ ciuitas illa sedet, sed vtique de re constat: interiorem Italiam in animo habebas, & pro Italia Romam dicere voluisti. Sentio iam morbi huius originem: expectationibus enim talibus plena esset adolescentia, quarũ illi ætati qualisqualis venia debetur: senectuti autem, quæ omnes spes suas iã post tergum spectare debet, omnis longa vitæ huius & anxia expectatio fœda est. Tu itaque senior de te videris, ego iunior de me loquar, qui adolescentia iam exacta, ætatem tuam adhuc longè, si quid hic longum est, ante me video. Cæterùm quò rarius passionis huiusmodi molestias experior, eò frequentius veteris mali reliquias incuso, eóque certius intelligo, virum prouectum nec præsentibus frangi, nec futuris angi, sed vtrunque tempus æqua fronte despicere, & quicquid secũ * vel præmisit paruipẽdere. Præsentia taceo, quoniam sermonem de futuris institui, quæ mentes hominum vanis expectationibus suspendunt, & in quibus (ni fallor) ridiculosius erratur. Expectans alius peregrinæ nauis aduentum totis diebus vndas prospicit (vt est apud Lucanum)

--- nutantia longè
Semper prima videns venientis vela carinæ.

Alius famiam moturus à littore serenam cœli tranquillitatem votis omnibus exposcit. Iste nulli honesto negotio intentus id agit semper, quod agebat olim classis Iliacæ magister. Surgit enim impiger (vt ait Virgilius)

Omnes explorat ventos, atque aëra captat.
Sydera cuncta notans tacito labentia cælo.

Alter beati senis hærens tabulis segnem mortem increpitat, alter nuptias, aut partum coniugis amicæ noctem

alter expectans dies,horas,mométáque dinumerat.Quid multa?Meministi credo in Philologia nostra,quam ob id solùm vt curas tibi iocis excuterem, scripsi, quid Tranquillus noster ait:

Maior pars hominum expectando moritur

Ita est,paucissimos inuenies, qui non toti ex incerto pēdeant.Alexander Macedo,Iul.Cæsar,multíq; alij,vel nostri,vel externi duces,quā multa parātes ab hac luce subtracti sunt,& mediis eorū conatibus mors occurrit tātò, vt mihi quidem videtur, difficilior, quantò insperatior. Hinc est,quod idem ille Iul.Cæsar fragili carina in ancipiti tempestate deprehensus,cùm mortem timere cœpisset,hoc vnum videtur lamentari,quod

-----ingentes abruperit actus
Festinata dies fatis.

Nouerat Poëta, quid maximè tali viro, aut molestum fuisset in eo statu, aut esse debuisset, idque potissimum querelis inseruit. Vna est autem aduersus hunc morbum medicina,primo gustu fortassis amarior,haustu autem & dulcis & placida.Animum à terrenis abducere,si fieri potest,si minùs,auellere atque extirpare radicitus.Quamuis enim hæc plerumque cum dolore & offensione sensuum fiat,rarò tamē,vt vides, amissa absque corporis molestia restauratur: quantò minus animi salus, in quam & vehementiores morbi,& frequentiores incidunt. Hoc igitur fac,& præsenti lætus, nulla futuri temporis expectatione torqueberis.In Italiam(inquis)transire volo,nauim expecto, vel quietum mare:sic dices, si cor tuum rebus mundanis adhuc visco consuetæ delectationis inhæret. *At si rursum nititur, dices:In Italiam transire volo;quid enim magis expediat,nouit Deus,homines ignorāt. Nauim aliquam,sed nō minùs aliquem expecto, qui nauim non venturam nunciet,& vtrunque rumorem æquis auribus excipiam.Sed habeo,inquies, in Italia magnum aliquid agere. Iam si quid tibi Philosophiæ studium contulit,vides(vt arbitror)quod extra Italiā geri nequit,magnum esse non posse quotiens me ad vnum locum coarctaueris,desinit esse magnus conatus,qui inter angustias

cogi-

cogitur. Sed volo in Italia saltem mori, & patria tellure contegi cupio. Qui hæc dicit adhuc Italicus est, vir magnanimus nondum est. Quid enim puerilius, quam curam gerere ubi capillorum & unguium purgamenta, ubi sanguinis superuacui vasculum deponas: ubi ipse iaceas nec curare? Certè si corpus consideras, tua nihil interest, ubi sit res à te olim posita. Nunc autem derelicta, si pateris, si relictam vis, ablata: si verò animum respicis, nullus eum locus aut stringit, aut laxat angustius, & siue ad coelum ascendendum, siue ad inferos descendendum, vndecunque discedat vnus est labor. Sed dulce est suorum manibus sepeliri. Quædam dulcia facit non insitus sapor, sed corruptus manducantium gustus. Quid dulce dicis aut nihil sentienti, aut omne huiusmodi obsequium contemnenti. Vna omnium est (vt ad propositum redeam) expectantium conditio, dum ventura prospiciunt, quæ sunt ante oculos non vident: damnum certum sub ambigua spe. Hæc quidem vtique transeunt, illa autem rarò plena fide succedunt. Adde quod vel superuacua ferè sunt, vel damnosa & in caput nostrorum recasura quæ cupimus, vt sicut sæpe reiectas indignatio, sic libitum prouectas, vel fastidium, vel improuisa pernicies sequatur. Adhuc igitur omnem spem, omne desiderium auerte ab fallacibus bonis, incipe vnum solum & verum & summum bonum optare, si tamen vsque ad hanc ætatem rem apprimè necessariam distulisti: tunc discurrendi libido cessabit, & odium longioris moræ. Tum verò non modò Niceæ, sed, si ita sors tulerit, inter Libycas Syrtes sine molestia stabis, rebus tuis contentus nihilque aliud requirens. Dicet aliquis: Nunquid illud saltem vnum quod memoras, bonum expectandum erit, vt præsens præsenti gaudio desiderantem animam impleat? Minimè: si enim plenè desideras, si sanctè, si sobriè (aliter quippe tanta res optari non potest) iam quod petebas tecum est: intus anima illum, quem diligis, quære, & inuenies, non est vt eo potiaris exteriùs euagando. Et si quid fortè restat adhuc, quod amplius velis aut cumulatiùs expectes, erit expectatio illa suauis & iucunda. Qui

ad hanc regulam se formabit, lætus è cunctis mortalibus, quotiens exacta luce cubiculum intrabit, de præterito quidem dicere poterit: securus Virgilianum illud à Seneca relatum:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi;

Et de futuro illud Horatianum:

Cras vel atra nube cœlum patet occupato:

Vel sole puro.

Nec vnquam venturi studia, præsenti oblitus, aut sibi aut aliis inutiliter vitam aget. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. VIII.

Aduersa & naturæ leges toleranda esse.

QVerelarum tuarum vocibus plenus sum iam res ad fastidium inclinat, iam molliciem tuam ferre non valeo: neque enim aliter quàm si in hanc vitam nuper intrasses, ad occursum rei cuiuslibet expauescis: Pudeat inter lamenta senescere, imò verò pudeat olim senem puer iliter lamentari. Puerorum est ad omnia quæ viderint obstupescere, quippe quibus noua & admiranda sunt omnia: senibus & præsertim eruditis, nihil nouum aut inopinatum euenire solet: nihil itaque stupendum, nihil deplorandum. Vnde igitur tot querelæ de rebus assiduis & secundum naturæ statuta fluentibus? Portenta mouent animas interdum, si bicipitem puerum, si quadrimanum vides, miraris: imbrem lapideum, bouis verba, mulæ partum in Annalibus legimus: quotidiana despicimus. Tu quid vidisti propter quòd nunc totus in admirationem & lamenta conuersus sis? Admirando quidem admirationem cogis vt admirer. Non tam grauiter in alio ferrem immoderatum hunc stuporem, qui totiens mare transisti, totiens mediis periculis enatasti, totiens è faucibus mortis ereptus es, admirando & fortunam tuam accusando describis passum te maris magnam & (vt Satyrici verbo vtar) poëticam tempestatem, atque ad littus, vnde discesseras, flatu contrario impellente relatum. Hanc tu maris iniuriam existimas? natura est: digniorem querelæ causam præferres, si vel illud

illud tibi contigisset quod quondam Cæsarea classis inter Italiam Græciamque sensit, quando per Hadriaticum mare glaciali velut torpore constrictum cursum expedire non valuit, vel illud, quod terra sub pedibus tremente, Pompeianus exercitus valit in Lybia, ubi nullus potest consistere miles instabilis, rapiens etiam quas calcat arenas. Nūc verò si per terram rigidos lapides, aut tumentes colles, si per mare fluctuum inconstantiam pertulisti nihil est quod lamenteris, tanquam iniuriosa tibi fuerint elemēta, quod naturæ potius suæ paruerint, quàm voluntati tuæ. Altera literarum tuarum pars, non minus delicatè ac flebiliter te cum iam Pisis applicuisses, in morbum diuturnū incidisse memorat, non aliter quàm si in ætate tam longa, quid morbus esset ignorares. Quomodo autem se aduersus mortem præparabit animus inter hæc quotidiana tam querulus? Sed ne latius effundar, amplissima enim res est, & verborum egens: Accipe breuiter, quæcunque de his querelis à me ipse diffusiùs dici solent. Nimis faciles sumus ad accusandum naturam, nemo quòd viuit, at quòd egestatem sentit, quòd labores patitur, quòd senescit, quòd ægrotat, quòd moritur, quisque conqueritur, quasi secundùm naturam minus ista, quàm alia sint. Et nasci & viuere, & comedere & esurire, & dormire & vigilare, & laborare, & senescere, & ægrotare, & mori naturalia sunt, vt nemo his mortalium vacet nisi cui fortè senescendi necessitatem mortis præcipitatio remiserit. Quid igitur inutiles querelas effūdimus? an quia nobis solis ista contingunt, solis nobis lugere permittimus? An quia cunctorum simul in nos lamenta transfundimus, & veluti humani generis procuratores naturā accusamus immeritā? Odiosum sanè negotiū & importunū. Illa enim mitissima, nos beneficia eius per impatientiā exacerbauim⁹, in parentē optimam, ingrati, in nosmetipsos impij. Oro itaq; Pater amātissime & si ætatem hāc nō dedecet, etiam cōsulo, vt quicquid euenerit, inducamus in animum ferre fortiter, ferre moderatè, ferre sine eiulationibus, & sine vlla lamentatione muliebri. Habuim⁹ enim deliberādi, & gratias CHRISTO, habemus adhuc deliberata exequendi spatiū, & licet

vulgus insaniat, sunt tamen nobis aliquanto magis sobrij consultores, quorum potiùs monitis obsequendum est. Nec te moueat vita mea, quoties epistolas meas legis, nec in frontem respexeris ista suadentis. Vidisti enim interdum pallentem medicum, qui suam non poterat, alterius ægritudinem curare. Vale.

FRAN. PETRARCHA IACOBO COLVMNAE, S. Epist. IX.

Varia continet cum Romæ vrbis laudibus.

SEmisopitum epistolæ tuæ clamor excitat, quàm iocosis refertam conuitiis lætus ridénsque perlegi. Et, vt primùm venienti iaculo prius occurram, vide quæso, Pater optime, de multis, quæ contra me colligis, quantum ab intentione tua prima etiam scribentis verba discordent. Mirari solitum te ais, quod mūdum in ætate adhuc tenera sic artificiosè decipiam, vt scilicet ars hæc sit tam experientiæ quàm naturæ. Panegyricum plurimorum certè verborum, sed minimè amplioris gloriæ cecinisse mihi poteras. Mundus deceptor generis humani quot vitam laqueis implicitam quàm amaræ dulcedinis aspersione commendet, nouit quisquis apertis oculis iter hoc agit: cuius & nos fraudibus de industria fauemus, studiòséque vt ipsi ignoti simus, aduersus Apollinis consilium laboramus. Hunc superbia inflat sub specie magni & excelsi animi; illum malitia & fraus, & quicquid prudentiæ proximum videtur, sub amictu finitimæ virtutis infatuat. Ille se fortem putat inhumanus & ferox; hic se humilem vocat timidus & imbellis. Est & quē titulo frugalitatis auaritia sollicitet, & quem prodigalitas specie largitatis exhauriat. Personata sunt vitia, & immania monstra formosis sub pellibus delitescunt. Accedit delectabilium, sed trāsiturarum, imò verò transeuntium ac fugientium rerum turba. Ambitio honorem nobis & plausum auràsq; vulgares, luxuria blādas & varias voluptates, pecunia plurimarū rerum sufficientiā ostentat. Nullus hamus sine esca, nullus sine visco ramus, nullus laqueus sine spe. Accedit humana

mana cupiditas praeceps, inópsque consilij, & falli facilis, & insidiis opportuna. In hoc igitur ancipiti, & lubrico, & suspecto itinere, si quem fortè tam cautum vel natura vel studium fecisset, vt mundi fraudibus elusis mundum ipse deciperet, frontem scilicet ostendens populo similem, tota intus mente dissimilis. Quem tu hunc virum diceres? hunc tamen vbi quaerimus? & natura optima, & aetate solida, simul ac sobria opus est, & alienorum casuum obseruatione sollicita: Tu tamen hoc mihi nomē imponis immensum quidem (modò non irrideas) quòd si hodie verum non est Deum oro, qui potens est etiam ab inferis excitare, vt verū fiat, antequàm moriar. Sed quò hinc iocando progrederis? Multos fictionibus meis opiniones de me concepisse magnificas. Fuit ars haec, fateor, quibusdam ex illustribus viris, vt ingenio quodam veras virtutes mirantibus. Hinc & Numae Pompilio diuini colloquij, & Publio Africano diuinae etiam stirpis fama quaesita est. Mihi ars ea non conpetit; nihil habeo quod ostentem, & tamen nescio quis me ab incunabilis superuacuus fati fauor insequitur Notior sum quàm velim, & scio de me quantuluscunque sim, in vtramuis partem multa iactari, quibus ego nec deprimor, nec extollor. Scio populi totidem ferè mendacia esse quot verba. Et haec quidem hactenus néque enim vt turbae displiceam, magnoperè laborandum est. Nec dum desinit vrbanitas tua. Dicis me non modò vulgus insulsum, sed coelum ipsum fictionibus tentare: itaque Augustinum & eius libros simulata quadam beneuolentia complexum: re autem vera à Poëtis, & Philosophis non auelli. Quid autem inde diuellere, vbi ipsum Augustinum inhaerentem video? Quod nisi ita esset: nunquam libros de Ciuitate Dei, vt reliqua sileam, tanta Philosophorū & Poëtarum calce fundasset, nunquā tantis Oratorum ac Historicorum coloribus exornasset, nimirum, nunquam enim in somnis ad tribunal aeterni iudicis tractatus accesserat Augustinus meus, sicut Hieronymus tuus nunquam exprobrari sibi Ciceronianum nomen audierat, quod cùm audiuisset Hieronymus, fidémque dedisset, quòd nunquam amplius libros gentilium attingeret, quàm diligenter ab omni-

bus, sed à Cicerone præsertim abstinuerit, nosti. Augustinum verò, cui nullo somno interdictum erat, non solum familiariter illis vti non puduit, sed ingenue etiam fateri se in libris Platonicorum magnam fidei nostræ partem inuenisse, & ex libro Ciceronis, qui vocatur Hortensius, mutatione mirabili, ab omni spe fallaci & ab inutilibus discordantium sectarum contentionibus auersum, ad solius veritatis studium fuisse conuersum, & lectione libri illius inflammatum, vt mutatis affectibus & abiectis voluptatibus volare altius inciperet. O virum ineffabilem dignúmque, quem Cicero ipse pro rostris laudet, cuíque publicè grates agat, quòd inter tam multos ingratos vnus velit esse gratissimus. O virum magnificè humilem, & humiliter excelsum, non qui alienis plumis ornatus auctoribus his insultet, sed qui iam Christianæ religionis fluitantem puppim inter hæreticorum scopulos agens, præsentísque magnitudinis sine arrogantia sibi conscius, veritatem primordiorum suorum & adolescentiæ rudimenta commemoret, & doctor tantus Ecclesiæ non erubescat ducatum Arpinatis hominis licet aliò tendentis. Cur autem erubesceret? Nemo dux spernendus est, qui viam salutis ostendit. Quid ergo studio veritatis obesse potest, vel Plato, vel Cicero? Quorum alterius schola fidem veracem non modò non impugnat, sed docet & prædicant alterius libri, recti ad illam itineris duces sunt. Eadem & de aliis dici possent: sed piget in re notissima testes superuacuos conquirere. Nec tamē ideò negauerim, multa apud illos esse, quæ vitari oporteat, cum & apud nostros quædam sint periculosa incautis. Et Augustinus ipse in quodam operoso volumine de vberrima messe suorum studiorum inter nascentis erroris lolium proprio pollice decerpat. Quid ergo? rara lectio est, quæ periculo nō vacet, nisi legenti lux diuinæ veritatis affulserit, quid sequendum declinandúmve doceat. Illa autem duce, secura sunt omnia, & quæ nocere poterant, iam Syrtibus & Charybdi, aut famosis in alto scopulis notiora sunt. Vt verò iam tandem huic lasciuæ calumniæ finis fiat, veróne, an falso Augustinum animo cōplectar, ipse noui. Etenim vbi nec

fallere

fallere vult quisquam, nec falli potest, vnde deuia vitæ meæ errorésque cernentem misereri arbitror: præsertim si adolescentiæ suæ meminit, quam vagam & aberrantem miseratus omnipotens retraxit ad rectum iter, & nunc pro arenosis Aphricæ littoribus, vbi aliquandiu noxiè delectatus vergebat ad mortem, æternæ frondentis Hierusalem sine fine municipem esse dedit. Inde mihi fauet, inde me diligit quid enim dubitem, cùm audiam in eo libro, quem de Vera Religione conscripsit, eum spe firmissima dicentem: Quisquis angelorum deum diligit, certus sum, quod me diligit? Si enim ille contemplatione communis Dei angelicum amorem sibi promittere non metuit, cùm sit homo, audebo & ego, qui homo sum, amorem humanum animæ illius sacratissimæ, quæ nunc cœlo fruitur, sperare. Sed enim nouis hic salibus aspergor. Ais enim, mihi Physica etiam nunc & Poëtica ruminanti Augustini dicta, quasi quædam somnia videri. Melius dixisses, illa relegenti totam mihi vitam meam nihil videri aliud, quàm leue somnium fugacissimúmque phantasma. Itaque lectione illa excitor interdum, velut è somno grauissimo, sed vrgente mortalitatis sarcina palpebræ rursus coëunt, & iterum expergiscor, & iterum obdormio. Voluntates meæ fluctuant, & desideria discordant, & discordando me lacerant, sic aduersus interiorem hominem exterior pugnat. *Nunc dextera ingeminans ictus nunc ille sinistra, Nec mora nec requies*, & si pater æternus voce prælia dirimens fusum Dareta de manibus Entelli ardentis eripiat, vincet exterior. Quid multa? adhuc de fine sum incertus, viuóque in spe ad victorem mortis exclamans:

Eripe me his inuicte malis:
Da dextram misero & tecum me tolle per vndas.
Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam.

Sed nihil iocis lentius nihil flexibilius, quocunque traxeris sequuntur. Quid ergo ais? finxisse me mihi speciosum laureæ nomen vt esset & de qua ego loquerer, & propter quam de me multi loquerentur. * Rem autem veram in animo meo lauream, nisi illam poëticam, ad quam aspirare me longum & indefessum studium testatur, de

hac autem spirãte laurea, cuius forma captus videor, manu facta esset, omnia ficta carmina, simulata suspiria. In hoc vno verè vt iocareris, simulatio esset vtinam, & non furor. Sed crede mihi, nemo sine magno labore diu simulat. Laborare autem gratis, vt insanus videaris insania summa est. Adde quod ægritudinem gestibus imitari bene valentes possumus, verùm pallorem simulare non possumus. Tibi pallor, tibi labor meus notus est, itaque magis vereor, ne tu illa festiuitate Socratica (quam Ironiam vocant) quo in genere nec Socrati quidem cedis, morbo meo insultes. Sed expecta, vlcus hoc cum tempore maturescet, verúmque fiet in me Ciceronianum illud, Dies vulnerat, dies medetur, atque aduersus hanc simulatam (vt tu vocas) lauream, simulatus ille, mihi etiam Augustinus fortè profuerit: multa enim & grauia legendo, multúmque meditando, antequàm senescam, senex ero. Quis autem erit facetiarũ modus? Vbi d. fines? Quid ais? Tentatũ te quoq; fictionib⁹ meis, ac propè delusũ imò verò delusũ aliquandiu expectasse me Romæ, simulantẽ ingens videndi téque reuidendi desiderium, tandẽ, quod spectatores callidi in circulatorum præstigiis solent, aperienti tibi oculos, & in artes meas profundiùs intendenti, omnem ingenij mei scænam patuisse. Deus bone, quid hoc est? Calumniando tu quidem facies, vt magnus sim. Iam Zoroastes videri mihi incipio repertor magiæ, siue vnus suorum. Esto sim Dardanus, vel Domigeron, vel Apollo vel alius, si quem ars ea notiorem fecit, paróm-ne præstigij est præstigiatorem verbo facere? Sed iam satis, supérque iocum traximus, seriò velim mihi respondeas. Cesset quamuis ardor faciem tuam videndi, quem laboriosissimè quartum annum iam protraxi, dum cogito: Ecce ille, cras aderit, ecce tu postridie monebis. Excidat quidam curarum nõ mediocris cumulus, quem cum nullo mortalium, nisi tecum æquo animo partirer, quiescat affectus cernendi præclarissimum Patrem tuum, magnanimos Fratres, honestissimas sorores, exoptatos amicorum vultus, Quantidemum existimaturum reris, mœnia vrbis & colles, & (vt ait Virgilius) Tuscum Tiberim, & Romana palatia cernere? Credi non posset, quantum

Vrbem

Vrbem illam (desertam quamuis & veteris effigiem Romæ spectare cupiam quam nunquam vidi, vbi segnitiem meam si tamen segnities, & non necessitas fuit, incuso. Exultare mihi videtur Seneca ad Lucilium scribens, ex ipsa villa Scipionis Aphricani, nec modicum ducit, vidisse locum, vbi ille vir tantus exulauerat: vbi negata patriæ ossa reliquerat. Quòd si contigit Hispano homini, quid me hominem Italicum sentire putas? non de villa Literni aut de Scipionis sepulchro, sed de vrbe Roma, vbi Scipio natus est, vbi educatus, vbi victor idem, & reus pari gloria triũphauit, vbi non vnus ille, sed innumerabiles vixerunt viri, quos nunquam fama tacitura est. De ciuitate (inquam) illa, cui nulla similis fuit, nulla futura est, quæ ciuitas regum etiam ab hoste dicta est: de cuius populo scriptum legimus. Magna est fortuna populi Romani, magnum & terribile nomen, cuius sine exemplo magnitudinem atque incomparabilem monarchiam futuram, præsentémque diuini cecinerunt vates. Neque ego nũc Romanas prosequor laudes. maior res est quàm vt possit à transcurrente tractari; sed hæc cursim attigi, vt intelligeres, non paruipendere me Reginæ Vrbis aspectum, de qua infinita perlegi, & ipse multa iam scripsi plura fortè scripturus, nisi primordia mea præcipitata dies mortis abrumpat. Finge me his nequaquam tangi, quam dulce tamen est Christiano animo, Vrbem cernere, cœli instar in terris, sacrosanctis martyrum neruis atque ossibus confertam. & veri testium pretiosa cæde respersam. Videre Verendam populis saluatoris imaginem, & in saxo durissimo æternum gentibus adoranda vestigia. Vbi ad literam luce clarius impletum cernitur illud Esaiæ: Et venient ad te curui filij eorũ, qui humiliauerunt te. & adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi. Circumire sanctorum tumulos, vagari per Apostolorum atria, melioribus iam curis comitantibus, & inquieta sollicitudine vitæ præsẽtis in littore Massiliæ destituta. Quæ cùm ita sint, quid me segnem vocas, cùm scias, quod iter meum ex alieno pendet arbitrio? Ego meipsum tibi dederam, paruum equidem, sed perpetuum munus: tu me alteri parere vo-

luisti, si alter propriè dicitur talis & tam vnanimis germanus. Nihil hic mihi conscius sum si culpa est, vel tibi patre, vel fratri. In extrema literarum parte veritus forte, ne lepidissimis iocis tuis offenderer, solet enim leonis quantumlibet blanda contrectatio animantia parua præterere Suaue olentis vnguenti drachmam adhibes. vbi pupugisse videbare, dum me ad te amandum, imò verò ad tibi reddendas amoris vices prædulciter cohortaris. Quid dicam? Multa loqui non magis dolore quàm gaudio præpedimur. Hoc vnum me tacentem non ignoras vsque adeò saxeus non sum, vt ad tam debitum amorem sit mihi necessarius hortator; atque vtinam in amando non magis freno quàm calcaribus egerem. Tranquillior iuuenta sequeretur hoc saltem orone finxisse me fingas. Vale.

FRA. PETRARCHA AGAPITO COLVMNAE, S. Epist. X.

Studia hominum in deteriora prolabi.

Non miror in te, quod in omnibus stupeo, in me autem queror, & lugeo. Publicum malum est, quæ negligi sine periculo poterant, certatim quærimus: quod apprimè curandum erat, publicè negligitur. Quàm fertilis ager, quàm domus composita, quàm obsequiosus seruus, quàm sollicitus procurator, quàm splendida vestis, quàm nitidus æquus, quàm pulchra vxor, quàm nostri corporis ornata superficies, omnes curamus: Quàm pulcher & ornatus animus, curat nemo, nec se curaturum spondet, aut sperat, sed quod primum esse debuerat differimus ad extrema:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Sic est hodie, sic erat Flacci seculo, sic erit temporibus pronepotum, nisi fortè meliora de posteris auguramur, vtinam id quidem sperare possemus Sed, vt res eunt, indies peiora conijcio, quamuis iam peiora vix possim, nedum timere, sed fingere. Certè sic viuitur, eóque criminum ac furorum ventum est, vt procedi vlterius sine publico

publico præcipitio non possit. Nunc nunc impletum est, quod ante tempus dixerat Satyricus:

Omne in præcipiti stetit

Enitemur tamen pro viribus, vt semper aliquid accedat insaniæ, nec vnquam à maioribus traditæ licentiæ finibus contenti erimus, nunquam committemus, vt mentitus videatur Horatius, vbi ait:

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Et, vt in tempus aliud graviorem hanc querimoniam differamus, insistentes cœpto, semper verissimum faciemus, quod Marco Varroni viro longè doctissimo visum est. Quoniam si duodecimam curæ partem, quam impendimus vt pistor bonum nobis panem faciat impendissemus in nobis ipsis, iam pridem boni essemus vt de annulis, de calceis, de calamistris sileam sic est procul dubiò, sic erit, semper curabuntur superuacua, semper necessaria negligentur. In literis tamen tuis, clarissime vir, vnum de te bonæ spei pignus habeo: videris mihi vim pati, & (qui proximus ad salutem gradus est) statum tuæ mentis agnoscere. videris mihi indignatione magnifica, cùm primum se facultas obtulerit, ex his compedibus euasurus. Vale.

FRAN. PETRARCHA. AGAPITO COLVMNAE, S. Epist. XI.

Ad cœnam poëticam amicum inuitat.

AD cœnam expectatus venies, memórque, non hic cupidinarium forum esse. Poëticum tibi conuiuium præstò est, idque non Iuuenalis aut Flacci, sed quale à Virgilio pastorale describitur,

---- Mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis.

Cætera duriora, inelaboratum ac rigidum panem, fortuitum leporem, aut peregrinam gruem, idque perrarò, & callum fortassis apri rancidioris inuenies. Quid multa?

Neque locorum, nec victus asperitas ignota est tibi. Itaque non pedibus tantùm, sed vt facete Plautinus parasitus ait, Calceatis dentibus vt venias, admoneo. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. XII.

Hetruria loca quædam describit.

PEropportunum curis meis locum, si non aliò properaret animus, nactus sum in Regione Romana Caprarum mons dictus est, olim credo, quòd syluestribus virgultis obsessus, capris quàm hominibus frequentior haberetur. Paulatim cognitus loci situs, & spectata fertilitas, habitatores aliquot sponte contraxit, à quibus arx eminenti satis tumulo fundata, & domorum quantum collis angustus patitur, adhuc vetus Capranim vocabulum non amisit. Locus ignobilis famâ, nobilioribus cingitur locis. Est hinc Socrate mons, Syluestro clarus incola, sed & ante Syluestrum poetarum carminibus illustris. Hinc Cymini cum monte lacus, quorum meminit Virgilius. Hinc Sutrium, quod non nisi duobus passuum millibus abest, sedes Cereri gratissima, & vetus, vt perhibent, Saturni Colonia. Campus ostenditur non longè à muris, vbi primum in Italia frumenti semen ab aduena rege iactũ dicunt, primam messem falce desectam, quo beneficio, miraculóque delinitis animis, in partem regni viuens, in opinionem diuinitatis vita functus, fauore hominum acceptus, senex rex, & falcifer Deus est. Aër hic, quantum breue tempus ostendit, saluberrimus: hinc illinc colles innumeri, altitudine nec accessu difficili & expedita prospectui, inter quos & vmbrosa laterum conuexa & opaca circum antra subsidunt, vndique submouendis solibus frondosum nemus erigitur, nisi quòd ad Aquilonem collis humilior apricum aperit sinum, mellificis apibus floream stationem: fontes aquarum dulcium imis vallibus obstrepunt cerui, damæ, capreoli, & feri nemorum greges apertis vagantur collibus: omne volucrum genus, vel vndis, vel ramis

mis immurmurat. Nam boum,& omnis mansueti pecoris armenta. & humani laboris fructus, Bacchi dulcedinē,& Cereris vbertatem,ad hæc & illa naturę dona,vicinos lacus ac flumina, & non longinquum mare, prætereo. Pax vna, quónam gentis crimine, quibus cœli legibus,quo fato,seu qua syderũ vi,ab his terris exulet,ignoro. Quid enim putas pastor armatus syluis inuigilat,non tam lupos metuens,quàm raptores:loricatus arator, hastam ad vsum rustici pugionis inuertens recusantis bouis terga sollicitat: auceps retia clypeo tegit, & piscator hamis fallacibus hærentem escam rigido mucrone suspendit quódque ridiculum dixeris, aquam è puteo petiturus,rubiginosam galeā sordido fune connectit.Deniq; nihil sine armis hic agitur.Quis ille pernox vlulatus vigilum in mœnibus? quæ voces ad arma conclamantium? quæ mihi in sonorum locum, quòd blandis è fidibus exprimere consueueram,successêre. Nihil incolis harum regionum inter se aut tutum videas, aut pacatum audias, aut humanum sentias,sed bellum & odia,& operibus dæmonum cuncta simillima. His in locis,pater inclyte,inter volentem ac nolentem dubius iam sextumdecimum diem ago, & quantum potest in rebus omnibus consuetudo, fragore militum & stridore lituum cæteris in aciē concurrentibus, me sæpe per hos colles vagum videas, atq; aliquid quod posteritatem mihi conciliet,assiduè meditantem.Omnes me cum admiratione respiciunt, ociosum, intrepidum & inermem; contrà ego omnes admiror pauidos,sollicitos,& armatos.Hęc est humanarũ varietas actionũ,quod si forsan interroges, an hinc migrare malim,non facilè dixerim:& ire iuuat,& manere delectat. Ad primum pronior sum, non quòd hic molesti quicquam patiar, sed Romam visurus domo mouêram. Est autem secundùm naturam, vt vsque in finem votorum animus non quiescat,ex quo maximè colorem mihi videtur habuisse opinio illa, quæ beatifica visione Dei,in qua consummata fœlicitas hominis consistit,defunctorũ animas tam diu carituras astruebat,donec corpora resurgissent, quod naturaliter non optare non possunt, quāuis illa sententia multorum saniori iudicio victa, & cum

auctore suo (da veniam quaeso, qui valde eum, sed non errores eius dilexisti) sepulta iam pridem sit. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. XIII.

Causas morae apud Caprarum montem recenset.

IN hoc ecce Caprarum, imò verò leonum ac tygridum monte, quolibet agno mitior Vrsus iste tuus habitat, Anguillariae comes, amator pacis, sine bellorum metu inter bella securus, non sine pacis desiderio hospitalitate secundus nemini, consilio vigens, blandè seuerus, & rigidè benignus in suos, Pieridum familiarissimus, & excellentium ingeniorum mirator elegantissimus, ac laudator. Et secum non aduersum, vt ille, sed conueniens moribus suis nomen sortita Agnes coniunx eius praeclarissima soror tua, de qua vt de Carthagine Salustius ait, silere melius puto, quàm parum dicere. Sunt enim quaedam, quę nullo melius modo quàm stupore & silentio laudantur: horum ex genere soror tua est. Hoc concors & mite par coniugium, ceu rosas aut lilia totidem, notaui inter spineta ac tribulos odiorum. Horum suauitate vtcunque reliquorum temperatur asperitas. Accessit diuinus & singularis vir, Iacobus de Columna Lomberiensis Episcopus, germanus tuus, ad quem cùm aduentus mei nuncium praemisissem, per literas quid me agere velles interrogans, quomodo obsidentibus omnes aditus domus tuae hostibus non tutò videbar Romam petiturus. Rescripsit ille, congratulatus aduentui, & expectare iubet, paucisque post diebus ad VII. Cal. Februarij affuit cum Stephano fratre primogenito, cuius etiam virtus eximia, magna quidem materia vatum est, neque amplius, quàm centum armatis equitibus stipatus vterque non sine spectantium horrore transiuerat, cum quingentos & eò amplius sub hostium signis esse constaret. Sed ea, quae saepe bellum conficit, fama ducum, interstrauerat, cum his ego nunc generosis spiritibus habito, tanta dulcedine, vt saepe alibi quàm in terris esse videar, nec iam Romã magnoperè

requi-

requiram: ibimus tamen, quamuis denuò dicantur aduersarij reditum in vrbem accuratiùs obstruxisse. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. XIV.

Ruinas Vrbis admirans obstupescit.

AB vrbe Roma quid expectet, qui tam multa de montibus acceperit? putabas me grande aliquid scripturum, cùm Romam peruenissem ingens mihi forsan in posterum scribendi materia oblata est. in præsens nihil est, quod inchoare ausim, miraculo rerum tantarum, & stuporis mole obrutus. Vnum hoc tacitum noluerim: contra, ac tu suspicabaris, accidit: Solebas enim, memini, me veniendo dehortari hoc maximè prætextu, ne ruinosæ vrbis aspectu famæ non respondente, atque opinioni meæ ex libris conceptæ ardor meus ille lentesceret. Ego quoque, quamuis desiderio flagrarem, non inuitus differebam, metuens ne quod ipse mihi animo finxeram, extenuarent oculi, & magnis semper nominibus inimica præsentia. Illa verò mirum dictu, nihil imminuit, sed auxit omnia, verè maior fuit Roma, maioréſque sunt reliquiæ quàm rebar. Iam non orbem ab hac Vrbe domitum, sed tam serò domitum miror. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. XV.

Laudatoria.

SVnt qui Romanorum veteres matronas singulas singulis laudibus attollant, & Lucretiæ quidem pudicitiam ascribunt, Martiæ grauitatem, pium impetum Veturiæ, coniugalis amoris ardorem Portiæ, Claudiæ hilaritatem sobriam, Iuliæ facetias & eloquentiam muliebrem, vrbanitatem Cæciliæ, Liuiæ maiestatem, Corneliarum alteræ generosum robur animi, alteræ morum verborúmque dulcedinem. Sunt & qui peregrinas suis laudibus prosequantur, honestatem in Penelope, in Artemisia amorem immortalem, in Ipsicratea tolerantiam, in Thomyri fortitudinem, consilium in Thætide, modestiam in Argia, pietatem in Antigone, in Didone constantiam

admirantes. Vellem vt duo laudatores veterum, sorores tuas Ioannam & Agnetem cernerent, haberent profectò in vna domo amplissimam laudandi materiam, neque fœmineis titulis conquirendis, per omnes terras & per tam multa secula vagarentur. Quicquid vsquam sparsim quæritur, apud has simul inuenitur. Tu viue, non virtute tantùm propria, sed magni Genitoris gloria, fratrúmque concordia, & talium sororum pietate fœlicissimus. Vale.



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. EPISTOLARVM DE REBVS FAMILIARIBUS,

LIBER III.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. I.

Tule siue Tyle insula.



PERAMBVLANTI veterum confinia, accessu quidem aspera, sed amœna cùm perueneris, creber scrupulus ingenij pede calcandus est. Hoc sanè, quem tu tibi nuper iniectum scribis, ego iam pridem premor, quæróque itidem, quanam mundi parte Tyle sit insula: Sed, vt verum fatear, nec certo iudice, nec ad rem ducentibus coniecturis, aut ipsam, aut nullam inueniendi spem inuenio, & hæc tibi quidem

quidem ex ipsis Britānici Oceani littoribus propinquior, (vt fama est) ipsi quam vestigamus, insulæ scribo. Profectò vnde vel antiquo literarum studio, vel noua ac sollicita locorum indagine, certiùs aliquid scribere posse debueram, vltimam quippe terrarum esse non ambigitur, hoc Virgilius canit, hoc Seneca, hoc secutus vtrunque Boetius: hoc omnis denique scriptorū cohors, illud quoque satis inter multos conuenit, in Occiduo tractu sitam quàm longissimè ab ortu solis, & à Meridie recessisse. Cæterùm nobis in Occidente positis stimulos addidit ipsa vicinitas: si ad Orientem sita esset, fortè non magis Tylem, quàm Taprobanem curaturis. Cùm verò Britanniam & Hyberniam, cunctásque Orchadas in occidentali Oceano ad Aquilonem, ínque eodem Fortunatas insulas, ad Austrum, partim vsu, partim assiduo commeantium testimonio, non aliter pene quàm ipsam Italiam aut Gallias noscere, circumspicere, miraríque cœpimus, aliquantóque scrupulosius inquirere sicubi vndis emergeret celebrata hæc omnium literis insula, quam in nostro Oceano, & antiquorum locauit auctoritas, & nunc etiam orientalium populorum ac totius orbis confirmat opinio. Quid multa? Euenit huic quod sæpe claris viris accidit, vt vbique sint, quàm in patria notiores percontare Occidentis accolas. Indocti ipsum insulæ nomen ignorant: literatis vtique clarum nomen insulæ est: Insula verò ipsa non minus ignota, quàm vulgo. Mihi quidem de hac re cum Richardo quondam Anglorum regis cancellario sermo non otiosus fuit, viro ardentis igenij nec literarum inscio, & qui, vt in Britannia genitus atque educatus, abditarúmque rerum ab adolescentia supra fidem curiosius, talibus præsertim quæstiunculis enodandis aptissimus videretur. Ille autem, seu quia sic speraret, seu quia puderet ignorantiam fateri (qui mos hodie multorum est, qui non intelligunt, quanta modestiæ laus sit homini nato, nec nosse omnia volenti profiteri ingenuè se nescire, quod nesciat) seu fortè, quod non suspicor, quia huius mihi arcani notitiam inuideret, respondit, certè se dubitationi meæ satisfacturum, sed

non priusquam ad libros suos, quorum nemo copiosior fuit, in patriam reuertisset. Erat enim, cùm in amicitiam eius incidi, tractandis domini sui negotiis apud sedem Apostolicam peregrinus, ea scilicet tempestate, qua inter præfatum dominum suum & Francorum regem prima diuturni belli semina pullulabant, quæ cruentam messem postea protulêre. Nec dum repositæ falces, aut clausa sunt horrea: sed cùm promissor ille meus abiisset, siue nihil inueniens, siue nouiter iniuncti pontificalis officij graui munere distractus, quamuis sæpe literis interpellatus, expectationi meæ non aliter quàm obstinato silentio satisfecit. Ita mihi Tyle amicitia Britannica nihil notior facta est. Post annos verò venit in manus meas libellus de mirabilibus Hyberniæ à Giraldo quodam aulico Heinrici secundi regis Anglorum, licet tenui rerum stylo, non rudi tamen verborum arte contextus, quem ne totum bibliothecæ nostræ foribus excluderem, breuis quædam ipsius particula promeruit, vbi de hac eadem insula nostræ similis, & operosa dubitatio inserta erat. Itaque similitudo vna ingenij, mihi totius operis commendauit auctorem. Aliquot ibi scriptorum sententias attingit, quòd insularum Oceani, quæ circa Britanniam, quæve inter Arcton & Occasum sunt, extrema sit Tyle. Vbi æstiuo nulla nox, brumali contrà solstitio nulla dies, vltra quam pigrum atque concretum iaceat mare. Ad hæc Solinum & Isidorum testes citat. Ignotam nihilominus insulam occidenti, nullámque huius vel naturæ vel nominis illic esse confirmat: ideóque coniecturam sequens, aut famosam, sed fabulosam insulam existimat, aut infinito ab aliis spatio secretam, nusquam alibi quàm in intimis Borealis Oceani secessibus requirendam: cuius sententiæ astipulatorem facit Orosium. Poterat & Claudium vbi *Hyperboreo damnatam sydere Tylem* ait. Hoc tamen omisso, rem agit, & ad hunc ferè modum ille disputat. Tu testes, quos inducit examina, quàm sibi constet, & quanta sit dictis fides intelliges. Ego enim nunc à libris omnibus quàm longissimè absum, & id vnum in hac peregrinatione molestissimum

expe-

experior. Domo egressus nullum Latinæ linguæ murmur audio, domum regressus comites libros, cum quibus loqui sum solitus, non habeo: omne mihi colloquium cum memoria mea est. Hæc igitur ex tempore & memoria scribo, ita vt de quibus illum hæsitantem video, silentio potiùs quàm calamo committenda crediderim. Multa sanè non aliter quàm si sub oculis libri essent, memini, quæ frequens horum cogitatio mihi altiùs atque tenaciùs impressit. Plinium ille Secundum fortè non legerat, quo nemo certius rem expressit. Quam verè, definire non ausim, cùm illud semper occurrat, quid ita omnibus habeatur incognita insula tam vicina, tam celebris. Sed dicam quid ipse Plinius Secundus secundo naturalis historiæ libro te refert: Tylen esse insulam sex dierum nauigatione in Septentrionem à Britannia distantem, vbi semestrem æstiuum diem ac paris spatij brumalem noctem esse coniectat, & violento, quantum sibi videtur, rationis argumento. Et præterea nescio quo Phocensi Pythia Massiliensi teste vtitur. Quæ si vera sunt, quantulum hinc abest Tyle ipsa quam quærimus, cuius apud Indos, vt auguror fama ingens, apud nos notitia nulla est. Seruius quidem, etsi Grammaticus melior quàm vel Cosmographus vel Poeta, sequens tamen priorum vestigia super illum Virgilij locum:

Tibi seruiat vltima Tyle:

Sic ait: Tyle insula est Oceani inter Septentrionalem & Occidentalem plagam vltra Britanniã, Hyberniam, Orchadas. Vides vt vnum ferè signum omnes aspiciat, vt inter Septentrionem & Occasum, ac non procul à Britannia vario sermone conueniant: vbi si corpore conuenissent, re cogente, mutassent fortè sententiam. Duo lõgiùs abscedunt à cæterorum dictis: sed an ad verum propiùs accedant, an propter distantiam non ita manu (vt aiũt) mendacium prendi possit, incertum est. Horum alter *Orosius* est, cuius suprà est mentio habita, alter verò *Pomponius Mela*, nobilis Cosmographus, quem Plinius in *multis sequi* solitus hîc neglexisse visus est. Is enim toto anno, vnum solis ortum verno, vnúmque autumnali æ-

quinoctio occasum, atque ita vna die duntaxat, vnáque nocte distinctum anni spatium, Hyperboreis populis assignat, primis in littore Asiatico super Aquilonem Ripheósque montes habitantibus, omnium (si quid sibi credimus) mortalium innocentissimis fœlicissimísque: Tylem autem inter Oceani insulas, Belgarum littoribus oppositam testantur noctes ibi breues, hyeme quidem fuscas, æstate lucidas, solstitio nullas. Adest tanta discordia, vt mihi quidem nihilo videatur occultior insula ipsa, quàm veritas. Sed bene habet, quia quod laboriosè quærimus, impunè nescimus. Lateat ad Aquilonem Tyle; lateat ad Austrum Nili caput, modò non lateat in medio consistens virtus, & huius vitæ breuis semita, per quam magna pars hominum palpitando, titubandóque proficiscitur ad incertum finem ambiguo calle festinans. Ne ergo nimis magnam operam impendamus in inquisitione loci, quem forsan in ventum cupidè linquere remus. Claudenda iam epistola, & tempus curis melioribus impendendum est. Hæc sunt, quæ de hoc ambiguo tibi nunc ex ipsa (vt ita dixerim) inquisitionis area excutere potui. Reliqua à doctioribus exige. Mihi quidem, si hæcce latibula rimari, & abdita nosse negatum fuerit, meipsum nosse sufficiet. Hîc oculos aperiam, hîc figã intuitum: orabo eũ qui me fecit, vt se mihi méque simul ostẽdat, & (quod votum sapientis est) notum mihi faciat finem meum. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. II.

Curas hominum superuacuas esse.

QVid ad literas tuas dicam? Vereor nè humanorum torrens rapidissimus, eorum amicũm nostrum fundo aluei rotatum cum vniuerso rapiat. Senescit, vt vides, inter ludos atque præstigias Fortuna, multa sibi promittens, quæ (mihi crede) nunquam veñient. Vna tamen excusatio est: omnes idem ferè morbus habet. Quem inuenies, qui non sæpe crastinæ quietis hodie laboret? Hæc fœlicitas, hæc mortalium vita est. Mirus furor, nec miror, ideò quia publicus hiare inuentis, & certis bonis abiectis

iectis incerta sectari. Ignorant homines quantum lucri sit, spes inanes, & fallaces perdere. Nulla grauior sarcina; nulla tamen tristius deponitur, vsque adeò malis etiam propriis delectamur. Laborat ille quidem & suspirat, & anhelat superuacuè & cõtra Flacci sententiam, *Terras diù calentes sole permutans, breui fortis iaculatur æuo multa.* Non accuso in aliis, quod in nobis excuso. Tulit & nos multa vidẽdi ardor per terras ac maria, & nũc maximè ad extrema terrarũ ea me voluptas traxit, pellẽte hinc tædio rerũ morúmque odio. quo rursum dura necessitas retraxit, nudiustertius applicuit, & cùm multa inde tibi scripsissem, reuersus pulueruIentum calamum tuo primum nomine detersi. Amicus autem noster, non vt doctior redeat nullum mundi littus inaccessum sinit, & omni vento caducæ frondis more circumuoluitur: suspiriorum eius nullus, vt auguror finis erit, nisi qui vitæ. Hoc sibi verbis meis dicito. Raro quidem præmeditata succedunt: sed finge succedant: crescit cum fœlicitate miseria. Id haud difficilè persuaderi posset experto, nisi consuetudo pessima aures salutaribus vocibus obstrueret. Sed ipse de se viderit. Tu verò cœptum tene, & ne turba delirantium animum à proposito conuellat, caue. Senecæ, imò verò ipsius naturæ verbum est: Nec multo opus est, nec diu. Vale.

FRAN. PETRARCHA STEPHANO COLVMNAE IVNIORI, S. Epist. III.

Vsum victoriæ non amittendum esse.

POtuisti, vir fortissime, vincere: Scito, sapientissime vir, vti victoria, ne quis vnquam nostrum tibi possit obiicere quod Cannensi quondam die Maharbal Hannibali, qui si consilio obsecutus, recto calle ab acie Romam sanguine nostro rorantia signa vertisset. Quænam sit historicorum opinio, non ignoras. Sed illius impiis ausibus obstitit Italiæ fauens Deus. Idem pios adiuuans conatus, aciem tuam comitabitur, diriget, se duce victricia signa non deseret. Ille tibi nunc perpetuam victoriam, vltimúmque tuorum hostium exterminium

pollicetur, qui de tot olim Barbaricis legionibus piam paucitatem Theodosij principis saluam fecit. Et tu profectò iustissimam causam foues, & qui illius tunc iustitiæ fuit, tuæ nunc testis est CHRISTVS, deuotissimè tibi diebus ac noctibus inuocandus, vt peragat quòd incœpit. Non equidem procul ille, sed tecum est, & tecum erat (mihi crede) dum vinceres. Alioquin quó-nam modo cum paucis tantum fudisses exercitum, atque vnus duos superbissimos hostes, incautúsque idem ac propè semiermis, præmeditatos illos & instructos inopino Marte tam celeriter oppressisses? Aderat proculdubiò cœleste præsidium, aderítque quotiens non mutata iustitia partis tuæ piè reuerentérque postulabitur. I tanto securus duce, & de cæsorum sanguine renascentem puerum, Ecclesiarum spoliis oneratum, prædam verius scito esse quàm prælium. Prior nempe victoria, vt gloriosa, sic inops fuit; hæc tam opulenta, quàm facilis. Vade igitur ad certam victoriã potius quàm ad ambiguum certamen, & vade non tam propriis viribus quàm diuino fisus auxilio. Ipsa pro te etiam elementa pugnabunt, quæ pro Theodosio pugnauerunt quódque ait Claudianus:

Tibi mittet ab antris
Aeolus armatas hyemes, tibi militat æther,
Et coniurati venient ad classica venti.

Nam & tu quoque cum crucis hostibus, licet CHRISTI nomen vsurpantibus, bellum geris. Quod sic esse nouus Eugenius ex agno lupus, tyrannus ex clerico, oppressæ ac nudatæ per Italiam testantur Ecclesiæ. Te non tuarum magis, quam suarum iudicem offensarum poscit læsa diuinitas. Noli geminæ deesse vindictæ, neque in his, quæ gesta sunt, spem vsque adeò posueris, vt quæ sunt gerenda non videas. Aliquid est actum, imò multum, imò plurimum, imò nihil, cùm principio finis desit. Ne quæso cum victoria vti possis, frui malis. Qua in re nostro quidem optimo, sed pessimo facto suo errasse tantus ille militiæ magister arguitur. Quamuis autem vnum illud omnibus bellorum ducibus qui sunt, quíque erunt

erunt omnibus seculis, abunde cautionis ac documenti præstare debeat, ne tamen in tam magno negocio, vnius exempli commemoratione mouearis, & nostra & peregrina subiiciam. Magnus Pompeius ad Dyrrhachium victor Iulium Cæsarem propè captum, dum retinere posset, abire permisit, siue ignorantia rei bellicæ in duce probatissimo, siue fortuna familiari suo in extremis necessitatibus opem ferens, siue (quæ vulgatior fama est) mira prorsus, atque vt nam fœlix, humanitas illa fuit, ex qua mox in Thessalia calamitas publica, & in Ægypto ducis ipsius mors miserabilis consecuta est: & in Africa Catonis simul ac libertatis interitus, & in Hispania tristis reliquiarum strages, & Romæ spoliatum ærarium, oppressæ leges, atque ibidem succinctus ferro abdito Senatus, & victor in Capitolio, quod quatuor triumphis ornauerat, interfectus. Hinc Perusij ac Mutinæ grauis obsidio, & crudelissima Parmensium clades, cuius in Philippicis Cicero meminit, & & Pharsalia nostro sanguine rursus infecta, & sub Leucadio atque Actio verticibus illa ingentia bella naualia. Postremò inde vsque in seculum nostrum tantorum series malorum, vt impossibilis enumeratio sit & amara memoria, nec dum miseriarum finis vllus appareat. Quid de Cyro rege Persarum loquar, qui (vt propriè dicam) victor in prælio, in victoria victus fuit? Quid de Alexandro Macedone, qui bello incolumis, in conuiuio periit? Agamemnon nonne famosum illud ac superbum Ilion strauit? Africanus minor noster (vt ita dixerim) Poliorchetes Carthaginem atque Numantiam funditus euertit? Vterque in bello, quàm post victoriam, tutior; militiæque fœlicior quàm domi; quos non minus moribus quàm locis, temporibúsque distantes sciens, in hac breuis epistolæ parte coniunxi, quòd propè par fatum atque idem amborum exitus videretur, victores hostium, quisque sua perdomita ac subacta barbarie, inter amplexus nefandissimarum coniugum periere. Nihil hæc, fateor, ad nostrum propositum. Itaque rem omnium ad vnum finem deduco, vt ostendam multa etiam victoribus

metuenda. Nusquam igitur gestarum rerum fiducia subsistendum, prodendúmque longius assiduè, ac more Cæsareo vrgendum impigrè successum, instandúmque fauori numinis, credendúmque nihil actum, dum agendum aliquid supersit, alioquin multis bello suspectiorē fuisse victoriam, & verendum valdè, ne melius fuerit non cœpisse quàm cœptum medio procurrentis facti calle deserere. Vale.

FRAN. PETRARCHA STEPHANO COLVMNA IVNIORI, S, Epist. IV.

Literas & carmen misisse indicat.

DE vniuerso rerum tuarum statu quid sentirem, breue quiddam tibi, bellacissime Vir, materno pridem sermone conscripseram, vt posset militibus etiam tuis innotescere, tecum in partem laboris & gloriæ profecturis. Subinde autem pariente noui aliquid semper ingenio, eidem tibi carmen ex meo alienóque contexui ea lege, vt primus meus, secundus alicuius probati Poëtæ versus esset, atque ita, vt legentem non sententiarum modo artificiosa connexio, sed verborum quoque consonantia delectaret. Qua in re, ceu noui poëmatis (tenui licet inuentione) gloriabar, donec misso iam carmine deprehendi alios ante me hoc genus attigisse verúmque quod Hebræus sapiens dixit: *Nihil nouum sub sole*, quódque ait Comicus Poëta:

Nihil dictum quod non sit dictum prius.

Nouissimè per nuncium Stephani Senioris, magnanimi patris tui, quò plures virtuti stimulos incuterem, scripsi oratione solita & libera quam si habes, nihil est quod mutem, nihil quod adiiciam: quamuis enim multa se offerant, tamen sapientem monuisse satis est. Vale.

FRAN. PETRARCHA STEPHANO COLVMNAE IVNIORI, S. Epist. V.

Solitudinem experientia laudatam.

POstulas tibi statum vitæ solitariæ, quem hac ætate secutus videor (vt asseris) præter morem hominum nostrorum, breuibus verbis exponi, vtrum imitandi an irritandi auidiùs, nescio; tu scis. Cæterùm quia magnam rem

inter

inter angustias cogi, ac breuiter dici velis, forsan ignoras. Sunt de hoc ipso disertorum hominum libelli, nec tamen (quantum mihi videtur) à quoquam sufficienter adhuc laudata res est, de qua sæpe mihi (fateor) scribere aliquid impetus fuit, & fecissem, nisi quia nondum aut ingenio aut stylo, aut rerum notitiæ satis fido. Quod ad te, precésque tuas attinet, ego quidem, vt nunquam æquis auribus laudatorem vitæ huius audiam, nisi qui primò dulcedinem eius aliqua ex parte gustauerit, cum innumerabilibus bonis hæc affluat quæ nec audiendo nec legendo, denique nec aliter quàm experiendo discuntur: sic frustrà quenquam doceri velle rear, nisi eadem experientia magistra. Quid enim refert quanto eloquio res agatur, aut non intellecturis qui audient, aut minimè credituris? Tu itaque si te solitudinis meæ admiratio & mirandi studium trahit (vt prædicas) noli me curis aliis intentum fatigare, noli narrationem imparem rebus exposcere: sed si modo tu (quod ego, quia valde vereor, sæpe repeto) pura mente, discendíque, non tentandi animo interrogas, veni & vide, quódque ipse tibi debere potes, alteri ne debeas. Desine tuarum aurium pruritum alieni sermonis vnguibus scalpere, leuioribus scalpellis idem consequi non prohibeers: ídque fiet honestius, quàm si tractatum rei grandis extorqueas, ad nihil aliud aut annuenti profuturum, aut petenti quàm vt legentis intentio culpari possit, & sint scribentis verba contemtui. Vale.

FRAN. PETRARCHA STEPHANO COLVMNAE IVNIORI, S, Epist. VI.

Summa fœlicitas quæ.

QVid in quæstione proposita sentiendum putes ipse videris, nec ætas, nec librorum lectio, nec rerum experientia defuerit. Apud me quidem rerum non honestarum vel sola consultatio turpis est. Si sententiam extorques, absit à me non modò summum, sed (quoniã & in hac opinione Stoicus, quã Peripateticus, & in omnibus Stoicus multò, quàm Epicureus esse, malim) ne aliquid

quidem bonum in diuitiis, aut in voluptate reponere. Commoda sunt hæc, & adminicula vitæ mortalis: itaque illud fortunæ, hoc corporis bonum vocant. Bonum verò quod quærimus, in animo est, nec corpori seruiens, nec fortunæ cætera vocari bona fateor, sed non esse contendo. Né-ue me forsan errore lapsum putes inaduertenter hoc dicere, non sum nescius quid de hac re Aristoteles, quid Epicurus sentiat, sed philosophantium auctoritas non impedit iudicij libertatem. Mihi illa Philosophorū diuinorum verior sententia videtur: Beatos esse non posse, qui bona diuidant tripartitò. Vnum bonum est, vnum quòd fœlices faciat: vestra quidem nimis inops & emendicata fœlicitas est, ad quam non modò forma corporis, & prosperior valetudo, sed diuitiæ etiam admittuntur, seu potiùs exiguntur, nimis furum insidiis exposita, minis denique sollicita semper ac trepida, quo nihil est à fœlicitate remotius: Nam illa Epicuri in voluptate consistēs, non solum nulla fœlicitas, sed extrema miseria est. Quid enim homini miserius, quàm bonum bono pecudis, hoc est, rationem sensibus substrauisse? Sed nón-ne ego parum sani capitis videbor qui inter tantas partes super lite tam dubia iudex non electus accesserim? Credat igitur quisque quod credidit: durum est enim ab inueteratis opinionibus auelli. Extant de his Philosophorum tractatus varij, quorum vix nomina epistolæ clauderentur angustiis. Extat integer Ciceronis liber, qui de Fine bonorum & malorum inscribitur, quem cùm legeris, nescio an quicquam vel auribus, vel ingenio relictum sit quod requirendum putent. Sed quoniam à me, non quid verum (id enim fortè abditum est) sed quid mihi videretur postulasti, breui rem omnē fine concludo. Noli iniquis cōsultoribus aurē præbere: qui neque famam, neque salutem tuā diligūt; id tantùm consulunt, quòd vel sibi eligerent, vel tibi gratū putant. Tu verò nihil præter honestum cogitare, nihil in bonis numerare debes. At vtile lucrū est. Ita prorsus, si cum honestate cōiunctum sit: alioquin nil noueris esse posse damnosius. Vulgatum est, quid de hoc ipso in Officialibus libris Cicero idem disputet, sed magna pars legentium rerum negligens solis verbis inhiat,

& præ-

& præcepta vitæ iudicio aurium, quasi totidem fabellas amplectitur. Tu memento illic non linguæ, sed animi negotium agi, hoc est, non Rhetoricos, sed Philosophicos esse sermones. Stet ante oculos id quod Athenis olim Atticis votum fuit, & Themistoclis consilium, & Aristidis interpretatio, & iudicium concionis. Proinde, quamuis vulgus irrideat, hac demum lege emolumentum non aspernor, si nihil probri mixtum affert: si secus, non aliter aurum quam scopulum vitabo. Aurũ enim, vt ait Plautus,

Multa multis sæpe suasit perperam.

Denique (vt eodem cum auctore concludam)

Non ego omnino lucrum omne esse vtile homini existimo. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. VII.

Mediocritatem amplectendam.

QVamuis non sim nescius, quantò plus sub multorum quàm sub vnius imperio Romana res creuerit, multis tamen & magnis viris visum scio fœlicissimũ Reipublicæ statum esse sub vno eodémque iusto principe. Ita pugnare simul auctoritas, & experientia videntur. Sed maior est quæstio, quàm vt tam breui sit explicanda literula. Certè vt nostrarum rerum præsens status est, in hac animorum tam implacata discordia nulla prorsus apud nos dubitatio relinquitur, Monarchiam esse optimam relegendis reparandísque viribus Italis, quas longus furor bellorum ciuilium sparsit. Hæc vt ego noui, fateórque regiam manum nostris morbis necessariam, sic te illud credere non dubito, nullum me regem malle, quàm hunc nostrum cuius sub ditione viuimus adeò suauiter ac tranquillè, vt nec Pyrrhi humanitatem, nec fortunam Alexandri, nec Zeleuci iustitiam, nec, vt Romanis potiùs exemplis vtar, Romuli ardorem, nec Numæ religionem, nec Tulli militiam, nec Anci magnificentiam, nec Tarquini habitum, nec Seruij prouidentiam, requiramus. Et profectò si regem à tyranno sola iustitia discernit, iste rex verus est, quemlibet tyrannum vocent. Verissimi omnium tyranni, qui se Patres Patriæ dici volunt, cum quibus nullus Phalaris,

nullus Agathocles, nullus Dionysius, nullus denique Caius, aut Nero, omniúmque fœdissimus Heliogabalus, possit de impudicitia & feritate contendere. Sanè quoniam prudentis est, non tam quid delectet, quàm quid expediat aduertere, inque hoc ipso non principia rerum, sed exitus contemplari, tibi, cuius ille consiliis agitur, optimo consilio, cuius de prudentia & fide dubitari nusquàm finis, tibi (inquam) amice, cuius animus meus notus est, hoc rusticum fortè, sed fidele cõsilium dedisse velim, vt suadeas sibi, fines suos satis patêre, siue opes, siue gloriam spectet. Cupiditati nihil est satis, illa cum non fallat promissis ingentibus: aurea mediocritas est in omni fortuna: humana quidem fœlicitas, nullo sibi fine proposito progrediendi auida, & in infinitum tendens, vt sollicitudinis plurimum, sic nihil solidi, nihil certi, nihil quieti habet. Ideóque mihi semper placuit Africani modestia iunioris, qui Cẽsor lustrale carmen, quo à diis Romanæ fœlicitatis augmentum poscebatur, velut nimiæ cupiditatis plenum, & ipsis importunum deis mutari, & ex illo non aliud quàm status, qui tunc erat, stabilitatem solam iussit exposci. Sobriè quidem ac prudenter, si & mortalia consistere scirent, & ab omnipotenti Deo petitum esset, quod à diis fallacibus petebatur. Multa hîc dixi posse video, sed quid opus est verbis? Vides animum meum, quid cupiam, & quid metuam nosti. Audio illum nouas res moliri. Opto fœliciter, si pergit, sed malo desinat: tutior enim via est. Oppone te oro principiis: ingerat sibi illud abstinẽtissimi ducis, Romanos non tam aurum habere, quàm imperare aurum habentibus voluisse. Id si de auro rectè dicitur, quod addi potest, quid de terris atque vrbibus? Itémque si de hostibus rectè dicitur, quid de amicis dices, quos non coacto, sed spontaneo modereris imperio? quorum non terris modò vel aurum, sed corpora, sed animos pleno iure possideas. Cùm honestius, tum tutius est, amicos habere, quàm patrimonium amicorum. Et vbi volentibus possis, stultum est velle nolentibus imperare Philosophorum, quin potius naturæ vox est: Nihil violentum diuturnum. Modestos regni fines, facile tueâre, immensum imperium difficile quæritur,

diffi-

difficillimè custoditur. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. VIII.

Præterita & futura anxie non curanda.

ABiiciamus oro, si possumus, & tristem præteritorum memoriam, & anxiam sollicitudinem futurorum. Torquent enim de nihilo, & geminis velut aculeis vitæ nostræ requiem hinc inde perturbant. Quid anhelamus? Quid affligimur? Nec transacta mutari possunt, nec venientia præuideri. Quid Mathematicis opus, aduersus quos non modò sanctorum, sed Philosophorum, & Poëtarum, & omnium vera sentientium clamat auctoritas? Et vt plurium philosophica prætereãm, peruulgato Maronis testimonio:

Ignaras vatum mentes quis ignorat?

Scitum est illud Actij:

Nihil (inquit) *credo auguribus, aures verbis ditant*
Alienas, suas vt auro locuplent domos.

Nec minus illud Pacuuij vetustissimi Poëtæ:

Nam quæ si ventura sunt præuideant, æquiparentur Ioui.

Nec tu Poëtam à Philosophia putes hac in re diuersum. Sic enim ait Esaias: Annunciate quæ futura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos. Fauorini igitur Doctissimi viri Ciceronianum magna ex parte consilium, quo nos vterque ab his omnibus præstigiis at fallacis dehortatur, non admittendum modò, sed ampliandum censeo. Aut enim promissores hi, qui venturi notitiam pollicentur, aduersa falsò prænunciant, & frustrà nos inani terrore compleuerint, aut verè & ante tempus miseros fecerint. Rursus aut læta verè, & duplex est incommodum: Fatigatio expectationis, qua nescio an vlla sit maior & Deliberatio gaudij, cùm venerit, siue vt ipse vocat, præfloratio: quod quidem, antequam veniat, sperando & mente præoccupando iam dudum ferè consumptum sit: Aut falsò, & inanem profectò ridiculámque lætitiam certum est spei perditæ dolore mixtóque simul pudore desinere. Audiendi ergo penitus non sunt, impossibilia quidem sibi, nobis etiam inutilia promit-

tentes. Quid verò quisque sibi dixisse CHRISTVM putet, quod Amphitryoni verò Iuppiter apud Plautum:

Bono animo es, adsum Amphitruo auxilio tibi & tuis,
Nihil est quod timeas hariolos, aruspices
Mitte omneis quæ futura, & quæ facta eloquar
Multò adeò melius quàm illi.

Non quidem, quia sum Iupiter (vt ait ille) sed quia sum Deus. Ille sanè multa nobis ad aurem cordis assiduè loquitur, quem si audire voluerimus, facilè poterimus horum circulatorum promissa contemnere. Mors certa est, hora mortis incerta: vt omnem horam velut vltimã expectemus, hæc salutariter nosse satis est. Quæ igitur horum impudentia, quæ nostra dementia, vt multa caligine obsiti, solíque Deo cogniti, venturi temporis denuntiatione nos crucient? Est vnum, fateor, in hac tota vanitate mirabile, quòd cum in reliquis valde veridicus quisque vno insigni mendacio subeat mendacis infamiam, hic quantumuis mendax vna fortuita veritate veridici famam consequatur. Miratur hoc Cicero aliis licet verbis, in eo libro, quo exiguo in spatio diuinationẽ ædificat, euertítque. Augustinus autem & sæpe aliter, & in libro diuersarum quæstionum, maximè aduersus eos loquens, qui nunc (vt ipse ait) appellantur Mathematici, volentes actus nostros corporibus cœlestibus subdere, & nos vendere stellis, ipsúmque pretium, quo vendunt, à nobis accipere, rationem affert: Cùm autem multa vera (inquit) eos prædixisse dicatur, ideò fit, quia non tenẽt homines memoria falsitates erroréſque illorum, & non intenti, nisi in ea, quæ illorum responsis prouenerunt, ea quæ non prouenerint obliuiscuntur & ea commemorantur quæ non arte illa (quæ nulla est) sed quadam obscura rerum sorte contingunt. Quod si peritiæ illorum volunt tribuere, dicant artificiosè diuinare etiam mortuas membranas scriptas quaslibet, de quibus plerunque pro voluntate sors erit. Quòd si non arte de codicibus exit sæpe versus futura prænuncians, quid mirum, si etiam animo loquentis, non arte, sed fortè exit aliqua prædictio futurorum? Hæc vltima quidem Augustini sunt, quæ hinc auctoritas hominis commen-

das

dat, hinc fides. Horum verò fallaciis omnibus quid putas aliud viam fecit, nisi vulgaris inscitia & infinita cupiditas, ne dicam rabies, sciendi ea tantum, quæ nec sciri possunt, & scire non expedit? Tu ergo genus hoc hominum temerarium & procax, ac tranquillæ vitæ contrarium fuge, vt quantum possibile est, breuissimum hoc tempus sine superuacuis & inanibus curis agas. Sic enim habeto, donec superstitionum pondus abieceris, beatam vitam poteris optare, non assequi, contraria se vicissim trudunt, nunquam metus & fœlicitas cohabitant. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. IX.

Ebrietatis incommoda.

TAceo, quæ aduersus ebrietatem copiosissimè dici possunt, quàm fœda, quàm periculosa, quàm tristis ægritudo est, quantúsque furor scienter obruere atque enecare spumanti dolio rationem, quod singulare ac præcipuum habet hominis natura, neque pedes, neque linguam, neque animum in potestate habere tremulum caput, instabiles manus, stillantes oculos, grauem corporis odorem, & pridiani meri reliquias crastino insultantes. Taceo libidinis regnum, virtutis exilium, vulgi fabulam ac risum, bonorum odium atque contemptum, mutationem repentinam: sileo & quamlibet doctorum instantiam, ac cuiuslibet ætatis infantiam, omnium iocis ac fraudibus, omniúmque ludibrio expositam, rimulas quoque mentis oppressæ ac futulis, & graui pondere fatiscentis, vnde secreta effluunt, sæpe cũ propria, sæpe cum aliena pernicie, quæ multis mortis & extremæ miseriæ causa fuit. Luctum præterea & inane gaudium, & contentiones, & iurgia, & præcipitium, & incautos congressus inermium cum armatis. Hæc vt nota, inquam, & vuulgata prætereo. Est Apulei Madaurensis liber, qui inscribitur Floridorum: ibi quid primus crater agat, quid secundus, ac deinceps faceta narratione disseritur, cuius sententiam non muto, sed extendo. Nescio enim, cur, aut quomodo plus hodie bibitur quàm

olim. Vtinámque hic luxuriæ modus esset. Quocunque te vertas fragiliores ad virtutem, fortiores ad vitia facti sumus. Secundum me igitur, primus crater pertinet ad sitim, secundus ad lætitiam, tertius ad voluptatem, quartus ad ebrietatem, quintus ad iram, sextus ad litigiũ, septimus ad furorem, octauus ad somnium, nonus ad morbum. Hæc illi Marco Bibulo, collegæ non Iul. Cæsaris, sed tuo, cuius assiduè cum vitiis lasciuiáque litigas, si profutura credideris, meis verbis dicito: si forte sibi irreprehensibilis videtur, eò quòd nondum ad ebrietatis extrema perueuerit, sciat plus esse è sobrietatis ac modestiæ fastigio vel modicum descendisse, quàm vbi semel labi cœperis, in fundum excidere. Gradatim subeunt virtus & nequitia: nemo vel optimus, vel pessimus fit repente. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. X.

Ad bellum hortatur amicum.

FIdes silentium interrumpit, charitas loqui cogit, testor CHRISTVM, coactus ad scribendum venio, quę si eodem animo lecta fuerint quo scribuntur, poterunt & mihi apud te beneuolentiam augere, & tibi gloriam apud gentes: quoniam enim non dissimulare possum, si non falsum amicitiæ nomen gero, quin te magnis periculis circumuentum, vel dormientem excitem, vel cõmonefaciam vigilantem? Vides quàm graue bellum inter Gallum, Britannúmque reges oritur. Nulla proculdubiò tanta res ab auorum nostrorum temporibus, certè nec ab atauis proauorum in Europæ finibus apparuit, aut tam latus gloriæ campus fortibus viris oblatus est. Cuncti reges ac populi suspensi, ad tantæ contentionis euentum, præcipuè qui ab alpibus Italiæ ad Oceanum incolunt. quos ingens vicini tumultus exciuit fragor, in armis sunt, tu solus tanto sub turbine dormis, te quidem Virgiliana premit increpatio, & tibi cœlo missus nuncius exclamat:

Potes

Potes hoc sub casa ducere somnos?
Nec quae circumstent te deinde pericula cernis?

Profectò si nihil aliud quàm pudor obstreperet, debebas celeriùs expergisci. Qua enim fronte, quo animo cæteris ad æstiuũ solem, sub galea & vmbone degentibus, tu procul ab agmine virorum, fœmineáque circumstipatus acie, conquisitis pastus epulis, & molli veste contectus, vmbra torpes & otio? Homo olim (vt putabam) auidus honoris & gloriæ, homo potens & nobilis, homo iuuenis & robustus, quid oro te impedit? Munditias amas, refugis laborem. Sed audi fortissimi viri verbum à Salustio relatum: *Munditias mulieribus, laborem viris conuenire.* Si enim metuis, & calles arenosos, & serpentes sub leone terribiles. Sed alterius, & si minus bellicosi, non minus fortis viri dictum accipe:

Serpens, sitis, ardor, arena
Dulcia virtuti gaudet patientia duris

At mortem, gladiósque formidas? Sed & hic verbum illud occurrat alterius viri fortis:

---Mors vltima pœna est,
Nec metuenda viris.

Non plus, inquam, metuenda, quàm somnus aut requies. Quid enim inter mortis & originis diem refert? Imò verò largiter. Ille nos humanæ vitæ laboribus inuoluit, hic liberat. Hinc ille mos ex intimis philosophiæ penetralibus eductus, in suorum ortu lugentium, atque in morte gaudentium. Sed ne ab opinionibus vulgarium recedamus, à quibus tamen, si ad salutem pergimus, quàm longissimè recedendũ est, detur timendam esse mortem, & illud vulgatissimum Aristotelis audiatur: Mortem esse vltimum terribilium, qui & ipse quoque consultò non maximum dicere voluit, sed extremum. Sed esto, sit maximum: putás-ne illam ideò vitare, quia bello abstines aut mari? Notum & illud alterius Poetæ:

Frustrà cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Hadriæ:
Frustrà per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

Quamlibet exactã curam nostri corporis habẽtibus mo-

riendũ est, sed prolatandæ mortis studium solet esse mortalibus, fateor, & excusationem publicæ imbecillitatis agnosco. Primum, oro te quantula ista dilatio est? deinde quot, & quàm duris casibus exposita? quàm multis vixisse nocuit, & vitæ gloriã imminuit mors dilata? Quotidianis exemplis abundamus, sed reuerentius antiqua commemoro, nostra quoque libentius quàm externa. Si paulò minus Tullus Hostilius vixisset, ictus fulmine non fuisset, paucos annos detrahe Tarquinio, rex mortuus erat ille, non exul. Appio Claudio vita longior cæcitatẽ, Mario carcerem & degenerem fugam latibulum limosæ paludis attulit. Quid Pompeio Magno clarius, nisi splendorem tanti nominis vitæ diuturnitas, & quæ illam secuta est, mortis indignitas obscurasset? Quid de duobus Africanis dicam, quantò melius putas, alter ante mœnia Carthaginis, alter ante portas Numantiæ perisset? non primus ingratã patriam exilio indigno & famoso epigrammate, secundus inultæ mortis iniuria condemnasset? Ipse Cæs. Augustus, quem ex omnibus fœlicissimũ iudicares, quantò fœlicior moreretur, priusquam filiæ iam senescẽtis adulteria, & quas execrari solitum accepimus, vomicas suas inciperet numerare? Omitto Regulum, Catonem, & reliquos, quos nobilis mors illustrat, quamuis in Catone diuersum à nostris sentire cogar. De Cicerone loquor & Seneca. Nolo ante ciuile bellum obierit, ne constantiæ suæ testes fide dignissimi detrahantur. Laborẽ ac discrimen miror intrepidum: miror colluctationem anguibus, miror arenis Libycis oberrantẽ, laudo animi robur, contumaciã, laudo libertatem, accersitam mortẽ, desperationémque non laudo. Ne autem me forsan extranea putes exẽpla negligere, Clarior Pyrrhus, Clarior Hannibal moriturus erat, si sepulchrum ambobus Italicum contigisset, infaustus vtrique reditus in patriam fuit. Clarior Cyrillus si antè moreretur quàm Scythicos fines: clarior Brennus vester, si prius quàm Delphicũ limen attingeret. Quid venenũ Mithridatis? Quid varietatẽ Alcibiadis? Quid Themistoclis exilium? Quid Aristidis catenas? Quid incendiũ Crœsi loquar? Raró vita longior coæquæuam fœlicitatẽ habet, quæ vbi occidit, non sufficit infœlicem esse, nisi

præsens

præsens calamitas, transactæ fœlicitatis memoria recrudesceret. Etsi nihil nobis accidat viuendo, tamen multa spectare cogimur in nostris, quæ nos beatos esse non sinat. Fœlix hinc abiisset Priamus, fœlix Peleus, fœlix Nestor, si filios præcessissent. Et vt alterius generis exempla nõ desint, non Socratem venenatus calix, non Euripidẽ canes, non Demosthenem ac Ciceronem gladij consumerent, non oblinio Messalam, non Plotinum lepra peruaderet, si opportuna mors instantes miserias præuertisset. Exemplorum verò iam satis est, in re præsertim non ambigua. Vides igitur vt longioris vitæ cupiditas cæca est, bona mors optanda est, in qua falli neminem posse constat, neminem pœnitere. Sed quoniam vsus obtinuit, nocitura passim & in caput nostrum recasura concupiscere, liceat optare cũ populo: an tamen ignauia semita speras ad optatum prouehi? Largè quidem falleris. Quàm multos sopor immodicus oppressit, quos labor & vigiliæ praeseruassent? quàm multos vel necauit crapula, vel suffocauit ebrietas, qui ieiunio salui forent? Vulgatum est: Plures cœnam occidere quàm gladium. Quocunque ciborũ genere nutritos, quocunque terrarum angulo latitãtes, mors inueniet, & tributum suum inexorabilis repetet, exiget, extorquebit. frustrà tergiuersamur: si ad mortem non ierimus, illa nos sequitur. Cogita ergo, quid honestius, quid viro dignius, an delitescere, & fugere quod euitare nequeas? an occurrere venienti, & offerre quod debeas, atque vltrò fortunam sequi, ne si restiteris, vi traharis? O miseranda breuissimæ suauitas moræ! Quisquam ne vsque adeò viuendi cupidus, vt non statim mori malit, quàm vnius anni spatio, vitam cum dedecore prorogare, præteritorum omnium annorum decora corrumpens? quanto erit obscœnius, metu mortis indecorum aliquid agere, vbi ne dicam anni vnius, sed nec diei totius certitudo promittitur? Sed quod ipse tecum cogitas, Irem, nisi mortis adire periculum timerem, tunc vtrumque dici posset, si sine periculo maneres. Nunc autẽ nón-ne vel repẽtina febricula, vel pestis alia (est enim multiformis humanorũ casuũ & mira varietas) vitã tibi, quã regi tuo negas, fortassis eripiet? Quæ cũ ita sint, hortor atq; obsecro, vt iã

tandem caput attollens circumspicias videbis immensam molem tantis regum & populorum apparatibus nutantem, ruituramque, quo eam fortunæ vis impulerit. Non est dissimulationi locus. Hostes tui vigilant, & regem iugi obsequio circumstant, cui si victoria cesserit, somnum tuum in tanto nunc eius discrimine contemplanti, & præter hoc ab olim tibi si nescis infesto, quid illum animi habiturum reris? Sin aliter successerit (omnia enim rotat ad libitum fortuna) an forsan tibi ex præsenti otio securitatem in illo ardore victoriæ partam speras? Tu verò non quia volueris, sed quia timueris, cessasse videberis, teque communis ruina cum vniuersitate pariter inuoluet. Crede mihi, pars vtraque spectatorem te certaminis vocabit, paratũ ad fortunæ nutũ, atque ad victoris arbitrium circumuolui: ita nusquã fauor, vndique periculum. Meminisse profuerit, Metij ducis Albanorum, qui quadrigis in diuersum actis ab Hostilio Romanorũ rege discerptus est, quòd inter armatas acies se mediũ præbuisset. Expergiscere oro, velociter, & dum adhuc tempus est, neglectum hactenus ad officium redi. Mundo enim tremente dormire, nescio quid morti similius quàm sopiri est. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. XI.

Vim amoris ingentem esse.

MAgna prorsus amoris, & mira potentia est, qui tam validè, támque tenaciter, inuisibili quidẽ, sed haudquaquam insensibili nexu, minima nectit immensis, & quorũ nulla paritas, pari regit imperio. Quid mi autem hoc iuris habeat in animis hominum sensu & ratione vigentibus, qui certis fœderibus, fluida & aduersa inuicem elementa conglutinat. Non flammis aër, non terra fluctibus hærerent, non ripas fluuij, non æquor littora, non semitas suas astra cognoscerent, nisi omnipotens, & (vt eum vocant)

Sacer orbis amor

Vniuersa connecteret. Qui cœlum igitur ac terras æquo iure moderatur, is inter humilitatẽ meam, & tuam altitudinem

dinem

dinem non discernit. Habet hoc ille præcipuum, æquare nouit inæqualia, amantémque fideliter vix patitur non amari. Sensit olim claritas tua, nullis quidem meorum actuum argumentis, sed solo (vt dici solet) mentis augurio (habent enim & suos oculos animi, quibus sese mutuò superatis corporeis velaminibus intuentur) sensisti (inquam) vir clarissime quænam erga tuum nomen deuotio mea sit, vt amanti vicem referas. Amor cogit. Id cùm sæpe multis indiciis, tum ex duabus nuper epistolis tuis, quas mihi Ioannes Aretinus Cancellarius tuus ostendit, iucundissimè recognoui, in quibus, mirum dictu, cum pro tot illum tantísque rebus huc miseris, non de Romanæ curiæ statu (quo nihil hac tempestate deformius, nihil incredibilius) non de maiorum fortunis amicorum, non de ipsis rerum tuarum successibus, postremò nihil omnino nisi de me, meísque rebus interrogas, atque illũ increpitas, quod curiosius in reliquis, id vnum quod singulariter præque omnibus nosse desideras, tacuisset. Ac ne quis te fortuito locutum putet, bis idem per literas questus es. Mitto alia iis fortasse mirabilia, qui nescirent, quàm familiariter olim cunctorum dominus Augustus Cæsar Virgilium ciuem tuum rusticanæ originis, sed minimè rusticani virum ingenij dilexit, & Horatium Libertinum patre, sed ingenuum stylo, quíque principis illius ad eosdem humiles amicos, velut ex æquo missas, & sæpe dulcibus blanditiis refertas epistolas non legissent. Quorum recordatiò quantum miraculo adimit, tantùm adiicit lætitiæ, dum talibus exemplis me misceri sentio, tantæque laudis mihi aditum aperiri. Quoniam, vt alter ex his Cæsareis amicis ait,

Principibus placuisse viris non vltima laus est.

Enimuero nouum hic miraculum emergit. Vt enim multa illis, sic mihi, fateor, nihil est quo placere debeam. Quomodo enim sperem aliis placiturum qui mihi ipse non placeo? Fortunatam sanè dicimus vxorem, non quæ formosa est, sed quæ viro suo videtur: Fortunatum seruum, non cuius est opera nobilior, sed in quem amor domini propensior. Sic ergo quisquis verè sim, si tibi aliquid videor, opinione tua me fœlicẽ dixerim. Et si nihil habeo

quo placere merear: tamen si placeo satis est. Agere gratias tibi, nisi humanitatem tuam verbis meis æquari posse diffiderem: in his quidem, quæ loquentis ingenium excedunt, tacere consultius. Vale.

FRAN. PETRARCHA MARCO suo, S. Epist. XII.

Diuinus amor commendatur.

ANimum tuum, quàm visibilis fuerit, optime Vir, apertè satis in literis ostendisti. Neque enim loqui taliter quisquam potest, nisi qui taliter est affectus. Sentio aculeos styli, magnus tibi amor verba dictauit, occurróque auidè & pulsanti amicitiæ meæ fores lætus aperio. Quid loquor aperio, quæ tibi suauissime postulanti iam ante quadriennium patuerunt? Agnosco Marcum meum, amplectórque cum gaudio in his literis tuis ad me longo (vt ita dixerim) silentij postliminio redeuntem, & nunc illius floridæ indolis tuæ fructus vberrimos grauissimósque percipio. Semper equidem speraui, vt tantus de tali adolescente vir fieres: sed id fateor, tam citò fieri posse non credidi: præuenit spem meam præcox, eóque gratior, virtus tua. Cæterùm & ardentissimi propositi tui memini, quod mihi non paucis olim verbis in ipso amicitiæ nostræ primordio fidentissimè reuelasti, idque nunc vel mutatum, vel (quod magis auguror) dilatum esse non doleo, modò mihi illud exhibeas, quod optimo principio pollicitus es, vt in omni fortuna Deum ames, illi inhæreas, illum colas, atque ad illum totius animi intentione suspires, non impossibilem tibi legem statuo, quam te ire iubeo. Trita est via, quam multi viri clarissimi magna cum gloria, per Reip. tempestates, ad eremetici portus silentium peruenerunt. Quam multi etiam procul inde iactis anchoris, nauigationem vitæ præsentis fœlicissimè compleuerunt. Nouit figmentum nostrum figulus ille sidereus: Scit quid nobis expediat, & animæ nostræ sæpe inenarrabilibus modis, quibus se tramitibus adiri velit, insinuat. Tu igitur ne desperes quasi deuiũ & (vt Pythagorici vocant) læuum iter ingressus sis, aut quasi tuorum cura ciuium, quam geris, diuinæ quã petis gratiæ sit aduersa. Perge, age, ne titubes, ne

subsistas, nec fallaci uoce desis. Adest ille, qui tempus omne, quod quale disposuerat nondum uenit, permisit immutabiliter ab æterno. Nec est, quo te inertem iam iners natum putes, si patriam tuam his præsertim temporibus tui egentem, quæ (vt Plato vult, ortus tui partem sibi iure suo vendicat, ope, consilióque adiuuas. Notum est apud Ciceronem cæleste illud Africani dictum: Omnibus qui patriam conseruauerint, auxerint, adiuuerint, certum esse in cœlo definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. Et quod sequitur: Nihil enim est (inquit) principi illi Deo qui omnem hunc mundum regit, quod quidem fiat in terris acceptius, quàm concilia, cœtúsque hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur. Sane cum exoptatum tibi, amice, tempus aduenerit, vt te possis humo tollere, non tantùm vt Maronis, vel Ennius, sed vt Ambrosius, vel Arsenius possis, alis ad volatum validis, facies tandē re ipsa, quod animo iam pridem facis, eodem adiutore, qui inspirator fuit, & facies, vt spero, securiùs ætate integra, maturóque consilio, quàm si id inconsulto repentinóque impetu inuendiciter attentasses. Sicut enim per terras latrunculis vacuam atque purgatam per planum ac solidum callē sub tranquilla cœli tēperie, tutū viatori iter est, sic sedatis passionibus, firmatóque proposito, & primæuæ insolētiæ timore compresso, per modestiores atque sereniores ætatis annos, tutissimè pergitur ad salutē, quamuis nulla ætas repulsa, nullū (vt dixi) genus hominum eorum, qui in aliqua honesta exercitatione versantur, ab hoc tramite sit exclusum, constétque iuxta Plotini sententiam, non purgatoriis modò purgatíque iam animi, sed politicis quoque virtutibus beatum fieri. Vt enim aliquid more nostrorum loquar, actuosæ Marthæ sollicitudo nō spernitur, quamuis sublimior contemplatio sit Mariæ. Habes ergo, charissime, quantum inter huius temporis angustias licuit, vnum de postulatis tuis, quod fuit, vt tibi pro informatione vitæ aliquid scriberē. Habes hoc, inquā, pro vnius antelucanæ vigiliæ spatio: breue quidē, sed in se (vt arbitror) absolutū. Si illud addidero, cōpendiosam semitā ad virtutē visā esse Philosophis, vt tales effici studeamus,

quales cupimus apparere, & illud, quo nihil reor efficacius, quoniam (vt eisdem placet) tota doctorum hominum vita non nisi commentatio mortis est. Hactenus hæc, quæ non vt te doceam, sed vt admoneam, ac memoriam excitem dicta sunt. Reliquum erat, vt te memori animo commendatum haberem (iuuat enim verbis etiam tuis vti) id verò iamdudum factum esse cōfidito. Ex quo te primum vidi, imaginem tuam ex adamante purissimo imis præcordiis indebiliter affixi, quam nulla reuellet dies, nullus locus excutiet. Extremum est, vt & virtuti, & fortunæ tuæ gratuler, quibus tanti principis affinitatem ac beniuolentiam meruisti & pro charitate huic impensa seniculo grates agamus. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. XIII.

Aranea & podagra apologus.

ANilem tibi fabellam, sed ex re (vt Flaccus ait) garrio, Aranea iter agens fortè obuiam habuit podagrā. Et quò (inquit) tam mœsta proficisceris? Rusticum, ait illa, & hirsutum hospitem nacta eram, qui me fame ac labore perpetuo cruciabat, qui cum à mane ad vesperam me inter glebas & saxa tenuisset, vix serùo puluerulentam atque inopem domum repetebamus misera nunquam integris calceis: nunquam sine fasce grauissimo. Illum cinfœlicem diem nox haud quaquam fœlicior sequebatur, Tristi quidem ille me cœna, mucidi ac lapidosi panis veteribus fragmentis, allióque & prædurìs oleribus solabatur, aceto turbidam superinfundens aquam. Saturnalium dies erat, quotiens caseus sardus accesserat. Sic exceptam agresti demum & ipsius agelli duritiam superāte grabatulo componebat. Ad auroram inde consurgens, rursus in campum, & ad inuisum cogebat opus sic diem dies vrgebat: nulla interim quies, nulla spes quietis. Festo enim die, aut domi lauabat oues, aut riuo viā præparabat, aut sepè nouàlibus prætēdebat. Immortale malum, & domum meis moribus aduersam, pertæsa di ffu-

diffugio. His auditis Aranea. Heu (inquit) quam diuersa conditio mea est. Hospitem habui effoeminatum & mollem, apud quem non summum modò, sed solum bonum voluptas erat; rarò pedem domo efferebat, coenam ad auroram, prandium trahebat ad vesperam, reliquum somnus habebat, purpureis accubitus stratis, quod conuiuiis luxuriaeque superfuerat, quieti datum. Conquisitae intus epulae peregrinae, species odorum, Bacchus alienigena, vasa aurea, gemmata pocula, serico vestitus paries, ostro tellus instrata. Haec inter sollicita semper familiarium turba discurrens locis omnibus aderat, nulla domus pars neglecta, nullus angulus inaccessus, dum verritur solum scopis, dum de laqueatis trabibus puluis excutitur, vix vsquam artificij mei telas sinebat ordiri, & quo nihil est tristius, si coepissem, primo rerum apparatu, spem caducam, & labores meos irritos videbam. Agebar infelix, praeceps eiiciebar, quaerebam latebras, nullae erant, solidus niueo murus ex marmore nulla mihi miserae diuersoria relinquebat. Fugi igitur à facie persequentis, vbiuis quietum exilium domesticis sine fine laboribus praelatura. Haec cùm illa dixisset, respondit altera: Heu quàm multa sunt bona, quae vel nesciendo, vel negligendo perduntur. Ignorantia caecitas mentis est, negligentia torpor est animi. Aperire oculos oportet, & quae salutaria sese offerunt, non differre. Ecce nunc ex his, quae dixi, quaeque audio, cum pessimè sit nobis, erit optimè, si permutemus hospitia: tuus mihi, tibi meus hospes aptissimus fuerit. Placuit consilium; mutant domos, & ex illo obtinuit, vt podagra inter delitias & in palatiis diuitum, aranea in squalore & pauperum tuguriis habitaret. Dominum tuam, amice, podagram subintrasse audio. Miror, non putabam illi locum esse in domo tam sobria, vereórque ne quid ibi sui iuris inuenerit. Quod si verum est, non malum magis, quàm mali causam horreo. Malo iam hospitem habeas araneam. Principiis resistendum est: nulla melius resistitur ope, quàm vigiliis, labore ieiunio. Vidi ego puer iuuenem poda-

gricum, eundem senem podagra liberum reuidi. Quæsiui causam: nullam mihi aliam reddidit, quàm quod se vino penitùs abdicasset. Refert Cicero, & post Ciceronem alij, quosdam diuites podagra inutiles, cum pauperes facti essent, sanitati redditos. Non audeo iubere, vt sis pauper, quamuis iubere non sit necesse si sapis. Inter cætera professus es (vt audio) spontaneam paupertatem. An mentior? Certè intra religiosum limen, & præsertim intra cellulam mendicantis, nullus diuitiis locus est: Opulentia enim & mendicitas non habitant simul. Si paupertas excluditur, vereor ne non tam aurum, quàm quod ait Apostolus, Thesaurizes iram in die iræ. De hoc tamen ipse videris, qui foederum, quæ cum CHRISTO habes, optimè meministi. Si oblitus es, relege pactorum Chirographum, inuenies quid tu illi promiseris, quid ille tibi. Ego (inquam) non iubeo, vt pauper sis, non quia vel tibi non expedit, vel me non decet, & amplecti fidele consilium & dare, sed quia piget verba profundere & incassum loqui. Video enim ipsum paupertatis nomen horrendum & infame: quod licet amplexus sis, deponere sponte non potes. Illud saltem consulo, viuas vt pauper. Hæc est illa quæ à Philosophis frugalitas dicitur, voluntaria paupertas. Hanc tibi suadeo, hanc tibi veram viam corporeæ salutis ostendo. alter tibi adsum Hippocrates, amarum fortè, sed salubre pharmacum offertur. Si vis sanus esse, viue vt pauper. Latens aurum in arcula animo tantum nocet, victus delicatior & animo nocet & corpori. Proinde si pellere vis podagram, pelle delicias. Si malum omne vis pellere, pelle diuitias. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. XIV.

Pecuniæ & paupertatis collatio.

Regum ceruicibus impositum pecuniæ iugum liberrima indignatione reiicio, non sinam (si Deo placet) metallis seruire animum ad maiora dispositum. Illa igitur, quoniam præesse prohibeo, subesse non patitur, & quem

& quem seruum habere non potest: dominum dedignatur. Minus loquor. Superbior est quàm dixi, nec me Dominum vult habere, nec comitem. Recusat imperium, amicitiam non admittit; frangit vestes, soluit nodos, spernit arculæ meæ seram: dum clausisse illam videor, nescio quibus rimulis intus elapsa dilabitur. Id sanè mihi etsi sæpe molestum, sic gloriosum semper existimo, dum circumspicio quibus illa mancipiis, & quorum soleat hospitio delectari. Illis ita se habentibus ignosces, si (quod multò mihi quàm tibi grauius est) præsentem indigentiam tuam pecuniaria ope non releuo. At ne nihil putes describendo profecisse, scito copiam pignorum optimorum paratam tibi apud me, quam vt ad te perferret nuncius tuus nullo sibi persuaderi passus est ingenio. Iubebis illum ad me, sed exorabilem reuerti; alioquin meus ad te veniet, & si vultus nostrum nulli nisi Medico reuelatum velim. Præterea his illud addiderim, ludicrè potiùs, quam iucunde literis vtrinque consultum. Mihi enim conditionis meæ solamen additum, non quòd in angustiis tuis commune delecter, sed quod in me indignari non sit fas, quod commune mecum habeat tantus vir, tibi verò laborem excusationis ademptum: nisi enim tu præoccupasses, iam calamus erat in manibus. At ne quid nostrarum rerum fœneratoris auarum limen attingeret, interpellare decréueram, vt tu necessitatibus meis accurreres, quid vis dicam? vbertimum Philosophiæ locum, copiosissimámque materiam. non ignoro, vbi contra tela fortunæ, in quibus non vltima est paupertas, armantur animi, quæ licet in nostris finibus non habitet, quia tamen, vt eleganter ait Flaccus,

Curtæ nescio quid semper abest rei.

Et hic quoque multa non tantum nobis, sed in commune salubria dici posſũt, quæ sciẽs sileo, ne publicũ sequar moré, pro rebus verba præstātiū. Facilis amicitia est, pro petito auxilio consiliũ dare. Certè, ego in his casibus, qui domi meæ crebri sunt, essentque rarissimi, nisi me rei familiaris incuriosũ cura generosior effecisset, cùm multa remediorum genera, vel ipse mihi conficiam, vel à doctoribus confecta reperiam, tum illud in primis efficacissimum experior, quod licet omnis fortuna suas

habeat molestias, fitque verissimum quod veritatis inquisitoribus visum est, omnem vitam, etiam quæ fœlicissima videatur, esse tormentum; molestissimus tamen & occupatissimus, et si profundius inspicias, verè miserrimus est diuitum status: contra autem dura quidem, sed tutissima & expeditissima est paupertas. Mediocritas optima, & inter rarissima Dei dona hanc nobis contigisse gratulor. Si quid interdum deest, accidit vt vnico defectu multorum nos munerum suorum liberalitas cœlestis admoneat, & breui gustu amaritudinis prosperitatem nostram nobis efficiat dulciorem. Qui si multa, qui si omnia deessent, hoc animo tamen sum, vt fœlicius rear laudabiliter egere quàm turpiter abundare: nec nosse veram opulentiam eos, qui honestæ mendicitati inhonestas diuitias anteponunt. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMAE MESSANENSI, S. Epist. XV.

De amicitia ineunda.

Studeto bonis omnibus esse charissimus. Neque verendum est, ne nimios habeas amicos, aut nimium tibi negotij obiiciam: ita dico, si omnes bonos amicos tibi feceris, pauci erunt.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Quis, inquis, hîc loquitur? Quid refert, si dictum probas, quid quæris auctorē? Omne verum (vt ait Augustinus) à veritate verum est. Ego hæc loquor an fortè tu negas? loquitur experientia, quæ mentire non solet, loquitur veritas, quæ mentiri non potest. Qui si mortalem poscis auctorem, loquitur hæc peritissimus rerum talium Iuuenalis, quique profundissimè mores hominum nouit. Si sibi non credis, audi alium, cuius ore loquitur, qui non moderauit, sed & creauit homines. Is ergo quid ait? *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Poëta paucos, Propheta nullum, & secundum suum sensum vterque verissimè. Tu verò (quoniam desperandum non est) aliquos bonos reperiri posse arbitrare, ne cum de omnibus desperare cœperimus, de nobis etiam necessario desperemus. Cogita quosdam non modò bonos esse, sed optimos,

dimos, & pro concordia harum discordantium sententiarum Flaccum, vel vt arbitrare pronunciantem audi:

Nam vitijs nemo sine nascitur.

Optimus ille est, qui minimis vrgetur.

Sic est profectò, Stoici licet obstrepant, qui omnem morbum ex animis se radicitus auulsuros spondent præclarissimi Medicorum modò quod pollicentur implerent. Sed in vita hominum, de qua nobis amicitiæ deligendæ sunt, experimento compertum est, nullum animum quantalibet serenitate tranquillum, leuibus saltem interdum perturbationibus non moueri, quibusdam humanarum turbinibus agitari. Cæterùm sicut armata nauis in alto fluctuabitur, non succumbet, eâq; vt nauis, sic animi præcipua laus erit. Ita fit (quod Stoicis nō placet) vt in hac vita, cui nihil scimus inesse perfectū, sanitatis locū teneat leuis at medicabilis ægritudo. Igitur vt ad rem oratio reuertatur, ex hoc genere hominum, non quorum nulla sint vitia, sed quorum vitia virtutibus cedāt (quod ipsum noueris esse rarissimum) amicos tibi, quibus potes artibus efficito. Poteris autem nullis melius quàm imitatione morum, ac similitudine studiorum. Contra autem malis, quorum innumerabilis multitudo est, nec amicus esto, nec hostis, certè nec cognitus. Vultum tuum aspiciāt, animum ignorent, sequere illius consilium, qui monet, vt intus omnia dissimilia sint. Frons populo nostra conueniat, putent illi te agere, quòd vulgò agitur: tu verò tuū aliud negotium, & aliquid semper tecum maius agito. Sic enim maximè inter mundi discrimina securus euades, paucis charus, multis ignotus, odiosus nemini. Ne tu me hodie de nihilo Philosophatum putes audio te aduersus improbos ingens bellum, & inexorabilem simultatem suscepisse, quos an corrigere, an delere cogites, incertum est. Vtrobique enim par impossibilitas, nisi quòd aliquantò facilius arbitror deleri posse, quàm corrigi. Generosæ indignationis aculeos laudo, certamen irritum, & studium inane non laudo. Si enim laborem superuacuū declinare consilium est, quid de eo labore censeas, cuius vnicus fructus est odium? Caue itaque receptui, obsecro, alioquin scito multis tibi legionibus opus esse. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMAE MESSANENSI, S. Epist. XVI.

Aduersis non succumbendum.

O Quàm multa nunc ad literas tuas dici possunt, sed nec mihi otium, nec tibi verborum auxilio est opus. Aliud cogito remedij genus: Magna est enim fortunæ vis, neque minor celeritas. Interim sanè omnium, quæ vel ex libris, vel è media vita hominum occurrunt, quæ sunt multa & varia, hæc summa est. Dura sunt, fateor, & grauia, & inamœna quæ pateris: vnum est difficilium leuamen, patientia, si humana despicias, si te non ad delicias, sed ad laborem in hanc vitæ palæstram descendisse memineris. Si magno nisu aduersa sustuleris, memor in prælio militem, in tempestate nautam, in rebus malis bonum animum probari. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMAE MESSANENSI, S. Epist. XVII.

De temporis iniquitate.

EGo verò absit, vt dissuadeam petitioni haud iniustæ morem gerere, sed illud moneo, vt in fronte oculos habeas, quos ego hactenus in tergo habui. Nil iucundius, nil dulcius, quàm benemeritum, & egentem auxilij compotire; contra autem inexperto, ingrati vitio nil tristius. Magnæ quidem est, non solum prudentiæ, sed fortunæ inter tot pectorum latibula puros animos, fictósque discernere, & quanti quisque sit, prius quàm experiaris, agnoscere, cuius honestæ preces, an miserabiles lachrymæ, cuius ficta necessitas, simulatæque blanditiæ. Magnæ parti hominum illud inest, vt ad impetranda, quæ cupiunt memores atque sollicitæ, ad referendam gratiam segnes, obliuiósique sint. Tanta & tam repentina mutatio inuadit animos, vt quem precantem mane videris, serò voti compotem non agnoscas. De his in Ecclesiastico: Donec accipiant (inquit) osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam, & in tempore redditionis postulabit tempus & loquitur verba tædij, & murmurationum. Nosti cætera. At quoniam

inter ingratos viuitur, non ideò desinendum. Aloquin virtus vitio victa videbitur. Sed aliquantò cautius agendum reor. Tu vale, & quicquid acturus es, dum mutandi tempus est cogita. pòst enim deliberatio sera est.

FRAN. PETRARCHA GERARDO FRATRI, S. Epist. XVIII.

Scripta veterum indaganda esse.

QVod sæpe olim vel obliuio, vel torpor abstulit attingi frater; si gloriari licet, apud te gloriabor, in illo, in quo solo gloriari tutum est. Iam ex omnibus humanarum cupiditatum ardoribus, & si non in totum, magna tamé ex parte, diuina me pietas eripuit. E cœlo enim est, seu id mihi naturæ bonitas, seu dies præstiterit, multa quidem videndo, multúmque cogitando intelligere tandem cœpi, quanti sint studia hæc, quibus mortale genus exæstuat. Ne tamen ab omnibus hominum piaculis immunem putes, vna inexplebilis cupiditas me tenet, quam frenare hactenus nec potui, certè nec volui. Mihi enim interblandior, honestarum rerum non inhonestam esse cupidinem. Expectas audire morbi genus: libris satiari nequeo, & habeo plures fortè, quàm oportet. Sed sicut in cæteris rebus, sic in libris accidit, quærendi successus auaritiæ calcar est, quinimò singulare quiddam in libris est. Aurum, argentum, gemmæ, purpurea vestis, marmorea domus, cultus ager, pictæ tabulæ, phaleratus sonipes, cæteráque id genus, mutam habent, & superficiariam voluptatem: libri medullitùs delectant, colloquuntur, consulunt, & viua quadam nobis atque arguta familiaritate iunguntur. Neque solum sese lectoribus quisque suis insinuat, sed & aliorum nomen ingerit, & alter alterius desiderium facit. At ne res egeat exemplo, Marcum mihi Varronem charum & amabilem Ciceronis Academicus fecit, Ennij nomen in Officiorum libris audiui primùm, Terentij amorem ex Tusculanarum quæstionum lectione concepi, Catonis origines, & Xenophōtis œconomicū ex libro de Senectute cognoui, eundémque

à Cicerone translatum in iisdem Officialibus libris edidici. Sic & Platonis Timeus, Solonis mihi commendauit ingenium, & Platonicum Phedonem mors Catonis, & Ptolemæi regis interdictū, Cyrenaicum Hegesiam: & de Ciceronis epistolis Senecæ prius, quā oculis credidi meis, & Senecæ cōtra superstitiones librū, vt quærere inciperē, Augustinus admonuit, & Apollonij Argonautica Serui° ostēdit, & Reip. libros cùm multi tum præcipuè Lactantius optabiles reddidit, & Romanam Plinij Tranquillus historiam, & Aulus Gellius eloquentiam Fauorini, itémque Annei Flori florentissima breuitas ad inquirendas Titi Liuij reliquias animauit, vt notissima & vulgatissima illa præteream, quæ teste non egent, & tamen cum accesserit testis illustrior, altiùs in animum descendunt, qualis est in declamationibus Senecæ laudatus ille Ciceronianæ facundiæ principatus, ingeniique singulare præconium: & illud in Saturnalibus multiforme Maronis eloquium ab Eusebio demonstratum, & illud Statij Pampinij Poetæ reuerens submissúmque testimonium de Virgiliana Æneide, cuius longè sequenda & adoranda vestigia Thebaidem suā in publicum exituram admonet: Et illud ab Horatio Flacco, imò verò ab omnibus concorditer delatum Homero Poetarum principi pluribus ago, quam necesse est: nam illa quidem longanimis recordatio Prisciani Grāmatici, iuuenilis lectio quot mihi librorum peregrina nómina congesserit, quot postmodū Plinius secundus, quot nouissimè Nonius Marcellus, quotiénsque saliuam excitauerint. Nemo ergo mirabitur (vt redeam vnde digressus sum) vehementer his animos inflammari, atque configi, quorum singula suas scintillas, suósque aculeos palam habent, aliósque clanculum in sinu gestant, quos sibi inuicem subministrant. Itaque pudet equidem, sed fatendum ingenue; & cedendum vero est, excusabilior semper mihi cupiditas visa est Atheniensis Tyranni, Ægyptiique regis, quàm nostri ducis, aliquantóque nobilius Pisistrati primùm, deinde Ptolemæi Philadelphi studium quàm Crassi aurum, & si multò plures imitatores Crassus habeat. Sed ne Romæ Alexandria, vel Athenæ, & Italiæ Græcia, vel Aegyptus insultet & nobis

studiosi

studiosi principes contigerunt, iique tam multi, vt eos vel enumerare difficile sit, támque huic rei dediti, vt inuentus sit, cui Philosophiæ, quàm imperij charius nomen esset. Et studiosi inquam, non tam librorum quàm libris commentarum rerum. Sunt enim qui libros (vt cætera) non vtendi studio cumúlent, sed habendi libidine, neque tam vt ingenij præsidium quàm vt thalami ornamentum. Atque (vt reliquos sileam) fuit Romanæ Bibliothecæ cura, diuis Imperatoribus Iul. Cæsari, & Cæsari Augusto, tantæque rei præfectus ab altero (pace Demetrij Phalerij dixerim) qui in hac re clarum apud Ægyptios nomen habet, nihil inferior, ne dicam longè superior Marcus Varro: ab altero Pompeius Macer, vir & ipse doctissimus, summo quoque Græcæ, Latinæque Bibliothecæ studio flagrauit Asinius Pollio orator clarissimus, qui primus hanc Romæ publicasse traditur. Illa enim priuata sunt Catonis insatiabilis librorum fames, cuius Cicero testis est, ipsiúsque Ciceronis ardor, ad inquirendos libros, quàm multæ testantur epistolæ ad Atticum, cui eam curam non segnius imponit, agens summa instantia multáque precum vi, quàm ego nunc tibi. Quod si opulentissimo ingenio permittitur, librorum patrocinia mendicare, quid putas licere inopi? Hæc pro excusatione vitij mei, próque solatio tantorum comitum dicta sint. Tu verò, si tibi charus sum, aliquibus fidis, & literatis viris hanc curam imposito, Hetruriam perquirant, religiosorum armaria euoluant, cæterorúmque studiosorum hominum, si quid vsquam emergeret, leniendæ dicam, an irritandæ sitis meæ idoneum. Cæterum etsi non ignores, quibus lacubus piscari, quibúsue fruticetis aucupari soleo, ne qua tamen falli queas, his seorsum literis, quid maximè velim interserui, quóque vigilantior fias, scito me easdem preces amicis aliis in Britanniam, Galliásque, & Hispanias destinasse. Ne cui ergo fide, vel industria cessisse videaris enitere. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. XIX.

Infœlicitatem omnes vltrò petere.

ADeò pertinax & fixa mortalium spes est aduersus infœliciter experta, vt neque sterilitas agricolam, neque tempestas nautam, neque tectorum casus architectum, neque patremfamilias sobolis acerbus interitus deterreat ab incœpto. Hinc illa cõmunia, vt famelicos serere, & naufragos nauigare, & ruinis vix elapsos noua super eisdem fundamentis ædificia moliri, & orbos senes inter sepulchra filiorum aliis procreandis intendere videamus. Piscatores frigoribus & fame confectos hic ante oculos habeo, Mirum & prorsus incredibile: totos dies ieiuni ac nudi, noctésque ad auroram insomnes agunt cùm interim vel retia tentantium vna, eadémque sors est nihil agere, frustrà torquere tempus, aliquantò forsitan vtilius consumendum perdere, neque tamen obstinatis ad inceptum animis à fatali gurgite diuelluntur. Vsque adeò etiam amari exercitij consuetudo longior, dulcis est. Infaustam arenam, imo verrentes alueo, quam fugiunt egestatem inter vndas & scopulos inueniunt, nunquam fortè quod tantopere satagunt reperturi. Illa quidem dictu minora, nescio an maiori admiratione digna sint. Ferarum studium totiens vacuatis cubilibus non lentescit. Nouis feris pariendis alendísque prioris raptu nunquam segnior tygris redit, crebri partus solatio destitutæ, nihilo moderatior in reliquum ardor est. Philomena postquam pastorali furto perditos natos, longo gemitu, & prædulcibus querimoniis prosecuta est, nidum ab eodem ramo sequentis puerperij fortunam tentatura suspendit. Rem dicam nouam tibi, sed omnibus vallis huius notissimam incolis. Aquila iam pridem in his montibus habitat. Subulcus aduena, nedum quos pascit suibus, sed hirsutis etiam apris asperior, clam nido insidiatus est, neque animam suam pluris extimans quàm valet, de altissima rupe, quæ fonti Sorgiæ nubibus par impendet, ancipiti fune demissus (cuius rei vel meminisse horror est) ad aëreã domum temerarius prædator accessit, & sollicitæ genitrici, spem generis pullos implumes abstu-

abstulit. Id semel atque iterum ausus, nil amplius aquilam mouit, quàm vt nuper tristi domicilio deserto, nidi dumosámque suppellectilem, in alteram rupis partem paulum per auexerit. Illic modò sæpius amissæ sobolis spem refouet. Nihil sollicito lætius vt reor: siquidem saxicola iste suus hostis. exigui lucri cupidus, vitæ prodigus, iam restem nodósque præparat, quibus per inane suspensus, & de insolito specu solitas prædas agat. Iam sensim ad minimam rerum ratiocinando descendimus, nec apibus quidem percepti mellis iniuria mellificandi dulcedinem, nec formicis sub terra latentium horreorum inundatio graniferi laboris experientiam frequentatísque cursus ac recursus imminuit voluptatem: non enim desperant infeliciter tentata retentari posse fœlicius: alioquin, si cum successibus rerum, animorum simul spes intereat, torpebunt æstus ij, quos vndique cernimus actionum variarum quotidie interpellantibus fatis & vitam situ marcidam ætas inglorius manebit. Quod nisi forte contingeret animantibus cunctis & præsertim homini, dura propositique tenacia pectora data sunt. Vrbem Romam (vt retrò iam facili saltu ab imis rerum ad altissima conscendamus) à Gallis Senonibus incensam restituêre maiores. Qua in re Camilli auctoritas, tribunis contra nitentibus omine etiam adiuta præualuit. Idem illi maiores nostri, post Alliam, post Ticinum, post Trebiam, post Trasimenum in aciem redierunt, post Caudinæ pacis ignominiam gloriosissimas victorias retulerunt; & post Cannas grauissimum ac pene mortiferum Reip vulnus, ne ab ignauis ciuibus delinqueretur Italia, contra sententiam Cæcilij Metelli fulgens Africani gladius obtinuit. Qui nisi inuicta spes, vnius eiusdémque admodum adolescentis, multorum senum labantes firmasset animos, actũ erat de imperio. Nulla hodie Romani nominis memoria, nulla Romanæ potentiæ vestigia superessent. Faciente enim (vt Flori historici verbis vtar) de Italia Africam Hannibale, profectò non Latini, sed Afri coloni, Italiam possiderent. Etsi quis fortè mansisset Italici sanguinis tantis superstes cladibus, nõ aliter quàm dulcis aquæ riuulus pelago mixtus, in peregrinos mores victricéq; barbari

concessisset. Quod non sumus igitur, & quod sumus, fateamur ingenuè, spei bonæ duntaxat vnius hominis debemus. Et de nobis quidem hactenus. Quid Lacedæmonios, quídve Carthaginenses memorem, qui sperare non prius quàm esse desierunt? Quid Saguntinos, qui dum sera à nobis auxilia sperant, extremas à crudelissimo hoste miserias acceperunt. Longum est per cuncta discurrere. Itaq; vt vnde est ortus, illic sermo desinat, vltima iactatæ nauis anchora spes est, quam si quis in hoc procelloso mari laborantibus absciderit, nulla est ad vitam via, nullus ad requiem portus, nullus reditus ad salutem. Miraris nunc, quid tam longa sibi velit oratio. Scilicet vnum ago, vt amicum tuum subscribas exemplorum turbæ, raras & fortè vanas, sed firmas spes habentem. Et hæc mihi quidem curiosiùs explicanda erāt, vt affectum scribentis agnosceres, Cætera in silentio intelligis. Vale.

FRAN. PETRARCHA LÆLIO SVO, S. Epist. XXI.

Literas amici postulat.

SÆpe te literis ad colloquium elicere nisus sum, inefficaciter ad hanc diem pergam silentium tuum interrumpere pudebit amici tot clamores tacitus audire. Labellum clausum, in indignationem fortè, vel in risus aperiam, vel in verba. Non magnifacio quid rescribas, modò loqui incipias, victor sum. Si occupationes te veteres tenent, nouas ingeram. Si segnitie calamum amisisti, sedulitate restituam. At si fortè superbiā extolleris, & quod suspicari ne tenuiter quidem possum, amicis affatibus indignum censes humilitate, mihi ab illo animi fastigio detrahendus, & in æquum campum amicitiæ retrahendus es. Itaque sic tibi persuade, inculcare querelas, & lamenta non desinam: donec mihi vel antiquum inter nos commercium literarum restituas, quàm diu saltem tam propinqui sumus, vt nunciorum penuriā prætendere neuter possit, & quasi per manus ab altero ad alterum fit epistolarum transitus, vel probabilem causam tantæ mutationis expedias. Nuncius alter alterius vestigia vrgebit; literarumm earum acerui ante oculos

tuos erunt, amici digitum & anulum nosti, intactas abiicere amor & verecundia non sinent. Aperies, licet nolis ipsę tibi blandientur, vt perlegas. Itaque qui breuis scripturæ laborem fugis, longè lectionis fastidium non euades. Si quid igitur mihi credis, oculos tuos digitorum auxilio libera, & ignobiliores corporis tui partes nobilioribus seruire doce. Arripe calamum. Non insueta suadeo. Calamus ab infantia gladius tuus est; adulta ætas & patriæ status, ad alia te deinceps arma rapuerunt. Demum ad Romanorum Pontificum quietiores aulas retrahente fato, & ad antiqua studia rediisti. Quid igitur peto? fac quod quotidie facis, scribe aliquid: fac itidem quod nunquam facis, scribe mihi mox, nempe subsistam, & vel rariùs scribam ipse, vel breuiùs. Vicisse & de ista silentij tui arce te deiecisse sufficiet. Hic tamen (scio cui loquor) veteri illo, & vulgari clypeo tectus occurres: Quid quereris frater? Nihil habeo quod scribam. Ego verò etsi tanta rerum copia, talibus ingenio eloquioue nunquam defuturam scribendi materiam crediturus fuerim, facilè persuaderi mihi patiar, quamlibet seu veram seu fictam caussam potius quàm obliuionis nebulam tibi silentium induxisse. Hoc igitur saltem, quod multi ab amicis petierunt, sed eorum, quos ego legerim primus omnium Cicero: scribe te nihil habuisse quod scriberes, hoc ipsum scribe, sed aliis tamen verbis, alioquin (quod intentionis meæ non fuit) breue nimis, & apertum euadendi tibi iter ostendi, euades, si te noui, saltu vnico, & te vno verbo redimes auctore me. Sic ego (quod multis accidit) consilio meo ludar. Sed iam satis superquè querelarum est, nisi quia ad vltionem tendo, & taciturnitatem tuam loquacitate punio. Vt verò aliquid etiam familiarium curarum huic epistolæ includam, quæso, ne pigeat apud communem dominum, pro fœlici rerum mearum exitu intercedere. Voco autem quemlibet fœlicem, modò aliquis sit, multum est. Frater vana expectatione liberari ignorant homines. Quid lucri est superuacua & infinita desideria proiecisse? Perdita cruciant, possessa cruciant miserorũ animos pluribus inanibus, quàm solidos occupatos. Et tãta est insania extricari

ab erroribus, vt fiat vero locus, metuunt, dum sibi prosperos rerum prægrandium exitus pollicentur. Sibi quippe placentes, ac superbi, & iniqui rerum suarum iudices, dignos se finxerunt, quibus ad nutum vniuersa succederent. Ita quod in amatoria materia dixit Naso:

Dum sibi quisque placet, credula turba sumus.

Iam medium vitæ communis latè delirando perduximus: Vt enim eleganter à Tullio dictum est, Metelli sperat quisque sibi fortunam. Quot autem in hac vanitate falluntur, imò verò quàm pauci, quàm pene nulli non falluntur, hinc licet aduertere, quòd si verorum scriptorũ testimonio stamus ex omnibus sæculis, fœlix ille Metellus non nisi vnicum comitem, eúmque ipsum non domi, sed procul & extra Italiæ terminos dicitur inuenisse, qui tamen ipsi quàm ritè fœlicitatis hoc inane nomen vsurpauerint, locus iste non recipit, & fortasse aliud dicendi tempus aduenient. Nunc (vt cœptum pergam) si quod omnes sperãt nullus assequitur, quàm multos vitæ somniis elusos, expectantésque mors oppresserit, quótque in finẽ oppressura sit, cogita. Quibus ego territus hanc ipse mihi legẽ statui, altiora me non quærere: paria verò pauca quidem & modestè, quibus scilicet & obtentis sobriè gaudeam, & amissa feram fortiter, & repulsæ dolore non torquear. Ad hanc legem ita me formaui, vt vix rei cuiusquam verear euentum, modò expectationis fastidia detrahantur. Quamobrem per omnes te cœlicolas, frater, oro, ab hac me quàmprimum perplexitate dissolue, Aufer mihi expectationem: quicquid erit æquanimiter feram. Finem facio cum illo, cuius hoc mihi placet inter cætera, Pars beneficij est quod petitur, si bellè neges. Vale.

FRAN. PETRARCHA AD LÆLIVM SVVM. S. Epist. XXII.

De violata quadam Virgine.

Impletum est planè in nobis, quod de Põpeio tuo Corneliáque sua scribitur, neutérque recedẽs sustinuit dixisse, Vale. Sed nec multis inter nos verbis opus erat, quæ nil aliud quàm amicorum & passionum, quæ in eis habitant,

tant, notæ sunt, cùm animi nostri (licet in silentio) vicissim pateant. Vnum est, quod te nunc agere, si possibilitas adest, velim. Iuuenis quidam virginem, cuius amore languebat, ipsa non obluctante, cognouit, matrimonij pactis interpositis, idque quod magis in aures tuas intret, nescio an & in thoro, certè apud thorum accidit. Loci dominus nobilis dicam, an rusticus, iuuenē ipsum quem graui & antiquo odio persequitur, ad capitale supplicium vocat. Mulier factum excusat, nihil se contra quàm optauerit passam dicens, & promissas amantis nuptias efflagitat. Annuit ille, si liceat, sed carcere conclusus, sub iniquissimo iudice causam dicit. Cæterùm vbi compedes amoueantur, soluti ambo & ætate & animis & fortuna pares, optatissimas nuptias celebrabunt. Hæc vt ad me, indignantis primū populi vocibus, deindè etiam amicorū precibus, & lachrymis perlata sunt, vt primus omnium occurristi, à quo morbi talis auxilium peteretur, & nos aliquando, Frater, arsimus, & opem ferre decet ardentibus Dominum autem nostrum, & si talia sublimem eius animum non attingant, non tamen vsque adeò ferreum, aut inhumanum reor, vt humanis non misereatur erroribus. Nec est quod parciùs ardere ruricolas suspicemur. In omne genus hominum par imperium habet arcipotens ille puer. Scio apud Virgilium scriptum esse, quòd

Subita incautum dementia cepit amantem,

Et sequitur. *Ignoscenda quidem.*

Sed terret quod in fine subiungit:

Scirent si ignoscere manes.

Vereor enim, ne durior ille Bellerephon nihil humanitatis habens, insuper ira accensus, sit sanguinis sitientior, quàm oportet. Vtcūque succedat, nos partes nostras implebimus, ego apud te, tu apud Dominum, vt ipse à præfato thori domino gratuitum munus, captiuum illum per literas suas petat. Cuius nomen & rei gestæ seriem villicus hic noster, ob hoc vnum ad te missus exponet, nihilo narrator vrbanior quàm amator, est cuius amentiæ modò veniam postulamus. Vale.

FRAN. PETRARCHA AD LAELIVM SVVM, S. Epist. XXIII.

Eloquentiae vis quanta.

QVid tibi vis dicam? Sic est, vt audieram & legeram, nullum est tam asperum ingenium, quod non morum verborúmque dulcedine mitigetur. Sic Africanus meus ille superior, Syphacem regem barbarum atque (vt Liuij verbis vtar) Romanis moribus insuetum, & quod mirabilius fuit, Hasdrubalem quoque Carthaginensium ducem, non barbarum modò, sed etiam immitem Romani nominis inimicũ, inter cœnandũ suaui cõuictu, & comi mansuefecit alloquio. Sic Iul. Cæsar Amyclam algis & æquoreis spumis aspersum, nudúmque & inopem piscatorem, tam leniter fando cœpit, & illius Cæsareæ facundiæ retibus circunuoluit, vt inaudito verborum sono & ignoti hospitis admiratione suspensus, confestim iubente illo, fragilem atque imparem pelagi minis cymbam de tui littoris statione dissolueret, parendíque studio sciens ac volens ad interitum properaret. At ne semper Africanos, & Cæsares loquamur, ille Philosophorum princeps Plato, Dionysium conciliare sibi potuit, Syracusium Tyrannum. Archelaum verò Macedoniæ regem Euripides Poëta, nec aut illi tyrannici spiritus rigor, aut huic immanitas obstitit barbarica, vtramque duritiem, ingenio & eloquentia mollierunt. Et quod huius generis omnia monstra transgreditur, orator Aphthonius sæuos carnifices ad se occidendum missos, & iam strictis mucronibus irruentes, blanda oratione compescuit, vicissétque crudelitatem eloquentia, nisi vnus ex eo numero, qui eum loquentem non audierat, cæteris iam digressis superueniens: velut aspis incantatoris voce non audita, virus in illum scelestis ministerij effudisset. Sed quid hominum exempla conquirimus? Vrsos videmus, pardos ac leones, atque alias truces & prævalidas belluas blandiciis delinitas, parui domitoris imperium patiẽter excipere, nexus insuper, carcerẽ, minas & verbera. Volucres cœlo vagas, cõtra primæuã naturæ suæ legẽ, humanam

[mu]tuam societatem anteponere libertati, vitam in vinculis agere, operto capite praereptóque etiam patriae natalis aspectu, famem suam nutritoris arbitrio moderari, de alius manibus cibum sumere, vocem iubentis agnoscere, clamoribus obedire, ire ad emittentis arbitrium, & reuerti, opimásque praedas non sibi, sed domino reportare. De piscibus nihil tale (quod meminerim) legi, nisi quod Delphines nescio qua humano generi familiaritate coniunctos ferunt, vnde & Arionem quendam, tergo huius piscis insidentem, per tumidos fluctus maris euasisse historica (seu potiùs) fabulosa narratio est. Vectorem ipsum fidibus canentem faciunt, quò nauigationi facilior fides sit, mulcente aures musica, & nauigium subleuante. Visum est enim, fabulam non admitti, nisi color mendacio quaereretur, gubernaculum, malus, vela, remi deerant, pro his omnibus, vnius musicae suauitas subrogata est. Sed quorsum haec tam peregrina percunctaberis? vt intelligas me ingenium tuum summis inserere, qui non homines, non feras, aut volucres, sed aquaticum hoc animal educatum inter fontes & flumina, escam de scopulis eliciens contactu ac sermone in amicitiam pellexisti. Rediit equidem ad me sui immemor, tui memor, cum multa de domino, multa de amicis quaererem, nil nisi de Laelio respondebat, illius formam, illius mores, illius linguam, illius denique domicilium atque habitum admirari. Illum mihi quasi incognitum ruralibus, & terricrepis verbis extollere, de illo mihi saepe licet interrumpenti, longissimas narrationes texere. Cúmque saepe Terentianum illud obiicerem. Hui mihi illum laudas? Ille eo magis ab exordio cuncta retexere. Quid plura? Intellexi illico, te tuis artibus meum mihi villicum abstulisse: nec indolui fateor, nec inuidi, sed obstupui plus te vna hora quàm me toto decennio potuisse. Mirum est, nisi tu colloquiis tuis aliquid etiam magicae artis immisceas. Nunc igitur captus amore tui, cum his literis iterum ad te redit, simul & per te dominicae interuentionis auxilium sperans, per quod amicum suum, de quo pridie tibi scripsi, iā extremis fortunae laqueis arctatum expediat, nisi iudicis animo, (quod iam ab initio verebar) ad supplicium obstinato non sit

precibus locus. Fama enim est, eum dolore simul & inuidia delibati virginei floris insanire, ad quem ipse sitienter (vt memorant) aspirabat, indignantem grauiter plus in amoris regno pauperis blandicias quàm suas ineptas diuitias valuisse. Quod si accidat, vt obstructis auribus verba fundantur, domino tamen partus erit integer misericordiæ suæ, tibi beneuolentiæ tuæ fructus, iste quoque agrestis amicitiæ suæ debitum, me opitulante, persoluerit. Ille autem amator infœlix, si aliter esse non potest, amoris sui dulcedinē (quod multi fecerunt) mortis acerbitate pensabit. Hunc sanè quonam humilium amicorum loco numeres, tuum erit. Ipse te dominorum suorum inter primos numerat, aliquantóque mihi de tua gratia iam, quàm de veteris amici vita videtur sollicitior. Itaque vt se tibi prorsus insinuet, & allegorico munusculo animum suum suauissime tibi deditum ostendat, liquoris omnium mollissimi olei vasculum tibi affert, quod sponte sua, & (vt aiunt) virginitate seruata, nullo premente defluxit è baccis arborum nostrarum, quæ in collibus istis sunt, vbi posthabitis Athenis repertricem oleæ Mineruam habitare dicerem, nisi eam iampridem in Ianuensi littore ad portum Veneris atque Erycem collocassem, in Africæ meæ libris. Vale.

FRAN-



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. EPISTOLARVM DE REBVS FAMILIARIBVS,

LIBER IV.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. I.

Montem Galliæ quendam describit.



ALTISSIMVM Regionis huius montem, quem non immeritò Ventosum vocant, hodierno die, sola videndi insignem loci altitudinem cupiditate ductus ascendi. Multis iter hoc annis in animo fuerat. Ab infantia enim his in locis, vt nosti, fato res hominum versante versatus sum. Mons autem hic latè vndique conspectus ferè semper in oculis est. Cœpit impetus tandem aliquando facere, quòd quotidie faciebam, præcipuè postquam relegenti pridie res Romanas apud Liuium fortè ille mihi locus occurrerat, vbi Philippus Macedonum rex, is qui cum P.R. bellum gessit, Hemum montem Thessalicum conscendit, è cuius vertice duo maria videri Hadriaticum & Euxinum, famę crediderat. Veró-ne, an falsò, satis comperti nihil habeo, quod & mons à nostro orbe semotus, & scriptorum dissensio dubiam rem facit. Ne cunctos euoluam, Pompo-

nius Mela Cosmographus, sic esse nihil hæsitans refert. Titus Liuius falsam famam opinatur. Mihi si tam prompta montis illius experientia esset quàm huius fuit, diu dubium esse non sinerem. Cæterùm vt illo omisso ad hunc montem veniam, excusabile visum est, in iuuene priuato, quòd in rege sene non carpitur: sed de socio cogitanti (mirum dictu) vix amicorum quisquam omni ex parte idoneus videbatur, adeò etiam inter charos exactissima illa voluntatum omnium, morúmque concordia rara est. Hic segnior, ille vigilantior, hic tardior, ille célerior, hic mœstior, ille lætior, denique hic stultior, prudentior ille quàm vellem. huius silentium, illius procacitas, huius pondus ac pinguedo, illius macies atque imbecillitas terrebat, huius frigida incuriositas, illius ardens occupatio dehortabatur. Quæ quanquam grauia, tolerantur domi: omnia enim suffert charitas, & nullum pondus recusat amicitia. Verum hæc eadem fiunt in itinere grauiora, itaque delicatus animus, honestæque delectationis appetens, circumspiciénsque librabat singula, sine vlla quidē amicitiæ læsione tacitus, quicquid proposito itineri præuidebat, molestū fieri posse dānabat. Quid putas tandem? ad domestica vertor auxilia, germanóque meo vnico minori natu, quem probè nosti, rem aperio, nil poterat lætius audire, gratulatus quod apud me amici simul ac fratris teneat locum. Statuta die digressi domo, Malausanam venimus ad vesperā. Locus est in radicibus montis versus in Boream. Illic vnum diem morati hodie tandem cum singulis famulis montem ascendimus, non sine multa difficultate. Est enim prærupta, & pene inaccessibilis saxosæ telluris moles, sed pene à Poëta dictum est:

Labor omnia vincit improbus.

Dies longa, blandus aer, animorum vigor, corporum robur ac dexteritas, & (si qua sunt eiusdem) euntibus aderant, sola nobis obstabat natura loci. Pastorem exactæ ætatis inter conuexa montis inuenimus, qui nos ab ascensu retrahere, multis verbis enixus est dicens se ante annos quinquaginta, eodem iuuenilis ardoris impetu supremum in verticem ascendisse, nihílque inde retulisse, præter pœnitentiam, & laborem, corpúsque & amictum

lacerum saxis ac vepribus, nec vnquam aut ante illud tempus, aut postea auditum, apud eos quenquam ausum esse similia. Hæc illo vociferante, nobis vt sunt animi iuuenum monitoribus increduli, crescebat ex prohibitione cupiditas. Itaque senex vbi animaduertit, se nequicquam niti, aliquantulum progressus inter rupes, arduum callem digito nobis ostendit, multa monens, multáque iam digressis à tergo ingeminans. Dimisso penes illum, si quid vestium, aut rei cuiuspiam impedimento esset, soli duntaxat ascensui accingimur, alacrésque conscendimus. Sed, vt ferè fit, ingentem conatum velox fatigatio subsequitur. Non procul inde igitur quadam in rupe subsistimus, inde iterum digressi prouehimur, sed lentius, & præsertim ego montanum iter gressu iam modestiore carpebam, & frater compendiaria quidem via, per ipsius iuga montis ad altiora tendebat, ego mollior ad ima vergebam, reuocantíque & iter rectius designanti respondebam, sperare me alterius lateris faciliorem aditum, nec horrere longiorem viam, per quam planius incederem. Hanc excusationem ignauiæ prætendebam, aliísque iam excelsa tenentibus, per valles errabam, cum nihilo mitior aliunde pateret accessus, sed & via cresceret, & inutilis labor ingrauesceret. Interea cùm iam tædio confectum perplexi pigeret erroris, penitus alta petere disposui, cúmque opperientem fratrem, & longo refectum accubitu fessus & anxius attigissem, aliquandiu æquis passibus incessimus. Vix dum collem illum reliqueramus, & ecce prioris anfractus oblitus, iterum ad inferiora deiicior, atque iterum peragratis vallibus, dum viarum facilem lõgitudinem sector, in longam difficultatem incido: differebam nempe ascendendi molestiam: sed ingenio humano rerum natura non tollitur, nec fieri potest, vt corporeum aliquid ad alta descendendo perueniat. Quid multa? Non sine fratris risu, hoc indignanti mihi ter aut amplius inter paucas horas contigit. Sic sæpe delusus quadam in valle cõsedi. Illic à corporeis ad incorporea volucri cogitatione transiliens, his aut talibus meipsum compellebam verbis: Quod toties hodie in ascensu montis huius expertus es,

id scito, & tibi accidere, & multis accedentibus ad beatam vitam sed idcirco tam facile ab hominibus non deprehendi, quòd corporis motus in aperto sunt, animorũ verò inuisibiles & occulti. Equidẽ vita quã beatã dicimus, celso loco sita est, arcta (vt aiũt) ad illam ducit via, multi quoque colles intereminent, & de virtute in virtutem præclaris gradibus ambulandum est. In summo finis est omnium, & vitæ terminus, ad quem peregrinatio nostra disponitur. Eò peruenire volunt omnes, sed, vt ait Naso,

Velle parum est, cupias vt re potiaris oportet.

Tu certè, nisi, vt in multis, in hoc quoque te fallis, non solùm vis, sed etiam cupis. Quid ergo te retinet? nimirum nihil aliud, nisi per terrenas & infimas voluptates planior, &, vt prima fronte videtur, expeditior via: veruntamẽ vbi multum erraueris, aut sub pondere malè dilati laboris ad ipsius te beatæ viæ culmen oportet ascendere, aut in conuallibus peccatorum tuorum segnem procumbere, & si (quod ominari horreo) ibi te tenebræ & vmbra mortis inuenerint, æternam noctem in perpetuis cruciatibus agere. Hæc mihi cogitatio, incredibile dictu est, quantum ad ea, quæ restabant, & animum & corpus erexerit. Atque vtinam vel sic animo peragam iter illud, cui diebus & noctibus suspiro, sicut superatis tandem difficultatibus hodiernum iter corporeis pedibus peregi. At nescio, an non longè facilius esse debeat, quod per ipsum animum agilem & immortalem, sine vllo locali motu, in ictu trepidantis oculi fieri potest, quàm quod successu temporis permoribundi & caduci corporis obsequium, ac sub graui membrorum fasce gerendum est. Collis est omnium supremus, quem syluestres Filiolum vocant, cur, ignoro, nisi quod per antiphrasim, vt quædam alia, dici suspicor: videtur enim verè pater omnium vicinorum montium. Illius in vertice planities parua est: illic demum fessi conquieuimus. Et quoniam audisti, quænam ascendentis impetus ascenderint curæ, audi, Pater, & reliqua, & vnam, precor, horam tuam relegendis vnius diei mei actibus tribue. Primùm omnium, spiritu quodam aeris insolito & spectaculo liberiore permotus, stupenti similis

steti

steti. Respicio: nubes erant sub pedibus. Iamque mihi minus incredibiles facti sunt Athos & Olympus, dum quod de illis audieram, & legeram, in minoris famæ monte conspicio. Dirigo dehinc oculorum radios ad partes Italicas, quò magis inclinat animus: Alpes ipsæ rigentes ac niuosæ, per quas ferus ille quondam hostis Romani nominis transiuit, aceto, si famæ credimus, saxa perrumpens: iuxtà mihi visæ sunt, cùm tamen magno distent interuallo. Suspiraui fateor ad Italicum aerem, animo potiùs quàm oculis apparentem, atque inextimabilis me ardor inuasit, & amicum, & patriam reuidendi, ita tamen, vt interim in vtroque nondum virilis affectus molliciem increparem, quam iis excusatio vtrobique non deforet, magnorum testium fulta præsidio. Occupauit inde animum noua cogitatio, atque à locis traduxit ad tempora. Dicebam enim ad meipsum, Hodie decimus annus completur, ex quo puerilibus studiis dimissis, Bononia excessisti: & ô Deus immortalis, ô immutabilis sapientia, quot & quantas morum tuorũ mutationes hoc medium tempus vidit! Infinita prætereo, nondum enim in portu sum, vt securus præteritarũ meminerim procellarũ. Tempus forsan veniet, quando eodem quæ gesta sunt ordine vniuersa percurram, præfatus illud Augustini tui: Recordari volo transactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ, nõ quòd eas amẽ, sed vt amẽ te, Deus meus. Mihi quidẽ multũ adhuc ambigui, molestique negotij superest, quod amare solebam, iam non amo: mentior, amo, sed verecundiùs, sed tristius, iam tandem verum dixi. Sic est enim: amo, sed quod nõ amare amem, quod odisse cupiam. Amo tamen, sed inuitus, sed coactus, sed mœstus & lugens. Et in meipso versiculi illius famosissimi sententiam miser experior:

Odero si potero, si non, inuitus amabo.

Nondũ mihi tertius annus effluxit, ex quo voluntas illa peruersa & nequã, quæ me totum habebat, & in aula cordis mei sola sine contradictore regnabat, cœpit aliam habere rebellem & reluctantem sibi, inter quas iamdudũ in campis cogitationum mearũ de vtriusq; hominis

imperio laboriosissima & anceps etiam nunc pugna confertur, Sic per exactum decennium cogitatione voluebar. Hinc iam curas meas in anteriora mittebam, & quęrebam ex me ipse. Si tibi fortè contingeret per alia duo lustra volatilem hanc vitam producere, tantúmque pro rata temporis ad virtutem accedere, quantum hoc biennio per congressum nouæ contra veterem voluntatis ab obstinatione pristina recessisti, nónne tunc posses? Et si non certò, at saltem sperans, quadragesimo ætatis anno mortem oppetere, & illud residuum vitæ in senium abeuntis æqua mente negligere? Hæc atque his similes cogitationes in pectore meo reputans, Pater, de prouectu meo gaudebam, imperfectum meum flebam, & mutabilitatem communem humanorum actuum miserebar, & quem in locum, quam ob caussam venissem, quodammodo videbar oblitus, donec vt omissis curis, quibus alter locus esset opportunior, respicerem & viderem, quæ visurus adueneram. Instare enim tempus abeundi, quod inclinaret iam sol & vmbra montis excresceret, admonitus & velut expergefactus, verto me in tergum, ad occidentem respiciens, Limes ille Galliarum, & Hispaniæ Pyrineus vertex inde non cernitur, nullius quem sciam, obicis interuentu, sed sola fragilitate mortalis visus. Lugdunensis autem prouincię montes, ad dexteram, Ad læuam verò Massiliæ fretum, & quod Aquas Mortuas verberat, aliquot dierum spatio distantia, præclarissimè videbam. Rhodanus ipse sub oculis nostris erat: Quæ dum mirarer singula, & nūc terrenum aliquid saperem, nunc exemplo corporis animum ad altiora subueherem, visum est mihi Confessionum Augustini librū, charitatis tuæ munus, inspicere, quem & cōditoris & donatoris in memoriam seruo, habeóque semper in manibus, pugillare opusculum perexigui voluminis, sed infinitæ dulcedinis. Aperio lecturus, quicquid occurreret: quid enim nisi pium & deuotum posset occurrere? Fortè autem decimus illius operis liber oblatus est. Frater expectans per os meum ab Augustino aliquid audire, intentis auribus stabat. Deum testor, ipsúmque qui aderat, quòd vbi primum defixi oculos, scriptum erat: Et eūt homines

admi-

admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros syderum, & relinquunt seipsos. Obstupui fateor, audiendique auidum fratrem rogans, ne mihi molestus esset, librum clausi iratus mihimet, quòd nunc etiam terrestria mirarer, qui iampridem ab ipsis gentium Philosophis discere debuissem, nihil præter animum esse mirabile, cui magno nihil est magnum. Tunc verò montem satis vidisse contentus, in meipsum interiores oculos reflexi, & ex illa hora non fuit, qui me loquentem audiret, donec ad ima peruenimus. Satis mihi negotij verbum illud attulerat, nec opinari poteram, id fortuitò cõtigisse, sed quicquid ibi legeram, mihi & non alteri dictum rebar: recolens quòd idem de seipso suspicatus olim esset Augustinus, quando in lectione codicis Apostolici (vt ipse refert) primum sibi illud occurrit: Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum IESVM CHRISTVM, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis vestris. Quòd iam antè Antonio acciderat, quando audito Euangelio, vbi scriptum est, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia tua quæcunque habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlis, veluti propter se hæc esset scriptura recitata (vt scriptor rerum eius Athanasius ait) ad se traxit dominicum imperium. Et sicut Antonius his auditis, aliud non quæsiuit, & sicut Augustinus his lectis, vlterius non processit, sic & mihi in paucis verbis, quæ præmisi, totius lectionis terminus fuit in silentio, cogitanti quanta mortalibus consilij esset inopia, qui nobilissima sui parte neglecta diffundantur in plurima, & inanibus spectaculis euanescant, quòd intus inueniri poterat, quærẽtes extrinsecus, admirantiq; nobilitatem animi nostri nisi sponte degenerans ab originis suæ primordiis aberrasset, & quæ sibi dederat in honorem Deus, ipse in opprobrium conuertisset. Quoties, putas, illo die rediens in tergum versus cacumen montis aspexi, & vix vnius cubiti altitudo, visa est præ altitudine contemplationis humanæ, siquis eam non in

latum terrenæ fœditatis immergeret. Illud quoque per singulos passus occurrebat, si tantum sudoris ac laboris, vt corpus cœlo paululum proximius fieret, subire nō piguit, quæ crux, quis carcer, quis aculeus deberet terrere animum appropinquantem Deo, turgidúmque cacumen insolentiæ, & mortalia fata calcantem. Et hoc quoto cuique accidit, vt ab hac semita, vel durarum metu rerum, vel mollium cupidine non diuertat? O nimium fœlix, siquis vsquam est, de illo sensisse arbitrer Poetam:

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitúmque Acherontis auari.

O quanto studio laborādum esset, vt non altiorem terras, sed vt elatos terrenis impulsibus appetitus sub pedibus haberemus. Hos inter nudos pectoris motus, sine sensu scrupulosi tramitis, ad illud hospitiolum rusticum, vnde ante lucem moueram, profunda nocte remeaui, & luna pernox, gratum obsequium præstabat euntibus, interim ergo, dum famulos apparandæ cœnæ studium exercet, solus ego in partem domus abditam perrexi, hæc tibi raptim, & ex tempore scripturus. Ne si distulissem, pro varietate locorum, mutatis forsan affectibus, scribendi propositum deferueret. Vide itaque Pater amantissime, quàm nihil in me oculis tuis occultum velim, qui tibi nedum vniuersam vitam meam, sed cogitatus singulos tam diligenter aperio, pro quibus ora, quæso, vt tam diu vagi & instabiles aliquando subsistant, & inutiliter per multa iactati, ad vnum bonum verum, certū, stabile se conuertant. Vale.

FRAN. PETRARCHA DIONYSIO SVO, S. Epist. II.

Diuitias esse contemnendas.

Nil dulcius audierant aures meæ, postquam vocem tuam audire desierunt, quàm quod ad regem vocatus accesseris. Rationē (inquit) expecto, non possum breuiter; itaque longius incipiam. Optauit aliquando tibi genitrix longitudinem diersi innumerabilibus periculis

& calamitatibus obiectam: aliquando diuitias, humanarum mentium non mediocrem laqueum, ac funestam sarcinam libertatis: aliquando formam corporis, deformitatis animi plerunque materiam. Quid de sodalibus, quid de nutricula tua dicam? Muliercularum omnium vna lex est, inepta cupiunt, ridenda formidant. De patre libet altiora credere. Optauerit ergo filio, quod ait Satyricus: eloquium & famam Demosthenis aut Ciceronis, quæ, quanti sæpe periculi plena, vtriusque exitus est testis. Multis & inanibus vel tuis, vel aliorum pro te votis fatigatæ sunt aures Dei: Horum tibi aliquid anxiè non opto. Quare? Quia stultum est vehementer appetere, quod potest pessimo fine concludi. Illud bonum tibi cupio, quod mihi beatam vitam, ad quam multi suspirant, pauci perueniunt. Est enim salebrosum iter atque angustũ, & difficile, & amœna, ac prona circum deuia. Est autem vt in sagittando, sic in alia qualibet operatione mortalium, aberrare perfacile, signum attingere is demum artifici finis est. Idcircò difficilior, quia ad illum vna tantummodò ad errorem innumerabiles sunt viæ. Hanc sanè, quam dico beatam, quanquam ingeniosissimis atque doctissimis viris fortè aliter visum sit, in hoc corporis ergastulo mereri quidem vtcunque potest labor humanus & sperare, amplecti autem ac tenere non potest. Hoc ergo studio decurritur: finis est, vbi quiescit intentio. Neque nobis hoc solis persuasum est. Quid enim aliud Cicero sentiebat, vbi ait: Quod hæc vita via est in cœlum. Habet tamen interdum illi æternæ quiddam hæc mortalis vita simillimum, vt & si beata nondum sit (id enim beatum est duntaxat, cui nil valet accidere) iam tamen humanas miserias longè infrà se videat, & in imo stans adhuc, supernæ fœlicitatis luce resplendeat. Hoc sanè non diuitiæ præstant, non insanientis vulgi plausus, non potentia, non voluptas; sed virtutum comitatus atque animi tranquillitas, ad quam adipiscendam, diuersum fortasse aliis videbitur: Sed quantum opinio mea fert, nihil æquè adiuuat, ac nobilium ingeniorum familiaritas, & clarorũ virorũ conuersatio. Cernis (vt arbitror) quid intendã. Dicã tamẽ expressiùs. Quis in Græcia clarior Themistocle? Vt ait Tullius: Ego fidentissime. Quis in Italia,

id scito, & tibi accidere, & multis accedentibus ad beatam vitam sed idcirco tam facile ab hominibus non deprehendi, quòd corporis motus in aperto sunt, animorũ verò inuisibiles & occulti. Equidẽ vita quã beatã dicimus, celso loco sita est, arcta (vt aiũt) ad illam ducit via, multi quoque colles intereminent, & de virtute in virtutem præclaris gradibus ambulandum est. In summo finis est omnium, & vitæ terminus, ad quem peregrinatio nostra disponitur. Eò peruenire volunt omnes, sed, vt ait Naso,

Velle parum est, cupias vt re potiaris oportet.

Tu certè, nisi, vt in multis, in hoc quoque te fallis, non solùm vis, sed etiam cupis. Quid ergo te retinet? nimirum nihil aliud, nisi per terrenas & infimas voluptates planior, &, vt prima fronte videtur, expeditior via: veruntamẽ vbi multum erraueris, aut sub pondere malè dilati laboris ad ipsius te beatæ viæ culmen oportet ascendere, aut in conuallibus peccatorum tuorum segnem procumbere, & si (quod ominari horreo) ibi te tenebræ & vmbra mortis inuenerint, æternam noctem in perpetuis cruciatibus agere. Hæc mihi cogitatio, incredibile dictu est, quantum ad ea, quæ restabant, & animum & corpus erexerit. Atque vtinam vel sic animo peragam iter illud, cui diebus & noctibus suspiro, sicut superatis tandem difficultatibus hodiernum iter corporeis pedibus peregi. Ac nescio, an non longè facilius esse debeat, quod per ipsum animum agilem & immortalem, sine vllo locali motu, in ictu trepidantis oculi fieri potest, quàm quod successu temporis permoribundi & caduci corporis obsequium, ac sub graui membrorum fasce gerendum est. Collis est omnium supremus, quem syluestres Filiolum vocant, cur, ignoro, nisi quod per antiphrasim, vt quædam alia, dici suspicor: videtur enim verè pater omnium vicinorum montium. Illius in vertice planities parua est: illic demum fessi conquieuimus. Et quoniam audisti, quænam ascendentis impetus ascenderint curæ, audi, Pater, & reliqua, & vnam, precor, horam tuam relegendis vnius diei mei actibus tribue. Primùm omnium, spiritu quodam aeris insolito & spectaculo liberiore permotus, stupenti similis steti

fteti. Respicio: nubes erant sub pedibus. Iámque mihi minus incredibiles facti sunt Athos & Olympus, dum quod de illis audieram, & legeram, in minoris famæ monte conspicio. Dirigo dehinc oculorum radios ad partes Italicas, quò magis inclinat animus: Alpes ipsæ rigentes ac niuosæ, per quas ferus ille quondam hostis Romani nominis transiuit, aceto, si famæ credimus, saxa perrumpens: iuxtà mihi visæ sunt, cùm tamen magno distent interuallo. Suspiraui fateor ad Italicum aerem, animo potiùs quàm oculis apparentem, atque inextimabilis me ardor inuasit, & amicum, & patriam reuidendi, ita tamen, vt interim in vtroque nondum virilis affectus mollitiem increparem, quamuis excusatio vtrobique non deforet, magnorum testium fulta præsidio. Occupauit inde animum noua cogitatio, atque à locis traduxit ad tempora. Dicebam enim ad meipsum, Hodie decimus annus completur, ex quo puerilibus studiis dimissis, Bononia excessisti: & ô Deus immortalis, ô immutabilis sapientia, quot & quantas morum tuorū mutationes hoc medium tempus vidit! Infinita prætereo, nondum enim in portu sum, vt securus præteritarū meminerim procellarū. Tempus forsan veniet, quando eodem quæ gesta sunt ordine vniuersa percurram, præfatus illud Augustini tui: Recordari volo transactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ, nō quòd eas amē, sed vt amē te, Deus meus. Mihi quidē multū adhuc ambigui, molestique negotij superest, quod amare solebam, iam non amo: mentior, amo, sed verecundiùs, sed tristius, iam tandem verum dixi. Sic est enim: amo, sed quod nō amare amem, quod odisse cupiam. Amo tamen, sed inuitus, sed coactus, sed mœstus & lugens. Et in meipso versiculi illius famosissimi sententiam miser experior:

Adero si potero, si non, inuitus amabo.

Nondū mihi tertius annus effluxit, ex quo voluntas illa peruersa & nequā, quę me totum habebat, & in aula cordis mei sola sine contradictore regnabat, cœpit aliam habere rebellem & reluctantem sibi, inter quas iamdudū in campis cogitationum mearū de vtriusq; hominis

imperio laboriosissima & anceps etiam nunc pugna conseritur, Sic per exactum decennium cogitatione voluebar. Hinc iam curas meas in anteriora mittebam, & quęrebam ex me ipse. Si tibi fortè contingeret per alia duo lustra volatilem hanc vitam producere, tantúmque pro rata temporis ad virtutem accedere, quantum hoc biennio per congressum nouae contra veterem voluntatis ab obstinatione pristina recessisti, nónne tunc posses? Et si non certò, at saltem sperans, quadragesimo aetatis anno mortem oppetere, & illud residuum vitae in senium abeuntis aequa mente negligere? Haec atque his similes cogitationes in pectore meo reputans, Pater, de prouectu meo gaudebam, imperfectum meum flebam, & mutabilitatem communem humanorum actuum miserebar, & quem in locum, quam ob causam venissem, quodammodo videbar oblitus, donec vt omissis curis, quibus alter locus esset opportunior, respicerem & viderem, quae visurus adueneram. Instare enim tempus abeundi, quod inclinaret iam sol & vmbra montis excresceret, admonitus & velut expergefactus, verto me in tergum, ad occidentem respiciens, Limes ille Galliarum, & Hispaniae Pyrineus vertex inde non cernitur, nullius quem sciam, obicis interuentu, sed sola fragilitate mortalis visus. Lugdunensis autem prouincię montes, ad dexteram, Ad laeuam verò Massiliae fretum, & quod Aquas Mortuas verberat, aliquot dierum spatio distantia, praeclarissimè videbam. Rhodanus ipse sub oculis nostris erat: Quae dum mirarer singula, & nũc terrenum aliquid saperem, nunc exemplo corporis animum ad altiora subueherem, visum est mihi Confessionum Augustini librũ, charitatis tuae munus, inspicere, quem & cõditoris & donatoris in memoriam seruo, habeóque semper in manibus, pugillare opusculum perexigui voluminis, sed infinitae dulcedinis. Aperio lecturus, quicquid occurreret: quid enim nisi pium & deuotum posset occurrere? Fortè autem decimus illius operis liber oblatus est. Frater expectans per os meum ab Augustino aliquid audire, intentis auribus stabat. Deum testor, ipsúmque qui aderat, quòd vbi primum defixi oculos, scriptum erat: Et eũt homines

admi-

admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros syderum, & relinquunt seipsos. Obstupui fateor, audiendíque auidum fratrem rogans, ne mihi molestus esset, librum clausi iratus mihimet, quòd nunc etiam terrestria mirarer, qui iampridem ab ipsis gentium Philosophis discere debuissem, nihil præter animum esse mirabile, cui magno nihil est magnum. Tunc verò montem satis vidisse contentus, in meipsum interiores oculos reflexi, & ex illa hora non fuit, qui me loquentem audiret, donec ad ima peruenimus. Satis mihi negotij verbum illud attulerat, nec opinari poteram, id fortuitò cõtigisse, sed quicquid ibi legeram, mihi & non alteri dictum rebar: recolens quòd idem de seipso suspicatus olim esset Augustinus, quando in lectione codicis Apostolici (vt ipse refert) primum sibi illud occurrit: Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum IESVM CHRISTVM, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis vestris. Quòd iam antè Antonio acciderat, quando audito Euangelio, vbi scriptum est, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia tua quæcunque habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlis, veluti propter se hæc esset scriptura recitata (vt scriptor rerum eius Athanasius ait) ad se traxit dominicum imperium. Et sicut Antonius his auditis, aliud non quæsiuit, & sicut Augustinus his lectis, vlterius non processit, sic & mihi in paucis verbis, quæ præmisi, totius lectionis terminus fuit in silentio, cogitanti quanta mortalibus consilij esset inopia, qua nobilissima sui parte neglecta diffundantur in plurima, & inanibus spectaculis euanescant, quòd intus inueniri poterat, quærẽtes extrinsecus, admirantíq; nobilitatem animi nostri nisi sponte degenerans ab originis suæ primordiis aberrasset, & quæ sibi dederat in honorem Deus, ipse in opprobrium conuertisset. Quotiens, putas, illo die rediens in tergum versus cacumen montis aspexi, & vix vnius cubiti altitudo, visa est præ altitudine contemplationis humanæ, siquis eam non in

latum terrenæ fœditatis immergeret. Illud quoque per singulos passus occurrebat, si tantum sudoris ac laboris, vt corpus cœlo paululum proximius fieret, subire nō piguit, quæ crux, quis carcer, quis aculeus deberet terrere animum appropinquantem Deo, turgidúmque cacumen insolentiæ, & mortalia fata calcantem. Et hoc quoto cuique accidit, vt ab hac semita, vel durarum metu rerum, vel mollium cupidine non diuertat? O nimium fœlix, siquis vsquam est, de illo sensisse arbitrer Poëtam:

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitúmque Acherontis auari.

O quanto studio laborādum esset, vt non altiorem terrā, sed vt elatos terrenis impulsibus appetitus sub pedibus haberemus. Hos inter nudos pectoris motus, sine sensu scrupulosi tramitis, ad illud hospitiolum rusticum, vnde ante lucem moueram, profunda nocte remeaui, & luna pernox, gratum obsequium præstabat euntibus, interim ergo, dum famulos apparandæ cœnæ studium exercet, solus ego in partem domus abditam perrexi, hæc tibi raptim, & ex tempore scripturus. Ne si distulissem, pro varietate locorum, mutatis forsan affectibus, scribendi propositum deferueret. Vide itaque Pater amantissime, quàm nihil in me oculis tuis occultum velim, qui tibi nedum vniuersam vitam meam, sed cogitatus singulos tam diligenter aperio, pro quibus ora, quæso, vt tam diu vagi & instabiles aliquando subsistant, & inutiliter per multa iactati, ad vnum bonum verum, certū, stabile se conuertant. Vale.

FRAN. PETRARCHA DIONYSIO SVO, S. Epist. II.

Diuitias esse contemnendas.

NIl dulcius audierant aures meæ, postquam vocem tuam audire desierunt, quàm quod ad regem vocatus accesseris. Rationē (inquit) expecto, non possum breuiter: itaque longius incipiam. Optauit aliquando tibi genitrix longitudinem dierū innumerabilibus periculis & cala-

& calamitatibus obiectam: aliquando diuitias, humanarum mentium non mediocrem laqueum, ac funestam sarcinam libertatis: aliquando formam corporis, deformitatis animi plerunque materiam. Quid de sodalibus, quid de nutricula tua dicam? Mulierculurum omnium vna lex est, inepta cupiunt, ridenda formidant. De patre libet altiora credere. Optauerit ergo filio, quod ait Satyricus: eloquium & famam Demosthenis aut Ciceronis, quæ, quanti sæpe periculi plena, vtriusque exitus est testis. Multis & inanibus vel tuis, vel aliorum pro te votis fatigatæ sunt aures Dei: Horum tibi aliquid anxiè non opto. Quare? Quia stultum est vehemẽter appetere, quod potest pessimo fine concludi. Illud bonum tibi cupio, quod mihi beatam vitam, ad quam multi suspirant, pauci perueniunt. Est enim salebrosum iter atque angustũ, & difficile, & amœna, ac prona circum deuia. Est autem vt in sagittando, sic in alia qualibet operatione mortalium, aberrare perfacile, signum attingere is demum artificij finis est. Idcircò difficilior, quia ad illum vna tantummodò ad errorem innumerabiles sunt viæ. Hanc sanè, quam dico beatam, quanquam ingeniosissimis atque doctissimis viris fortè aliter visum sit, in hoc corporis ergastulo mereri quidem vtcunque potest labor humanus & sperare; amplecti autem ac tenere non potest. Hoc ergo studio decurritur: finis est, vbi quiescit intentio. Neque nobis hoc solis persuasum est. Quid enim aliud Cicero sentiebat, vbi ait: Quod hæc vita via est in cœlum. Habet tamen interdum illi æternæ quiddam hæc mortalis vita simillimum, vt & si beata nondum sit (id enim beatum est duntaxat, cui nil valet accidere) iam tamen humanas miserias longè infrà se videat, & in imo stans adhuc, supernæ fœlicitatis luce resplendeat. Hoc sanè non diuitiæ præstant, non insanientis vulgi plausus, non potentia, non voluptas; sed virtutum comitatus atque animi tranquillitas, ad quam adipiscendam, diuersum fortasse aliis videbitur: Sed quantum opinio mea fert, nihil æquè adiuuat, ac nobilium ingeniorum familiaritas, & clarorũ virorũ conuersatio. Cernis (vt arbitror) quid intendã. Dicã tamẽ expressius. Quis in Græcia clarior Themistocle? Vt ait Tullius: Ego fidentissime. Quis in Italia,

imò verò quis in Europa clarior Roberto? In quo sæpe cogitans, soleo non tam diadema quàm mores, neque tam regnum quàm animum admirari. Illum ego verè regem dixerim, qui non subditos modò, sed seipsum regit ac frenat, qui exercet in passiones suas imperiũ, quæ sunt animo rebelles illum, si cesserit oppressuræ, vt nulla est quidẽ clarior victoria, quã seipsum regere. Quomodo ille mihi Rex erit, in quẽ regnat ambitio? Quomodo inuictus, quem sternit aduersitas? Quomodo serenus, quem mœror obnubilat? Quomodo magnanimus, quem minimarum etiam rerum pauor exanimat? Et, vt fulgida virtutum nomina taceamus, quis mihi liberum dicet eum, qui cupidinum variarum iugo premitur multiplici? infra omnia ista descendam, qua fronte hominem dicimus, quem scimus ex homine nihil præter nudam effigiem retinere, belluarum moribus deformem, & sæuorum animantium feritate terribilem? Mira ergo, licet publica, dementia, Regem eum dicere, qui nec rex, nec liber, & sæpe ne homo quidem sit. Magnum est regem esse, perexiguum regem dici. Rariores sunt reges, quàm vulgus existimat. Non est titulus ille vulgaris. Minus gemmarum atque eboris sceptra consumerent, si soli reges illa portarent. Veri reges intra se gerunt, quòd eos venerabiles facit: semotis licet satellitibus, & abiectis insignibus reges sunt. Cæteros cultus exterior facit horribiles. Robertus verè inclytus, & verè rex est, qui quàm sit imperiosus in seipsum, exempla inauditæ patientiæ, & moderationis indicat, de quibus alter fortè dicendi locus fuerit: Quàm verò latè regnet in alios, dissonantes lingua, & moribus populi, & disiunctissimi regionum fines ostendunt. Seneca tuus in quadã Tragœdia, quid regem faciat, & quid non faciat egregie recollegit, his versibus,

Regem non faciunt opes,
Non frontis nota regiæ:
Rex est, qui posuit metus:
Metis regnum bona possidet,
Nil armis, & inertibus
Parthis, cum simulat fugas.
Vrbes sternere machinis

Rex

Rex est, qui metuit nihil:
Non vestis Tyriæ color,
Non auro nitidæ trabes.
Et diri mala pectoris.

Nec longè post:

Nil vllis opus est equis,
Telis, quæ procul ingerit
Admotis nihil est opus
Longè saxa rotantibus.

hæc ille.

Ad hūc itaque regem (vt principio cōueniat finis) vocatus iuisti, quod vt ille iuberet, & vt tu pareres, quid aliud quàm studiorum summa conformitas fecit? Ille quidem, quantum curis suis solamen asciuerit, dicerem, si apud alium loquerer. Tibi certè ad interni hominis pacem, quam, vti sæpe querebaris, Tuscarum rerum fragor impulerat, quà compendiosiùs pergeres, non erat. Congratulor ergo seu prudentiæ, seu fortunæ tuæ, & vocem, quæ tunc mihi fuit in ore, aliquantò nunc fidentius repeto. Vbi enim fama primum, deinde per literas tuas accepi, te Florentia digressum esse Neapolim, & mecum, & cum amicis dixi: Dionysius noster ad tranquillitatem animi magnis passibus contendit, & ad beatam vitam rectum iter ingressus est. De me autem sic habe, breuì te consequar. Nosti enim, quid de laurea cogito, quam singula librans, præter ipsum, de quo loquimur, regem, nulli omnino mortalium debere constitui. Si tanti fuero vt vocer, bene est: alioquin fingam nescio quid audisse, vel epistolæ suæ sensum, quam ipse mihi summa hominis incogniti & familiarissima dignatione transmisit, quasi dubitans, in eam potissimùm partem traham, vt vocatus videar. Et regio quidem stylo, quiddā modò plebeium reddidi, fulgore attonitus, nec æquis ingenij viribus, & lyra (vt aiunt) longè impari. Vale.

FRAN. PETRAR. ROBERTO SICILIAE REGI, S. Epist. III.

De Animæ immortalitate.

PRæstrinxit oculos meos fulgor insolitus: fœlix calamus visus est, cui talia crederētur. Quod primum mi-

rer? Eximiã breuitatẽ, an maiestatem sententiarũ, an diuinã eloquij venustatem? Nunquã Rex inclyte (fateor) credidi, rem tantam dici posse, tã breuiter, tam grauiter, tam ornatè, nec iam tale aliquid ex humanis ingeniis expectabam. Equidem vt constaret te corda hominum in manibus habere, quo tota illustrium Oratorum suspirat intentio, legentis animum tam variis affectibus impulisti, vt sine luctamine in omnem partem styli, tua vestigia sequeretur volubilitate mirabili. Ecce enim in prima sobrij fronte sermonis, dum summam humanæ miseriæ, acerrimásque molestias laborum, & necessitatem mortis acerbissimam tractim ex radicis labe ramis ac frondibus obrepentem, magnificentissimè deplorasses, mouebar vsque adeò, vt crebrò inter legendum suspirans & ineluctabili sorte perterritus, totumque hoc nomen hominis perosus, penè nec natus esse, nec vnquam nasciturus optauerim. Actum erat, & mihi iam tranquillitas omnis exciderat, nisi quæ letale vulnus infixerat manus, eadem mox remedium attulisset, sensi vnum & repentini mœroris, & consolationis artificem, nec vnquam certiùs, quid eloquentia possit, agnoueram. Tam potenter enim paucorum ope verborum, sub immortalis animæ, futuræque reparationis obtentu, ægrum atque labantem animum erexisti, vt gaudio mihi fuerit, genitum esse mortalem. Nam quid beatius excogitari potest, quàm exutum veste corporea, & de compedibus istis explicitum, ad illam diem exactis temporum curriculis peruenire, quæ nos absorpta morte, immortalitatem induat. Reparans indissolubiliter, ac reformans putrem & semesam tineis, atque vndique fluentem tunicam carnis nostræ? Quam spem, & si Philosophorum gentilium nullus attigerit, vetustissima tamen est immortalitatis opinio, nec nostris solum, sed illis etiam probata, quibus CHRISTI nomen inauditum est. Præter Epicurum enim, & nescio quos ex illo infami grege, immortalem esse animam nemo est qui neget. De qua re (vt Pherecydem primũ apud Syrios sẽtẽtiæ huius auctorẽ, discipulúmque Pherecydis Pythagorã, totámque Pythagoreã familiã Socratẽ omnesque Socraticos prætereã) Plato ipse summus vir, clarissimũ

volu-

volumen edidit, quo Vticensis Cato moriturus, suprema illa nocte sua, pro consiliario vsus perhibetur, vt ad contemptum vitæ huius animosior, & ad amorem decretæ mortis accederet. Quam sententiam postea M. Cicero, & in Tusculano suo, & in septimo Reipublicæ diuino genere orationis asseruit, necnon & in Dialogo Lælij, qui de Amicitia vera est, & in eo libro, qui Cato Maior inscribitur, defensionem continens senectutis, aliísque præterea tam multis in locis attigit, vt valdè mihi quidem sollicitus videatur, ne quem veritas tam comperta prætereat. Sed cui hæc insipiens loquor? Profectò non modò regum nostri temporis, sed Philosophorum regi. Ignosce autem quæso: sic hactenus me dicendi calor euexit, vt regium dogma, cui plurimum me debere fateor, nō amplecterer, solum, sed testibus adhibitis confirmarē, quod ita mihi animum affecit, vt securus iam ac spei plenus, formidatum gentibus diem mortis diem mortis expectem. Hunc diem transuecta neptis tua, quam finis epistolæ canit ac prædicat, inuidiosa potiùs, vt mihi quidem videtur, quàm miserabili sorte defungitur. Quāuis enim ab ipso ætatis, & formæ flore subtracta sit, publica ferè totius orbis querimonia, multísque præcipuè populorum vtriusque regni, & vnde ortum, & in quod translatum illud rarum & eximium decus erat, lachrymis ac lamentis. Ipsa tamen fœlix est, non solùm, quòd ad æternæ vitę delicias perhorrificū illud mortis limeņ ingressa est: sed etiā, quod tu eā nobilissimo elogio omnibus seculis illustrasti. Quis enim mortuā, imò verò, quis nō gloriosissimè viuentē dicere audebit, quam Deus in cœlo, tu in terris viuere voluisti? O (inquam) fœlix mulier, ô iterum fœlix, quæ pro vna tēporali vita, eadémque breui & incerta & mille semper casibus exposita, duas æternitates, vt ita dixerim, cōsecuta est, quorū alteram cœlesti, alterā terreno regi, illā CHRISTO debeat, hāc Roberto, ingentia duo munera, munificētissimis largitoribus accipiens, eò fœlicior videri debet, quòd in cœlo, & in terra, gratiam dignissimis relatura est. Plurimum enim ex persona tribuētis muneribus ipsis accedit. Multum interest, à quo beneficium acceperis, & cui proinde sis obnoxius.

Sanè quæsitam illi cœlitus immortalis conditionem, beatissimámque vitæ mutationem sileo, nec ineffabilia prosequentem destituant vires, quanta demum gloria est, quam tu sibi supremis laudibus peperisti. Certè dum illud tuum siue epigramma, siue epitaphium dici mauis, quod æternè mansurum esse confido, nuper defunctæ neptis memoriam celebrabit, semper illa tecum, & cum clarissimis omnis æui nominibus viuet. Erunt qui mortem immaturam, & iacturam modici temporis, tali cupiant compensasse panegyrico, quique quod de Achille dixisse fertur Alexander Macedo, suspirantes dicant, O fortunata, quæ talem præconem tuæ virtutis inuenisti. Sed iam metuo, ne prolixitas in fastidium vergat, elegantissima quoque breuitas tua, ne longiùs vager, admonet. Subsistam igitur. Deũ orans, cunctósque cœlicolas, vt Serenitatem tuam, geminis tam bellorum, quàm studiorum laureis ornatam, diu iubeant in statu fœlicissimo florere. Vale.

FRAN. PETRARCHA PEREGRINO MESSANENSI, S. Epist. IV.

Obitum amici deplorat.

Grauissimam querelam epistolæ finibus non cõprehendam, differre compulsus sum. Nõ est visitatum animi mei vulnus, aut vulgato medicamine reuelandum altiùs in præcordia descendit: obseruauit enim nocendi locum ac tempus, & toto pondere ferox incubuit fortuna, Thomámque meum, nunquam mihi sine lachrymis nominandum, eximio flore, raræ indolis, fructus vberrimos & magna rerum incrementa pollicitum, primò, ut sic dixerim, ætatis verè præripuit, cujus immaturo obitu ipsi mihi, fateor, mortalia cuncta viluerunt: Video quanta rerum nostrarum, firmitas, quid mihi nunc sperandum sit, exemplo coniunctissimi fratris admoneor, vna ætas erat, idem animus, summa studiorum paritas, incredibilis identitas voluntatum. Vnum eramus, vno calle gradiebamur, vnum terminum petebamus, vnus labor, vna spes, vna erat intentio, vnus vtinam finis esset Hanc acerbissimam fati vim deflere mecum, & profundissimo

simul

simul vulneri meo paria, si possum, adhibere remedia, méque ipsum meis literis & iusto volumine cõsolari propositum est mihi. Fecit hoc primus in morte dilectissimæ filiæ M. Cicero, diuino ille quidem, & inaccessibili quodam stylo: fecit idẽ multis post seculis in morte fratris Ambrosius tentare libet, modò per occupationes liceat, quid in amici morte possit stylus humilior Interim epigramma, quod postulas, vdum fletu accipe, placet, vt super sepulchri lapidem breue carmen, & super amici corpus dolor meus emineat. Vale.

Indolis atque animi fœlicem cernite Thomam
Quem rapuit fati præcepitata dies.
Hunc dederat mundo tellus vicina Peloro,
Abstulit hæc eadem munus auara suum:
Florentémque noua iuuenem virtute repentè
Succidit misero, mors inimica, mihi.
An-ne igitur grates referam pro munere tanto
Carminibus Siculum littus ad astra ferens?
An-ne gemam potiùs simul indignérque rapinam?
Flebo: nihil miseris dulcius est gemitu.

FRAN. PETRARCHA IACOBO MESSANENSI, S. Epist. V.

Obitum amici conqueritur.

POst Thomam meum, fateor, mori volui, nec potui: speraui, sed elusus sum, nec ignoro, quid si hoc audiat, responsurus sit Anneus Seneca. Frustrà scilicet optari, quod in manu positum nostra sit. Ego verò in multis hominis ingenium probans, ab eodem tamen in multis, & præsertim in hac præcipiti ac temeraria opinione, dissentio, quàm non solum nostris, sed Philosophorum quoque gentilium testimoniis, & auctoritate, coquincere, non operosa disputatio esset, sed modò non id agimus. Igitur vt ad rem veniam, infœlicissimis rumoribus affecto, & optima mei parte amissa, vitam sine illo verè solitariam atque anxiam peroso, peropportuna febris affuit: qua duce, lętus vsq; ad ipsũ limẽ mortis accessi, sed cum transire vellẽ, in foribꝰ scriptũ erat: Noli adhuc,

nondum venit hora tua, continui gradum, & repulsus inde mœstus ad vitam redij. Atque ita sum, vt facilè cernentibus appareat, me inuitum viuere: viuo tamen, quod omnes metuunt solus sperans, & dolorem meum breuitate consolor. Scio enim quod mihi cum morte fœdus, quod cum carne commercium, vtinam sic mihi, quantulumcunque vitæ superest, contingat agere, vt omnibus horis in promptu, &(vt dici solet) in numerato habeam, quod debeo, sitque quod ait Psalmista: Anima mea in manibus meis semper, Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist VI.

Super morte fratris amicum consolatur

VRget dolor, hortatur charitas vt scribam aliquid, sola desperatio profectus dehortatur. Credo enim, recentissimum adhuc animi tui vulnus talibus auxiliis non egere, vincet dolor, vincet amor, cedet desperatio, insitæ deuotionis imperio damnatum, sæpius & abiectum reuertor ad calamum. Sic enim etsi nihil amplius, tantisper euaporabit iste, qui me intus vrit & prægrauat calamitosæ mentis affectus: atque vtinam mœrori tuo non intempestiuus & inoppportunus consolator accesserim. Scio irrisos à Tyberio principe Iliensium legatos, quibus cùm ad eum consolandum in morte filij aliquanto serius venissent, mandatis expositis, respondit: Etiam illorum vicem ipse dolere, quod egregium ciuem Hectorem amisissent. Sed non ea tibi mens est, neque hi mores, notissima tua est pietas, peruulgata humanitas, non in tuos modò, sed in omnes. Itaque nō sum nescius, quot gemitus, iam fortassis vel animi virtute compressos, vel tractu temporis parumper abstersos, hoc sim suscitaturus alloquio. Nunquam etenim casum tuum verbis extenuare tentabo, illud potius fatebor, nullum ex omnibus, quos ego quidem viderim, de quibus audierim, aut legerim, plus vnius morte fratris amisisse. Vide quantum lachrymis indulgeo, & quàm latum suspiriis iter pando, dum extirpandis si dabitur, totius morbi radicibus sum intentus. Fluant interim quacunque libet, dum meminerint, iisdem mox tramitibus obstrusis, non licere am-

re amplius niti, & , qui luctuosarum mentium mos est, alias atque alias dolori rimulas conquirere Magnam igitur in primis, quandam & insignem iacturam accidisse tibi video, talis & tam dilecti fratris interitu. Verum tunc ego, infinitam & inextimabilem iudicarem, quando mors illum extinxisset, & non spatio modici temporis separasset. Atqui dum hic fuerat, quantulam vitæ suæ particulam sub oculis tuis egit? Computa, oro, tempora, quod auidissimè faciunt amantes, & ab vltima repetens infantia vsque ad hanc ætatem, memori animo percurre. Iam ille procul à patria genitus, & sub illo gloriosissimo patris exilio productus in lucem, primos vagitus edidit in terra longinqua, spectatæque indolis puer, tenerioris vitæ annos, vel sine te, vel si tecum egit, ea tamen erat amborum ætas, quæ nec veri iudicij capax est, & solidi amoris fundamenta non recipit. Ita vel semper eatenus absens fuit, vel absenti simillimus, Mox vbi adolescentiæ fines attigit, incredibili quodam amore literarum, quarum haud temerè quisquam fuit appetentior, nunc per Italiam, nunc per Gallias, longè latéque peregrinatus est: ita dum anhelans, ac per diuersa terrarum generosam sitim satagens extinguere omnibus fermè studiorum fontibus immergitur, vsque ad virilem ætatem spontaneum ipse sibi indixit exilium. Post hæc sola virtutis admiratione facillimè dispensante, ante annos ad Episcopatū est prouectus, quē sic gessit, vt tantum virū nō altiori solio sedentē cernere, cūctos bonos puderet, præter eum ipsū, qui ab omni ambitionis aut auaritię ardore liberrimus & sorte sua lætus, Episcopalē gradum insigniter honestabat, atq; altiorē non modò nō optabat ascēsū, quin potius detestabatur atq; oderat, & velut præcipitij sedē, illud supremę fortunæ fastigiū perhorrebat. Cuius rei, cùm totius vitæ tenor, atq; vnus sēper secretioris textus eloquij, in quo celsum illū ac tranquillum animum videbamus, tū præcipuè testis est grauitatis ac modestiæ, contemptúsque terrenarum rerū plena epistola, quam manu propria nouissimis vitæ suæ tēporibus ad te scripsit, quámq; dū relego, nūquā sine iucūdis lachrymis facio. Est enim apud me, quē illius & custodia & respōso

dignum credidisti, nunc etiam, & præsentem spectare, & viuas voces audire mihi videor, nec magnopere vllas requirere Philosophorum scholas, tam plene ibi paucissimis verbis absoluit, quæ ad sobrietatem pertinent, & ad beatam vitam, atque inter cætera (mirum dictu) cum de eo attollendo altius assiduè agerent, religiosissimo iureiurando interposito affirmat, se suprà quàm credi posset, rebus suis esse contentum, nec vllo pacto altius ascensurum, & in quo tunc erat statu mori se, non sperare tantum, sed optare. Ascendisset autem vel inuitus, quò eum & sanguinis claritas, & merita trahebant, nisi olim, quæ mentes curialium possidet, obstitisset inuidia, & nunc postquam ea iam gloriæ ac virtuti cesserat. virentissimæ iuuentutis cursum medio callé mors obuia præuertisset. Sed ad ordinem reuertor. Factus Episcopus, commissi muneris exactissimã curam habens, te quàm primum relicto, ad sedem propriam maturauit, nec eum tanta rerum locorũmque mutatio exterruit. Inter Romanas opes ac delicias enutritus, ad Pyreneos saltus, serenissima fronte & æquissimo animo transiuit; ita vt aduentu eius non tam sua quàm locorum facies mutata, nec tam ipse in Vasconiam, quàm Vasconia omnis in Italiam transisse viderentur. Quod iter ego secũ egi, & me fœlicem recordatio sola facit, dum memini & mansuetudinem in ea fortuna, & humilitatem in illis tot naturæ dotibus, & honestatem in ea specie corporis admirandam. Denique dum in animum redit illa cærimoniarum omnium iugis integritas, atque illa iuuenis pontificis optanda potius senibus quàm speranda grauitas, sicubi errantem audieris, interrumpe. Toto quidem illo tempore germanum amantissimum non vidisti: at inde rediens, substitit fortasse, vsurus aliquando fratris exoptatissimo conuictu. Sperasse quidem id illum reor: nam optasse certus sum, sed ea quæ actus hominum dispensat. domina prohibuit fortuna. Siquidem & domus, & patriæ laboribus, ac vocibus excitatus, Romam coactus est petere. quo & ego qui tũc longè aberam, ipsum (vt scis) dulciter euocantem, te vix tandem permittente secutus sum. Credo id agente Deo, vt geminæ virtutis mirator ac testis, pace, bellóque illius proui-

prouidentissimi pectoris consiliis interessem. Septennio in patriam exacto, ea pietate, eáque animi constantia, vt reliquiarum suarum illum vnicum seruatorem Roma recognoscat, & quod in cineres non tota corruerit, illius etiam nunc cineribus se debere fateatur, ad conspectum tuũ nouissimè remeauit. Neque amplius substitit, quàm vt tibi supremum Aue simul & Vale diceret. Illic ò enim & desertæ sedis viduitatem miseratus, & solitudinis auidus, quàm diuturnis populorum concursibus compẽsare decreuerat, alioquin sibiipsi victurus, qui patriæ vixerat, & amicis. Rursus ad Episcopatum suum sese contulit, vbi multa cum honestate degens, & sicut antea cæterorum, sic tunc suiipsius victor, vitam suam Deo, & hominibus exemplariter commandauit. Anno ibi tandem vix peracto, iuuenis admodum, ab huius vitæ tempestatibus, ad quietis portum, & ad fœliciora regna translatus est. Recognosce mecum singula, Pater optime, nec de germano colloqui pigeat cum illo, qui in fratre tuo decus suum sibi præreptum luget, & tamen (quod in infantibus prolapsis nutrices solent) post tam grauem casum, animo suo mœrenti, hæc verborum adminicula qualiacunque conquirit. Recense mecum igitur fraternæ vitæ tempus vniuersum, ætatis illum angustissimam portiunculam tecũ exegisse, téque germanam eius dulcedinem semper in transitu, & vix summis (vt aiunt) labiis degustasse fateberis, & si hactenus non luxisti, iam tandem lugere desinito. Ego tamen hinc intelligo, & scio (fecit enim me taliũ expertum crebra mortis iniuria) scio quid mihi nũc, in silentio vulneratus, & vlcerosus animus respõdet: Túne mihi mortis, & absentiæ parem conditionem argumẽtaris? Atqui absentem reuidere cum desiderio sperabam, vbinam degeret noueram, assiduisque rumoribus onus solabar absentiæ: nunc verò & solamen illud, & spes omnis intercidit. Mihi autem, fateor, nihil omnino morti similius, quàm absentia videretur nisi in morte certiora quædam solatia reperirem. Vtraque quidem corpore segregat, animo neutra disiungit. Verum suspendit absentia, & semper anxias mentes habet, quibus mors omnem superuacuam curam demit. Quis enim fratres absentes,

præsertim vel amico, habere. & securus esse poterit, nisi qui casuum humanorum omnino nescius, fortunæ vim atque inconstantiam non attendit? De se alij viderint; ego quidem, ex quo hîc sum, nunquam meorum literas, nisi tremens,& pallidus accepi: & postquam omnes bene valere nunciatum est, adhuc curis non exoneror. Quis enim me certum facit, ne dum per alpes ac maria ad manus meas scripta peruenerint? Aliquid forsan inciderit aduersi, quod in ictu oculi fieri solet, nec pudebit apud te familiariter gloriari, multum me in hoc temporis ac studij posuisse, vt aduersus repentinos casus armatū, ac præparatum animum haberem vtque ad id, si quo modo possem, peruenirem, quod ait Seneca: Sapiens scit sibi omnia restare: quicquid factum est dicit; Sciebam. Ego verò, cum in aliis innumerabilibus, tum in hoc præcipuè sentio, me nec esse sapientem, quod vsque ad hoc tempus hanc vnam sarcinam prorsus deponere nullo studio valuerim: istam sollicitudinem tibi mors eripuisse debuit: &, nisi magnitudine animi tui fallor, eripuit. Scis vbi frater tuus est & qualiter sibi est, neque iam status sui veritatem solitam pertimescis, si iustitia, si fides, si pietas, si charitas viam sternit ad superos, si terrenis laqueis expedita mês liberiore sursum tollitur volatu. Si bonis & bene creatis spiritus sedes vltima & æterna cœlum est, illuc fratrem tuum ascendisse confidimus, & si qua eum mortalitatis nostræ contagia, quod profectò non suspicor, retardassent, in via est & iam solitus atque alacer festinat ad patriam. Cæterùm vbicunque est, sæpe ad te oculos reflectit, oratque ne fœlicissimam profectionem eius, gemitibus tuis impedias. Nec te videndi fratris desiderium torquere debet, videbis eum suo tempore multò augustiorē solito, multóque lætiorem. Quid ni cùm ego adhuc eum videre non desperem? Alioquin, fateor, inconsolabiliter angerem. Quis enim mihi Catholico quamuis peccatori, spem negauerit, quam gentiles homines habuisse comperio? intelligis quid velim. De Catone loquor & Socrate, quorum in hac parte sententias annotare nō attinet, quas multò tibi notiores arbitror esse quam mihi. Non igitur mors auferre, sed differre potuit fraterni vultus aspectum,

aspectum, quem licet in perpetuum abstulisset, non tamen immoderati luctus viro digno esset occasio. Nam siue illum defles vitæ laboribus ac periculis liberatum, & vide, oro, ne inuidentiæ potius dici possint, quam cõpassionis lachrymæ, siue teipsum tanto præsidio spoliatum, & dulcissimo iucundissimóque comite in medio peregrinationis huius calle desertum dicis. Et vera quidem sed nequaquam sufficiens causa est, vt egregios animo, propriæ calamitatis afflictione deficias. Accedit, quod dãni tui memoria, quotiens ante oculos mentis redit, totiẽs diuinæ liberalitatis admoneat æquissimum est. Ingratus enim est, qui ablati memor, obliuiscitur accepti. Proinde vbi animum pupugit acerba illa cogitatio: Heu qualem fratrem amisi, leniat illa iucundior: O quantum fratrem habui, imò verò quantum fratrem habeo, & in æternum habebo. Licet ille, donec sibi simul, & mihi, & patriæ, & mundo necessarium fuit breuem hîc moram traxerit: dũ verò sibi vni expedientiùs esse cœpit ab his malis separari, eripuerit illum Deus, ei scilicet consulens, & nõ nobis. Imò forsan & nobis. Quis enim sufficit abditas, & imperscrutabiles dominicæ præscientiæ causas, aut exitus contẽplari? Dicente, nisi fallor, Apostolo Sẽsum Domini quis nouit? Aut quis consiliarius eius fuit? Quis nam hominũ iudicare audeat, an cuicunque mortem alterius deploranti non satis propriè dici possit, quod in tabellis reddito responso, patri olim in morte filij dictum est tribus his versiculis:

Ignaris homines in vita mentibus errant.
Euthynous potitur fatorum numine læto.
Sic fuit vtilius extingui ipsique tibique.

Calcitrat aduersus stimulum humana temeritas, & impienti fato superbiæ suæ cornibus obluctatur nequicquam, nisi vt grauius victa succumbat. Quid enim ego nunc deuotis inanibus, de gaudio aut querelis hominum loquar? Latet altè veritas abscondita, caliginosa nube circumcludimur, casu regimur, cæci cæcis ducibus innitimur. Nec quid optandum, metuendũm-ve nobis sit per vmbrã carnis agnoscimus, bonis nostris ingemiscimus, miseriis exultamus, sine delectu flemus ac ridemus.

Suam quisque sententiam sequatur. Mihi errorum maximus videtur, quod non liberè nos & nostra Deo committimus, quod aliquam in nostris consilijs spem habemus, totiens decepti, quod tanto huius caduci corporis amore detinemur, vt vix aut æquanimiter hinc exire valeamus, aut nostros exeuntes aspicere: quasi ad nihil aliud nati simus, quàm vt inter mundi fluctus, & ludibria fortunæ perpetuò turbine iactandæ carnis nostræ tenacissimo limo, ac sordibus hæreamus. Quod profectò non accideret cogitantibus votorum nostrorum multiforme periculum. Breuis est equidem in primis vita, & fugacissimũ vitę tempus, rerum humanarum inquietum aduersis flatibus & procellosum pelagus rari & vix hominibus accessibiles portus, scópuli vndique innumerabiles, inter quos difficilis prorsus & ambigua nauigatio est. Iam vix vni contingit ex millibus, vt integer enataret. Sic nos fortunæ imperium exercet in omnes gradus hominum pari iure grassantis; ita in quiduis obuium cymba fragilis nostræ mortalitatis allidítur. Et possumus inter hæc, nobis aut nostris longiusculam vitam, imò (vt veriùs dicam) longius periculum optare? Fingatur aliquis tam benigno sydere, tam propitia fortuna, tam denique fauente Deo iter hoc ingressus, vt nihil ei possit asperum molestúmque contingere. Rem impossibilem, & inauditam seculis fingi iubeo, nec ideò tamen quamuis periculum absit, aberit metus, & idcircò fortasse non infœlicius nec inconsultius foret, modò nostri esset arbitrij. Sicut in ęquore suspecto, nautæ solent circumspecti clauum flectere, diúque ante solis occasum vela submittere, sic in vita portum petere, & adhuc florenti ætate atque animo virenti, & valentibus membris, mori priùs, quàm eò peruentum sit, quò saltem vita longior perducit, ad vltimas scilicet angustias senectutis, inter quas arctati quidam & vixisse dolent, & mori metuunt, & totiens votis exoptatum tempus accusant, denique quid velint & quid nolint, nesciũt, tanta est discordia. Hæc & his similia cogitantes abstinere decet, ne decretum cœleste seu mortis festinantiam accusemus: alioquin pro nobisipsis tantum modò conqueri videbimur & affligi. Ego enim non dubito, sacræ me-

moriæ

moriæ fratrem tuum: nec plus vixisse quàm necesse sibi fuerit, nec minus & opportuno tempore reuocatum, etsi multis, inter quos mihi misero, diu antequàm vellemus, aut suspicaremur, abscesserit. Piget opinari in te, ne dicam consolari, illos mollissimos plebeiarum gentium affectus. Vt quid tam longè positum mors abstulit? quare patrio caruit sepulchro? cui videre non contigit expirantem? Qualia apud Poëtam etiam ille vir fortis, sed nimis semper pronus ad lachrymas, videtur lamentari.

------ te amice nequiui

Conspicere, & patria decedens ponere terra.

Vulgata non ingeram, nec quanta sit terræ totius exiguitas Geometricis demonstrationibus nitar ostẽdere, quod vndecunque digresso vna est ad cœlum via; quod non solùm omne solum forti patria est, sed omne homini natale solum. Quis enim ista non nouit? Illud potiùs dicam, vtrumque consultò diuinam statuisse prouidentiam. Primum scilicet, vt duabus longè licet imparibus vrbibus, ab eo dum vixit singulariter exornatis, ambæ quidem defunctum viriliter partirentur: & Roma sui ciuis perpetuam & immortalem famam, Lombariensis ecclesia, veneranda pontificis ossa seruaret, nullum, nisi fallor augurio, celebriorem titulum omnibus seculis habitura: si tamen id illi proprium ac perpetuum permiseris. Audio enim te de transferendis Romam reliquiis cogitare, quod suadere, nec dissuadere propositum est, ne illum aut Vrbi, in qua ciuis, aut Ecclesiæ in qua canonicus sum, inuidisse videar. Secundum, vt vno ex nobis astante, qui abeuntis amplexus supremáque verba perciperet, cęterorum luminibus parceretur, quoniam, sicut experimento deprehensum est, mitiora sunt aurium quàm oculorum vulnera. Longior sum in hoc sermone quàm oportet, téque contra omnes insultus armis longè validioribus instructum, nihil in eo, quod laudes, præter fidem reperturum spero: Sit verò iam finis, conquiescant gemitus, arescant lachrymæ, sileant lamenta. Noli fratrem tuũ mortuum extimare; viuit enim. At nos quotidie morimur, nec sẽtimus, & vel mortẽ (O cæcitas) veræ vitæ principium formidamus? Vt viuens itaque non luctibus, sed

cogitationibus tuis & colloquiis interſit, prohibe in aula tua illud puſillanime ſilentium, quod plerique in luctuoſis domibus obſeruant, defunctorum nomen, ceu triſte aliquid abhorrentes, imò verò nunc reſonet glorioſum illud nomen, & latè ramos porrecturum apud te radices agat: præſertim quia inuidiæ nebulam, quæ excelſos viros libenter inſequitur, ſepulchra non metuunt, & ſi multos, quos domus ac forum odioſos & obſcuros fecerat, claros & amabiles buſtum fecit, quid de hoc ſperem, cuius & ſuauiſſima ſemper & præclariſſima fuit vita? Et ſi quid ſuperlatiuo altius, mors quoque præclarior. Ille etiam, obſecro, vulgaris abuſus, quem in multis, ſed in Romanis meis præcipuè notaui, atque interdum caſtigaui, à limine tuo procul exulet. Solent enim nullum defunctum nominare ſine præfatione miſeriæ: Ille infœlix, ille malè ominatus: & ſubdunt tandem ipſum inexpletum nomen vix primis ſyllabis intellectis. At verò germanus tuus fœliciter hic vixit, fœlicius hinc abiit, nunc alibi viuit fœliciſſimè, & ideò pleno ore proferendus eſt. Apud Lucanum morientis Pompei j verbum eſt,

Non ſit morte miſer.

Eleganter; alioquin omnes qui nati ſunt, miſeri quique omnibus ſeculis naſcerentur. Poſtremò vnũ hoc iterum & iterum admoneo, quoſdam viros egregios, quorum nomina tibi inculcanda non credidi, nulla re amplius laudatos quàm quòd ſuorum mortes forti animo tulerunt. Quod tibi eo ſtudioſius aduertendũ eſt, quoniam, ſi circunſpicis, videbis actus tuos in exemplum trahi, te in eminenti ſpecula collocatum, atque in te omnium oculos eſſe defixos. Hoc tibi laborioſum decus, & ampliſſimi generis maieſtas, & retroactæ vitæ moderatiò peperere. Vale.

FRAN. PETRARCHA LÆLIO SVO, S. Epiſt. VII.

Obitum amici deplorat.

Nimis viximus, Læli chariſſime: moriendum fuerat, antequàm præriperet nobis Deus beniguiſſimum domi-

dominum,& indulgentissimum patrem nostrum, vtilem mundo, nobis necessarium, patriæ gloriosum, longæui patris baculum, solamen sororum, fratrum lætitiam, amicorum spem, hostium terrorem, morum specimen, virtutum templum, honestatis imaginem, literarum hospitẽ, studiorum amatorem, ingeniorum præconem, ac extimatorem rectissimum meritorum, nulli inuidum spectatum claris viris omnibus, pium, mitem, modestum, sobrium, affabilem, constantem, fortem, iustum, largum, munificum, magnanimum, circunspectum. Heu mihi, laudans deficio, nec inuenio quid tantis virtutibus dignũ loquar. Aut amore decipior aut ætate hac præradiantem & conspicuam clarè lucem festinatæ nubes mortis obduxit; cuius nuncio accepto, quanta me miserum circumfuderit eclipsis, sensit cor meum, testes sunt oculi mei. Verùm post parentis & fratrum lachrymas, nullas vberiores arbitror esse quàm tuas: hoc mihi, & animi tui mansuetudo suggerit, & vetusta deuotio, in qua hæreditario iure succedens, & paternis finibus non contentus, longè latéque processeras. Heu quotiens, quantáque dulcedine cogitabam diem illũ, quẽ proximum opinabar, quo scilicet mitissimis eius literis obsecutus, & ab Apennino in Pyreneũ transgressus, exoptatissimo eius conspectui improuisus assisterẽ, eique & Romanã laureã, quam vertici meo (licet indignus) imprimo, quæque iam antè vel auditu solo, quantæ sibi iucunditatis è longinquo materiam præmisisset, elegantissimũ munus & ingenij sui carmen indicat. Insuper & noua Africæ meæ fundamenta, duo parua quidem, sed deuota munuscula venerabũdus offerram, præuertit omnipotens desiderium meum, nec dignus fui, tam lætum, & tam fœlicem diem cernere. Quid verò nunc consilij capiã? Quid de meipso statuã? Quid agam? Sæpe mecum hæc cum lachrymis loquor: Quò ire paras infœlix? Is quem petebas abiit: Quẽ sequeris? Aulám-ne fratris flebilem, & tanto splendore viduatam, an bustum, vbi sepultæ sunt spes tuæ? Vtrobique molestiæ, Parũ-ne tibi mœroris attulit casus, nisi gemitibus tuis obuiã pergas? Et vel hinc te mœrẽti agmini mœstus immisceas, vel illinc superbi Pontificis barbaricas deosculeris

manus. Sic sum, donec tu literis & affectui meo vela feceris, & consilij vagum firmaueris. Vale.

FRAN. PETRARCHA SENVTIO FLORENTINO, S. Epist, VIII.

Famulorum vitia describit.

TRia mihi seruorum paria, siue, vt modestiùs loquar, humilium amicorum, siue, vt veriùs, familiarium hostium domi sunt. Primum quidem sic affectum, vt alterius nimia simplicitas, alterius sit periculosa calliditas; secundum sic, vt hunc pueritia, hunc senectus reddat inutilem; tertium verò sic, vt huius furor, illius torpor odiosus sit: & iuxta illud Socraticum à Cicerone relatum in epistolis: Alter frenis, alter calcaribus egeat. Ego autem has inter contrarietates castigator olim, nunc spectator sedeo nec eorum propositum mutare satis possum, qui seruorum turbas, ceu gloriosum aliquid aspiciunt, & obsideri semper ab his, quos pascunt, hoc est, à domesticis suffossoribus delectantur. Indigentiam tibi meam innotuisse sufficit: puto non expectas, vt deprecer, sicubi forsan humiliori fortuna se ostenderent animus, ætas, mores, ab extremis æquo spatio distantes. Scio hominem, cui non dicam excellenter, sed tolerabiliter ista contigerint, non mihi seruum esse posse, sed socium, sed dominum. Vereor tamen, ne Pœnicis inquisitionem tibi committere videar, quam non nisi quingentesimo anno renasci solitam, ac toto orbe vnicam ferunt, & nobis in occidente positis incognitam. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. IX.

De veterum scriptis quid sentiendum.

DIctu difficile est, quantum aures meas vulgari fessas strepitu epistola tua, bis terque relecta permulserit, quæ quanquam tibi verbosa videretur, vt ex fine cognoui, ego tamen in ea nihil, præter breuiloquium, accusaui. Itaque comminationem illam vltimã, quod deinceps compendiosior sis futurus, inuitus aspexi: mallem prolixior esses: vt libet tamen vt Pater, non te mihi, sed me

tibi

tibi morem gerere dignum est. Sed itá-ne totum in tua manu positum erit?an ignoras, quod sæpe consilio dissimilis est euentus?Audies fortè, quod vel silentij auidum loqui cogat. Vis quod minitari videor, iam nunc rebus impleam? Testor in primis eandem me de te opinionem gerere,quã de Aristotele Macrobius, seu illam amor seu veritas genuerit, vix te aliquid ignorare posse arbitror: Si quid autem vero aduersum tibi accidit,aut minus præuidisse, aut, quod de eodem ait idem, lusisse te suspicor. nempe quod de Hieronymo scribis, te illum sacrorum doctorum ex numero prætulisse, haud nouum est mihi: vetus est iam,& latè cognitum hoc iudicium tuum, Equidem frustrà de comparatiuis litiges, vbi ad superlatiua peruentum est,falli non potes. Optimum, ac maximum erit quicquid elegeris: licet de hac re inter amicum tuũ claræ memoriæ Lomberiẽsem Episcopum Iacobũ,& me crebrò disceptatum esse meminerim,illo per vestigia tua semper vno ore Hieronymum me verò Augustinum inter scriptores Catholicos præferente. Et sanè si neque veritatem,neque te verear offendere,dicam, Pater,quod sentio. Cum multa,varia & luminosa sint sydera,vt sit hic Iupiter, his Arcturus, hic lucifer, sol Ecclesiæ Augustinus est. Sed hæc(vt dixi)haud magni momenti fecerim, quoniam & electio tuta est,libera debent esse iudicia. At quod sequitur,te inter mortales Valerium præferre,quis non stupeat,si tamen seriò perseuerantérque dictum est, & non iocandi, tentandíque animo?Si enim Valerius primus est,quotus quæso Plato est? quotus Aristoteles quotus Cicero? quotus Anneus Seneca, quem in hac re magni quidam extimatores omnibus prætulerunt? Nisi illud fortè Platonem ac Tullium excludit, quod in epistolæ tuæ parte perlectum noui, mihi stuporis causa fuit, vbi nescio quid cogitans illos poëtas esse, & poëtarum choris annumerari oportere dixisti. Quod si loquendo cõsequi potes,plus fortasse quã putas secundo Apolline & plaudentibus Musis, magnos duos incolas vmbrosis Parnassi collibus addideris. At quid, oro, te mouit, vt id opinareris aut diceres, cùm Tullius in prio-

ribus libris summus Orator, in vltimis Philosophus illustris appareat? Sicut autem vbique Virgilius Poëta, sic Tullius nusquam, quoniam, vt in declamationibus legimus Virgilium illa fœlicitas ingenij oratione soluta reliquit, Ciceronē eloquentia sua in carminibus destituit. De Platone quid dicā, qui maximorū hominum consensu philosophiæ meruit principatū? Cum Cicero & Augustinus, & alij quàm plures in omni sermone, vbi Aristotelē cæteris Philosophis præferunt, Platonē sēper excipiāt, non intelligo quid Platonem faciat poëta, nisi vnū fortè Panetij verbum à Tullio relatum, qui Homerū philosophorum illū vocat, quod nihil est aliud, quā philosophorum principem, ac talem inter eos, qualis inter poëtas est Homerus: Alioquin quid ipsi Tullio dicemus, qui in epistolis ad Atticum quodā loco, Platonem suū Deū vocat. Omnibus quidem modis id agunt, vt Platoni diuinitatē ingenij attribuant, hinc & Homeri, &, quod est expressius, Dei nomen. Proinde sūpta hinc occasione mira dulcedine loquendi de rebus incognitis, in tractatū poëtarū tuus sermo immergitur, quis qua ætate sit genitus, quē quisquè styli modū, quod poëtandi genus, quē famæ gradū teneat. Longū est singula persequi, tā multa nunquā aliis audita, nos omnes discendi auidos facundis tuis literis docuisti. Quòd si inter fari aliquid non mihi sed professioni meæ permititur, miror, quid ita tibi Næuij, Plautíque nomen ignotum est, vt quasi barbaricū nescio quid locutū putes, quod eos literis ad te meis inserui, & ausum (vt ait Flaccus) personā formare nouam tacita licet admiratione castiges. Adeò scrupulosè enim in hac inquisitione verfaris, vt nihil restet, nisi temeritatē meam condēnare, in scænam noua & peregina nomina producentē. Frenasti tamen impetum, & tandem ignorantiā tuā culpare maluisti: vrbanè quidē ac modestè. Ceterùm aliud verba sonāt, aliud clamat, nisi fallor, intētio. Prorsus mirabile, cū tā familiarē habere Terētiū videaris. Ille enim iā statim à principio in ipsius Andriæ procemio & Næuij, & Plauti, vnà cū Ennio, eodē meminit versiculo: in Eunucho, & Næuij itidē & Plauti: in Adelphis, Plauti solius mētionē fecit. Eorūdē quoq; simul meminit Cicero in sene-

ctute, & Aul. Gellius in noctibus Atticis, vbi amborũ epigrammata describit sermone vetustissimo. Sed quid ago? Quis enim, quæso, vnquã Poëtriæ nomen absque illorũ nominibus audiuit? Itaque stuporẽ tuum stupeo, & cum bona venia pater, obsecro, ne in manus alienas ista perueniant: quò enim clarior est fama tua, eò sibi studiosius cõsulendũ est. Mecum quidem non aliter quàm tecũ omnia loqui potes, & quod secum docti faciunt, mutare ac retractare quæ dixeris: at postquàm in vulgus dicta peruenerint, ea demũ facultas eripitur, & multorũm iudicia subeũda sunt. Ego epistolam tuã ad te sub fida custodia remitto, & hanc illi alligatam mitto, cuius exemplum apud me manebit non ob aliam causam, nisi vt si quid adhuc respondendum duxeris, dum verba verbis confero, memoriam non fatigẽ. Vnum præterea noui & exotici dogmatis inducis (vtar enim plena libertate, quando semel non cepisse non possum) asseris Ennium, & Statiũ Papinium coëtaneos fuisse. Quis te (oro) Pater, in hanc Chronographiam impulit? Quis à te nunc ista poscebat? Atqui exactius hoc inquirere, inuenies Ennium sub Africano maiore, Statium aliquot seculis interiectis, sub Domitiano principe floruisse. Habes quibus, nisi fallor, & respondere velis, & tam breuiter, vt putabas, non possis. Vnum adderem, si bona fide veniam dares, quòd olim dum in Vasconiæ partibus adolescens agerem, verecundè quidem, vt illam ætatem decuit, tibi scripsisse recolo, cum vulgaribus scriptis tuis offenderer, quæ ad eum, cuius suprà meminit, Iacobum de Columna interdùm ex tempestate mittebas, cuius me amor, sicut in eas terras traxerat, sic in Æthyopiam traxisset: sed tunc penè pueriliter, vt qui vix dum ferulæ manum subduxeram; tempus est, vt jam virilis oratio mea sit, ita tamen, vt dixi, si tu veniam dederis. Quid ais? Rides puto: bene habet, veniam tribuisti. Audi ergo, Pater, & vide, & inclina aurem tuam, ne qua externa auris interueniat. Tibi enim loquor, & te rerum tuarum iudicem statuo, quæ accusare videor aliis accusantibus defensurus, nec tamen ignarus nimis acrimoniosam & insolentẽ filij ad Patrem. Epistolam reprehẽsoriã videri; sed amor audaciã excuset

Ita enim mihi clarum nomen non popularis auræ suffragio, sed virtute contingat, vbi ab ineunte ætate singularis quædam mihi tui nominis cura fuit. Hæc me loqui cogit, ne si ego tacuerim idem ab aliis audias, vel quod metuendum magis est, tacito iudicio lacereris, & quidam iniqui rerum arbitri amplissimum ingenium tuum, ex his, quibus ludens te includis, peregrinæ facultatis angustiis metiantur. Animaduerti enim te in scriptis tuis, omni studio vt appareas niti. Hinc ille discursus per ignota volumina, vt ex singulis aliquid decerpens rebus tuis interseras. Plaudunt tibi discipuli, & omniscium vocant innumerabilium auctorum nominibus attoniti, quasi omnium, quorum titulos tenes, etiam notitiam sis adeptus. Docti autem facilè discernunt, quid cuiusq; proprium, quid alienum sit: & rursus quid mutuũ, quid precarium, quid furtiuum, quid è medio haustum, quid à prætereunte delibatum. Memoriam ostentare pueriliis est gloria: viro, vt ait Seneca, captare flosculos turpe est, quippe quem fructu deceat gaudere non floribus. Tu verò in hac ætatis parte venerabilis, & in tua professione clarissimus, imò, vt non semper pungam, sed interdum vngam, solus sine exemplo nostri temporis, earum quibus es deditus literarum princeps, nescio quo iuuenili animo, dimissis finibus tuis, in alienis pratis ociosus, & vagans inclinata iam die, interlegendis flosculis tempus teris. Placet ignota tentare, vbi sæpe viam non inueniens aut vageris, aut corruas: placet illorum sequi vestigia, qui scientiam quasi mercimonium aliquod ante fores explicant, cùm interim vacua domus sit. Certè tuum est, ad id potiùs niti, vt sis aliquid plus quàm videris. Operosa semper & periculosa iactantia est: adde quòd, cum magnus videri voles, innumerabilia incident, quæ te non modò verã ad mensurã redigent, sed infrà etiã contrahent. Vni ingenio satis est, vnius studij gloriam mereri. Qui multarũ artiũ superbiunt, aut diuini homines sunt, aut impudentes, aut insani. Quis vspiã aut Græcorum, aut nostrorum, id præsũpsisse memoratur? Nouus mos, noua temeritas, gloriosas inscriptiones præ se ferũt, propter quas (vt ait Plinius) vadimoniũ deseri possit: at cum intraueris, dij

dæque

dæque, quam nihil in medio inuenias. Tu igitur (si quid mihi credis) esto tuis finibus contentus, noli illos imitari, qui omnia pollicentur, nihil præstant, faciúntque vt omnia contrectando, itaque (vt ait Comicus) intelligẽdo nihil intelligãt. Græcum vetus & salutare prouerbiũ est: *Quam quisque nouit artem, in hac se exerceat.* Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. X.

De antiquissimorum auctorum scriptis.

Sic est, vt putabam. Libertas irã peperit, veritas odium, admonitio fastidium, sed quid agam? verba non redeunt. Blandior fuissem, si te blanditiis delectari crederem, imò verò seuerior, & hunc ipsum affectum in viro forti fœmineum, liberius arguissem: nunc quoniam (vt video) amicitiæ inimica libertas est, fortè consultiùs agerem, si tacerem. Sed id quoque permetuo, est vbi silentium bilem mouet. Loquar ergo, ne rursus offendam, sed tam breuiter, vt coactum noueris. Primum ego te iudicem feci omnium quæ dixi, aut dicam, tu sententiã breuem fers, errasse me in quibusdam, in multis, in omnibus. Gaudeo equidem me potius errasse quã te, eo quòd apparatior est omnis in luce deformitas, & error in sene desperatior: sed tamen est aliquid, quod amplius requiram. Ades ergo, ad tribunal tuum prouoco, nullis assessoribus opus est, solus. Sed tu Hieronymum præfers Augustino? Hoc sciebam, sed eam, quam affers iudicij rationem, profiteor me non intelligere. Quid enim, quæso, sibi vult quòd ais, non te illum propterea prætulisse, quia sit maior, sed quia fructuosior Ecclesiæ, quod in quodam opere tuo probasse te dicis disputatione longissima, quam vellem literis inseruisses: sed profectò vel nuncio pepercisti, vel epistolę: quod tamen ad huiusce rei probationem præcipuum erat, addidisti, hoc scilicet Augustini ipsius auctoritate concludi? Sed an ignoras, quòd in generali sermone persona loquentis excipitur? Quid verò (inquis) si Augustini aperta confessio est sibi Hieronymum præferentis? Quis non videt, quid adhæc dici debeat? hoc, inquam, vnum est, in quo illius sacratissimæ animæ testi-

monio non ſtarem, cui inſitum ſcio, vt de aliis glorioſè, de ſe autem humiliter & loquatur, & ſentiat. Ego quidem fructuoſi laboris palmam in Eccleſia Auguſtino dabam, haud pertinaciter tamen, velut is, qui nec opinioni, nec ſectæ, nec homini vſque adeò ſum addictus, vt abire non poſſim veritate comperta. Hoc apud M. Tullium, hoc apud ipſum patrem Auguſtinum didici, quod ipſe apud eundem Tullium ſe didiciſſe non negat. Nam apud Horatium Flaccum,

Nullius iurare in verba magiſtri,

puer valdè didiceram. Quanti autem iſta ſint, ipſe non diſſimulas, qui hac defenſionis parte deſerta, mox ad aliam euadis, dicens: omnibus excuſſis omnino nihil eſſe, quod te in hanc opinionem traxerit, niſi indignā quandam & ſingularem erga Hieronymum ingratitudinem Italorum. Hoc eſt illud vnicum patrocinium cauſæ tuæ, hoc eſt (inquam) illud mihi nulla ex parte intellectum intelligibile argumentum. Quænam enim hæc ingratitudo eſt? ſumus, fateor, non erga ſanctos tantùm, ſed erga ſanctorum dominum ingrati. quænam Hieronymo ſingularior, quàm cæteris querimoniæ cauſa eſt? aut quænam potiùs Italorum culpa, quàm hominum, cùm nec ipſe Italus origine, & ſæpius in Oriente verſatus ſit? Verſa te, pater, hâc illac, ratio, vt arbitror, non erit ſufficiens probare, quod intendis; niſi fortè qui rationis vice fungitur, inſtinctus animi tacitus, & pia magis quàm ex amuſſim trucidata deuotio. Verum iſta prætereuehor. Tam ſacra enim nomina diſputatiunculis peccatoris obſoleſieri, ac quodammodo prophanari, ſacrilegio ſimillimum reor: itaque iam tacere de his cōſultius fuerit: nam pretioſarū rerū confricatio atq; colliſio, periculoſa eſt. Ad Platonem ac Ciceronem tranſeo, quos tu ob duas fabulas, morum doctrina, & (vt de altera Macrobius teſtatur) tripartitæ philoſophiæ integritate perfectas, ac procul ab omni metrorum lege, in mediis politicæ ac rerū publicarū libris inſertas, poëtas facere niteris. Fruſtrà Macrobius idem ambos excuſat aduerſus inſultātes, non debere fabulā à philoſopho cōfingi. Ego quidē gratulor, & hos Ariſtotelē, & Senecā, & Varronē (ſi fieri poſſit) in agmine

mine poëtarum cernere: quod fortè non ineptiù, de hořũ quolibet, quàm de Platone & Tullio dici possit. Nã & Aristoteles poëtriã de poëtis, & Varro Satyrarũ libros edidit. Seneca autẽ Tragœdias, quæ apud poëtas profectò, vel primũ, vel primo proximũ locũ tenẽt. Sed cur, quæso, nõ & histriones fecisti, quoniã aliquid forsan in vita ludicrũ dixerũt, aut fecerũt? Præsertim Tullius, cuius tã multa, quæ risũ moueãt, scripta sunt in Saturnalibus, cum vt Tyro libertus eius de patroni iocis librum scripserit. Cur nõ piscatores aut remiges, aut tale aliquid, quia forsã, aut hami iactu, aut remi tractu in solitudine positi, animum relaxarũt? Vis ne tu mihi castrensẽ morẽ scholis inferre, vt sicut vnũ duellũ Torquatos atq; Coruinos fecit, sic vna oratio poëtã faciat? Perseuerantia requiritur. Vnus actus habitũ nõ inducit. Hæc hactenus. Nam de Ennio ac Statio in vltima epistola nulla mẽtio erat, credo annorũ numerũ in digitos reduxisti. Postremò ad illum longum atque continuũ orationis tuæ textũ, vbi omnibus modis efficere studes, vt iniustè monuisse videar, quod ingenio tuo nihil imperuiũ sit, nihil aliud dixerim, nisi quòd bene tibi est si hanc de rebus opinionem habes. O te tuo qualicunque iudicio fœlicẽ: O vtinã hanc me artẽ & docere possis, & doceas, qua talia ipse mihi de me nouerim constar iudicia. Nescio enim an, melius sit interdum de errore gaudere quàm semper de veritate dolere. Ad id verò, quod me velut iuratę militiæ desertorem arguis, quoniam cùm maximè florere inciperem, studium iuris Bononiámque dimiserim, expedita respõsio est, quæ tibi & ciuitatem illam, & studiũ singulariter illustranti, minimè (vt arbitror) placitura. Quoniam itaque satis exagitatu, id totum silebo, quo factum meum tueri soleo. Fuit enim hæc mihi quæstio sæpe cum multis, præcipuẽ cum Oldrado Laudensi iurisconsulto nostra ætate clarissimo, hoc vnum est, quod salua concordia dici potest: Nihil enim contra naturã bene fit. Solitudinis amatorẽ illa me genuit, nõ fori Denique sic habeto, me aut nihil vnquam proinde fecisse, quod magis puto, aut si quicquam, hoc in primis, non audeo dicere sapienter, sed fœliciter factum est, & quod Bononiam vidi, & quod non inhæsi. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. Epist. XI.

De sumptuum temperamento & frugalitate.

DElectari te lautitiis nō miror paucorum hæc domorum pestis olim hospita, nunc omnium iugis incola est, nisi quarum paupertas limen obstruit. Qua in re non natura paucis longè iucundius victura quàm nimiis: sed consuetudo multùm, multóque magis peccat imitatio. Quis enim tam frenatæ modestiæ est, cuius non interdū oculos auertat vicini sumptus nitor ac gloria? Sed vtile consilium est Plautini senis in Aulularia: pro re nitorem, & gloriam pro copia, cuius si meminissent homines, & profusis sumptibus, & iniquis lucris clauderetur via, & multò tranquillius viueretur. Nunc cæcitatem cupiditas inuexit, & frenum rationis fregit impetus voluntatis. Tu autem, oro, quantum potes enitere, vt rationis propriè sectator potius quàm alienæ libidinis æmulator appareas. Fuge exempla pestifera: nimis malorum dociles animos habemus. Magister vnus voluptatis magno in populo satis est; citò luxuriæ dat terga frugalitas, nisi cogitationū nostrarum aciem ratio inuicta firmauerit, docens sequi vera bona, fucata contemnere. Quid nunc vicini tui purpureum latus, atque intermicantes crebra iaspide digitulos miraris? Phalerata fœlicitas est: exue, hominem infœlicissimum nō negabis. Latet sub auro calamitas: &, quod extremum mali genus arbitror, inuidiosus simul & miser est. Concludam aliter, quàm conclusit Plautus Epidicum suum:

Hic (inquit) is est homo, qui libertatem malitia inuenit sua,

Imò verò hic malitia opes, potentiam & regum amicitias inuenit, se suamque libertatem perdidit. Habeat sibi sine inuidia multa illa, & vulgi iudicio permagna; tu tuis bonis, eóque præcipuè, quod ille perdidit, fœlix ac contentus viuito. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. XII.

Obscœnum amorem improbat.

TIbi quidem amicus, non moribus tuis sum. Quid autem de te mihi, déque tota tua re familiari videatur, quo-

quoniam rogas, verissimè atq; breuissimè pro me Plautus absoluet, non nisi singulis verbis ad singula. Primum nō mihi placet amor tuus, animæ pondus infaustū: obscœno igne perureris. Quæro autem ex te, vt Plautinus seruus in Asinaria:

Num fumus est hæc mulier, quàm amplexare?

Si, cur quæsierim, interroges, quia oculi tui semper lachrymantes sunt hæc tibi: mulierculis tuis hoc vnum, quod in ea Comœdia, cui Curgulio nomen est, legisse potes:

Mulieres duas peiores esse quàm vnam.

Seruo autem illud eiusdem Poëtæ in Epidico:

Nimis doctus ille ad malefaciendum.

Hoc ex me addito: Nimis tu facilis ad credendum, nimis pronus ad obsequendum. Hæc, amice, si falsa sunt, dictum meum argue; sin vera, mores tuos corrige. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. XIII.

Confessionem erroris emendationis spem habere.

QVod obiectum ab amico crimen non negas, facis ingenuè. Magnam emendationis vitæ spem præfert erroris proprij verecunda confessio. Quod autem de seruo tuo taces, caute quidem, quippe quem accusare non potes; at quòd mulierculas tuas excusas, vrbanitatis ineptæ cæci iudicij dixerim. Tu videris, quid de illis sentiendum putes, quarum alteram optimam alteram tolerabilem dicis. Ego illud Plauti in Aulularia vero perpinquius reor: Optimam fœminam nullam esse, alia licet alia peior sit. Vale.



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. EPISTOLARVM DE REBVS FAMILIARIBUS,

LIBER V.

FRAN. PETRARCHA BARBATO SVLMONENSI, S., Epist. I.

De obitu Regis dolet.



Vod verebar, accidit: quod timebam, patior: in dolorem metus, vota in gemitum abiêre. Non multo ante quàm præsagirem, deseruit nos inclytus ille Rex noster, cuius & si matura ætas esset, tamen peracerba mors est, & heu, me miserum, Barbate optime, quàm vereor, ne illa quoque præsagia confirmet euentus, quæ mihi suggerit anxius & malorum suorum semper nimis certus vates animus meus, ita me Reginæ iunioris, nouique regis adolescentia, ita me Reginæ alterius ætas ac propositum, ita me tandem territant aulicorum ingenia, & mores. Mendax hic vtinam sim propheta, sed agnos duos multorum custodiæ luporum creditos video, regnúmque sine rege: nam quid ego eum, qui ab alio regitur, regem dicam, multorúmque sæuitiæ expositum? Itaque si quo die Plato rebus humanis excessit, sol cœlo cecidisse visus est, quid illo moriente videatur, & qui Plato alter ingenio fuit, & regum nulli aut sapientia secundus, aut gloria cuius

ius præterea mors tam multis hinc inde periculis viam fecit? Secundet hæc omnipotens Deus, & sollicitudinem meam, piam magis quàm necessariam, rebus probet. At vt aliis cuncta supra spem eueniant, & metus iste superuacuus fuerit, mihi tamen, amice, quis consulet, aut quis medebitur dolori meo? cui de cætero vigilabo? cui quantulumcunque hoc ingenium aut studium consecrabo? quis spes collapsas eriget? quis torpentem animum excitabit? Duos ingenij duces habui, vtrumque mihi annus hic abstulit, & de altero quidẽ nuper, dum adhuc essem in Italia, vtrobique consortem fletus idoneum quærens, nostro cum Lælio quæstus sum, de hoc hodie tecum queror, querárque dum vixero, & qui solari alios interdum soleo, nunc qua me ipsum ratione vel oratione consoler, non inuenio. Hinc ergo consolandi desperatio, hinc flendi pudor, hinc ad vtrumlibet styli diffidentia. Sed super omnia illicò te videndi spes, silentium iubet. Parebo, tecum propediem fleturus ex commodo. Hæc interea tibi flens ad fontem Sorgiæ dictabam, notum procellarum animi mei portum, quò heri ad vesperam solus fugi, cùm manè Rhodani ad ripam rumor mœstissimus me inuenisset. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. II.

Gratiarum actio pro beneficijs acceptis.

GRatias ago, cùm pro aliis multis, tum pro eo, quòd quotiens Romam peto, totiens vberrimo tuarum literarum fauore præuenior. Agnosco insidias amoris tui, neque enim vt homo, sed vt angelus excipior: nihil impigrius est amante, nunquam tam iugi Aquilone sum vectus, vt imparatũ aliquid offenderim. Mirarer magis, nisi tuis de me iudiciis assueuissem: cõsuetudo enim longior & rerum miracula extenuat, & dolores lenit, & minuit voluptates. Quis autem enumerare sufficiat, quibus tu me per omnem vitam honorificentissimis decretis honestaueris? Quænam illa ex æquo propè, cùm sis Dominus, conuersationis comitas? Quænam libertas hominis sub maioris arbitrio degentis? Quænam secretorum participatio? Quænam prærogatiua? Quis honor

Quanta dignatio? Recordari dulce est, enarrare longissimum. Vnum ex mille referam, quid imo radicatum pectori, & medullis inhæsisse miraberis? Meministi, dum graui olim inter quosdam tuorum exorto odio, ad arma peruentum esset, & tu iusta indignatione flammatus, vt pro tribunali sedens familiam conuocasses, ac dicendæ veritatis iusiurandum omnibus detulisses, iurasséque etiam Agapitus Lunensis episcopus germanus tuus, atq; ego iam dexteram porrigerem, tu in medio irarum impetu codicem Euangelicum retraxasti, téque cunctis audientibus, simplici verbo meo contentum esse dixisti. Cuius ne aut pœnituisse te, aut impræmeditata facti benignitas videretur, cùm sæpe similes casus acciderint, iurantibus cunctis nunquam me iurare es passus. Quid hoc iudicio tanti patris illustrius? Quanti volunt aurum & gemmas extiment auari, hoc extimare non poterunt. Renouasti in me, Pater omnium optime, Xenocratis Philosophi antiquum decus, cuius in epistolis ad Atticum mentionem facit Cicero. Qui cùm testimonium dicturus iurare secundùm leges teneretur, ea sibi ab Atheniensibus spectatæ fidei credentibus remissa necessitas fuit: hoc (inquam) in me renouasti, nisi quod illi maturo æui, id adolescenti mihi, quódque illi semel accidit, tu mihi perpetuum fecisti. Et putas me posse talium obliuisci? Ingens erit historia si similia complecti velim, nec tempus patitur, nec locus. Magnanimi Patris tui vocem audio extra muros vrbis me licet inuitum prosecuturus aduenit. Hodierno die apud Preneste suum hospitabor, ibi me clarissimus ex fidelio suus, ex fratre tuus nepos expectat. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. III.

Scribit de sua Romam, Neapolímque versus profectione.

VT fidem frangerem, & tibi vtile, & mihi propè necessarium fuit. Pollicitus me maritimo itinere profecturum, non aliam ob causam, nisi quia vulgò iam persuasum est, expeditiùs ac citius iri Pelago, quàm terris: nauim conscenderam apud Niceam Vari, quæ prima Italicarum vrbium ab occasu est, & ad Monæci portum

cælo

cœlo iam stellante perueneram. Irasci tacitus cœpi: nam illic die postero inuiti mansimus, sæpe nequicquam retentato abitu, postridie ancipiti tempestate funem soluimus, & die toto iactati fluctibus ad Mauricij portum, vix intempesta nocte peruenimus. Itaque castrum ingredi non fuit; littoreum hospitium, nauticum cubile sortitus, cœnam vt fames condiret, somnum vt lassitudini deberem. Ibi indignari altiùs & ludos maris agnoscere. Quid multa? Varijs per noctem consilijs agitatis, ad auroram statui præferre terrestrem duriciem æquoreæ seruituti. Itaque familia & impedimentis omnibus in nauim reimpositis, ipse vno solo comitatus, in littore substiti, & fauit fortuna consilio. Inter Ligusticos scopulos, casu nescio quo, Theutonici equi venales aderant impigri, atque præualidi, quibus ego raptim comparatis, propositum iter egi, neque tum prorsus nauigationis fastidio immunis. Est inter Pisanos ad præsens, & Mediolani dominum bellum ingens, magis (vt vides) de animorum fascibus, quàm de terrarum finibus se præbente materia. Latè enim confinia discreuerat Apenninus, vt conterminatur antiquus Padi limes: sed superbia frenum nescit, & nullis terminis est contenta cupiditas. Dum recto tramite proficisci vellem haud procul Lauentia, exercitus ambo constiterant, Tyranno grauiter vrgente, contrà Pisanis Mutronem suum summa vi tuentibus, coactus sum apud Eryceen mari iterum me credere, & Coruum scopulum ingentem, à colore nominatum, ac rupem candidã, & Macræ ostiam, ac Lunam olim famosam potentemque nunc nudum & inane nomen prætervectus, nocte concubui apud ipsum Mutronem, in Pisanorum castris expositus, per terram absque insigni impedimento, reliquum viæ feci. Non prosequor vbi cœnauerim atque cubuerim, quod qualibet in parte viderim, audierim-ve, ad extrema festino. Per Pisas relicta ad læuam Florentia, Senas, atque inde Perusium veni, inde Tudertum vbi à Clarauallensibus tuis, magno cum gaudio exceptus, per Narniam ipsis ducibus Romam ingredior IIII. Non. Octobr. Et iam bona pars noctis erat, ita me hoc tempore nocturnum viatorem festinatio præceps fecit. Visum est tamen magnani-

mum Patrem tuũ, prius quàm me quieti traderem, inuisere. Deus bone, quę maiestas hominis, quæ vox, quę frõs quæ facies, quis habitus, quæ in illa ætate vis animi, quod corporis robur? Iul. Cæsarem, aut Africanum spectare mihi visus sum, nisi quia vtroque multum iste longæuior, & tamen idem prorsus aspectu qui ante septennium erat, dum eum Romæ iterum dimisi, vel qui ante annos duodecim, dum eum apud Auinionem Rhodani primùm vidi. Mirum & pene incredibile, vir vnus Roma senescente non senescit. Pauca ibi, nam seminudum & iam in cubiculum euntem illum repereram, de te tuisque rebus affectu patrio percontatus est: cætera in diem posterum reiecimus. Illum diem à mane ad vesperam secum egi, cuius ne vna quidem hora in silentio acta est: sed de reliquis coram. Mirum in modum exhilaratus est aduentu meo, sperans (vt aiebat) amicos vestros per industriam meam, finem carceris ac miseriæ reperturos, quam senis spem falsam esse doleo. Ne enim te longius traham, Roma digressus, Neapolim veni, Reginas adij, & reginarum consilio interfui. Proh pudor, quale monstrum! Auferat ab Italico cœlo Deus genus hoc pestis. Putabam CHRISTVM apud Memphim & Babylonem Mechámque contemni. Compatior tibi mea nobilis Parthenope, verè tu harum quælibet facta es. Nulla pietas, nulla veritas, nulla fides, horrendum tripes animal, nudis pedibus, aperto capite, paupertate superbum, marcidum deliciis vidi, homunculum vulsum ac rubicundum, obesis clunibus, inopi vix pallio contectum, & bonam corporis partem industria retegentem, atque in hoc habitu non solùm tuos, sed Romani quoque pontificis affatus, velut ex alta sanctitatis suæ specula, insolentissimè contemnentem. Nec miratus sum; radicatam in auro superbiam secum fert. Multum enim, vt omnium fama est, arca eius, & toga dissentiunt, ac ne sacrum nomen ignores, Robertus dicitur, in illius Roberti Serenissimi nuper regis locum, quod vnum decus ætatis nostræ fuerat, æternum dedecus Robertus iste surrexit. Iam minus incredibile putabo è supulta hominis medulla nasci posse serpentem, quoniam à sepulchro regio aspis hæc surda prosiluit. O superûm pudor! quisnam solium tuum in-

masit regum optime? Sed hæc fortunæ fides est, humanas res vertit pariter, & euertit. Non fuit satis mundo solem abstulisse, nisi atras insuper tenebras attulisset, & erepto rege vnico non alter qualibet virtute inferior succederet, sed hæc atrox & immitis belua. Sicci-ne nos aspicis astrorũ rector? Hic tanto regi successor idoneus? Hic post Dionysios, Agathoclémque, & Phalaridẽ, cunctis obscœnior, & c[illegible] licet immanior, fato deditus. Restabat aulæ Siculæ (vt Macrobij verbo vtar) inclementissimus incubator, qui miro genere tyrannidis, non diadema, non purpuram, non arma, sed squalidum palliastrum induit, eóque non totus, vt dixi, sed dimidius obuolutus, nec tã somnio curuus quã hypocrisi, nec tã eloquio fretus, quàm silentio, & graui supercilio per reginarũ aulas discurrit. Ex hoc ille innixus humiliores proterit, iustitiã calcat, quicquid diuini aut humani iuris est, polluit, qui quasi nouus Tiphys, alterque Pálinurus, fluitãtis cymbæ clauũ regit, citò (si quid mihi credis) ingenti naufragio perituræ: multi enim sunt tales, & ferè omnes, præter vnũ Cauallicẽsis ecclesiæ præsulem Philippũ, qui solus pro deserta iustitia partes facit: sed quid faciat agnus vnicus in tanto luporũ agmine? Quid faciat nisi quãprimùm fugiat, si possit, & ouile suum repetat, quod ipsũ meditari arbitror: sed miseratione regni labẽtis, & vltimæ obsecrationis regiæ memoria, seu geminis cõpedibus detinetur. Interim quantũ in malesuada aulicorũ acie sana vox vnius audiri potest, Dei & hominũ implorãs fidẽ obstrepit iniquissimis cõsiliis, & auctoritate sua retũdit multorũ impudẽtiã prudẽs sapiẽtia, fortunã & humeros proprios submittẽs publicæ ruinæ, quã differre poterit, mutare nõ poterit, atq; vtinã nõ & eũ pariter inuoluat: adeò enim inclinata res est, vt iã de humanis auxiliis nihil sperẽ, præsertĩ Roberto superstite, qui tum perfidiæ principatu, tũ nouitate habit[us] primũ inter mõstra curiæ promeruit & nomẽ & locũ. Tu verò reprehẽsione nõ carebis, nisi de singulis, quæ aliis secretioribus ad te literis latiùs scripsi, Rom. Pontificem certiorẽ feceris. Vnũ illi meis verbis in fine dicito. Siquidẽ reuerẽtius, vt opinor, accepisset exhortationes Apostolicæ sedis Sarracena Susis, aut Damascus, quã Christiana Neapo

lis. Quod nisi sanctitatis veneratio prohiberet, adderem Ciceronianum illud: Iure quidem plectimus: nisi enim multorum impunita scelera tulissemus, nunquam ad vnum tãta licentia peruenisset. Verùm ego dum verborum spumis indignantem stomachum releuare studeo, vereor ne tibi quoque bilem moueam, quæ si nulli rei profutura est, & præter indignari nil reliquum nobis, hinc illorum temeritas, hinc patientia vestra fecit. Quid iuuat indignitatem rerum æquare velle sermonibus, quod nec Cicero ipse possit, nec Demosthenes? Et si fortè successerit auctori suo, tantùm damnosum sit ingenium, quo scribenti potius animi tranquillitas, quàm scelerum impunitas sontibus auferatur. Itaque finem verbis imponere consilium est. Ter nisi fallor, aut quater ipsum carceris limen ingressus (Capuanæ castrum dicitur) amicos tuos vidi, nil nisi de te sperantes, quoniam iustitiam sibi suam, in qua summum præsidium esse debuerat, damnosam hactenus experti sunt: & profectò periculosissimum est, sub iniusto iudice, iustam causam fouere. Accedit, quod nullus misero capitalior hostis est quàm qui fortunæ, siue spoliis superbus incedit: siquidem de medio tolli cupit, cui quandóque repetendæ rationis esse possit occasio. Ita semper auaritiæ vicina crudelitas: obseruatúmque est, vnde insignis patrimonij iactura prouenerit, inde quoque vitæ periculum prouenire. Dura sors hominis, cui nec tutò pauperem esse, nec diuitem denuò fieri licet. Id si vlli vnquam, amicis modò tuis accidit (de captiuorum enim præda nemo non partem rapuit) Quando autem alienæ libertati, aut saluti fauebunt rapacissimi prædones, quæ cum propria paupertate coniuncta esse videatur? Itaque nihil habuisse securius. Sed ita se res habet, damnis grauibus acres inimicitias quæsiêre. Vidi eos in compedibus, ô rem indignam, ô instabilem, ac præcipitem fortunæ rotam! Cæterum vt nihil illa captiuitate deformius, sic captiuorum animis nihil excelsius. Saluo te, spem optimam rerum suarum habent. Ego quod sperem nihil habeo, nisi aliqua vis maior interuenerit: si enim consilij clementiam expectant, actum est, squallore carceris consumetur. Regina senior coniunx olim regis, nunc miserrima viduarum, misere-

tur, vt dicit, nihil amplius se posse confirmans. Cleopatra cum Ptolomæo suo misereri possent, si Photinus, Achillésque permitterent. Ego hæc video, quo animo, ne dici quidem opus est. Sed quid agam? patiendum est, & quamuis responsi certus, responsum tamen etiam nunc iussus expecto. Vale.

FRAN. PETRARCHA I. COLVMNAE, S. Epist. IV.

Quæ admiratione digna Baiis, & Puteolis viderit.

Mos mihi tuus olim notus. Nil ignorare potes æquo animo, ita generosum spiritum inexplebilis noscendi cupiditas exagitat. Gessi voluntati tuæ morem, quotiens Arcton, aut Occasum circumire fortuna me voluit mea. Nunc mihi diuersum iter peragenti mens eadem est, idem parendi propositum, atque aduentus quidem mei summam, viarúmque casus, & quæ deinceps in captiuorũ tuorum negotiis apud Neapolim gesta sunt, quæue in reliquum spes supersit audisti. Audi nunc reliqua, quibus irarum nihil, sic delectationis plusculum inerit. Siquidem expectationis inutilis, ac diuturnæ tædio affectus, Garganum montem, Brundusiique portum, atque illum omnem superi maris tractum lustrare decreueram, non magis illa videndi, quàm ista linquendi desiderio. quod tamen Regina seniore dissuadente compescui, & longioris peregrinationis impetum, ad proximiora certè, & mirabiliora conuerti. Quòd si fortè hinc digresso & illa inuisere anni tempus non negauerit, laborem ipse meum solabor, quòd quamuis eorum, pro quibus veneram, nihil fecerim, multa tamen, quæ non putabam, viderim. Sed de illius ingenti ferè totius Italiæ ambitu, ad te rediens vita non deserente, coràm loquar. Visa hactenus, quoniam hac citiùs via in notitiam tuam ventura sunt, scriptis præferenda commisi. Baias ego, clarissimis viris Ioanne Barili, & Barbato meo comitantibus, vidi nulla mihi lætior dies, & amicorum comitatu & varietate rerum illustrium, & vicina multorum tristium dierum. Vidimus illum hybernis mensibus peramœnum sinum, quẽ sol æstiuus (nisi fallor) infestat: nihil enim præter opinionẽ habeo: nunquã me hic æstas reperit. Tertius an-

nus est, ex quo huc primum sæuiente Aquilone, hyeme media delatus sum, præsertim tempore, quo iter æquoreum seruitus magna est. Itaque de multis, quæ optabam cominus mihi spectare licuit. Cæterùm breuissimo rerum gustu tunc incensum animum, & iam aurea ab adolescentia calentem, hodie demum voti compotem feci. Vidi loca à Vergilio, & (quod maximè mireris) ab Homero multùm ante descripta. Vir Graius antiquissimus, atque doctissimus, & nulli secundus ingenio, insignem, & qualem res exigebat locum, nusquam inueniens, ab Italia mutuatus est. Vidi Auerni, & Lucrini lacus, Acherontis quoque stagnantes aquas, piscinam infœlicis nati sæuitia Augustæ, Caij Caligulæ superbum olim, nunc obrutum vndis iter, & Iulij Cæsaris iniectum pelago fretum. Vidi Sibyllæ patriam ac domum, & horrificum illud specus, stultis irremeabile, doctioribus inaccessum. Vidi Phalernum montem famoso palmite conspicuum, & hîc aridam tellurem morbis salutarem, fumum perpetuo exhalantem, illic cinerum globos & feruentes scatebras ahenei instar vndantis, confuso murmure eructantem. Vidi rupes vndique liquorem saluberrimum stillantes, & cunctis olim morborum generibus omniparentis naturæ munera adhibita, post Medicorum inuidia, vt memorant, confusa balnea, ad quæ tamen nunc etiam è finitimis vrbibus ingens omnis sexus ætatisque concursus est. Vidi non Cryptam modo, quæ Neapolitana dicitur, cuius ad Lucilium scribens meminit Anneus Seneca, sed passim perforatos montes, atque suspensos testudinibus marmoreis eximio candore fulgentibus, & insculptas imagines, quis latex cui corporis parti faueat, manu apposita, designantes. In stuporem me non magis facies locorum quàm labor artificum coëgit. Iam minus miror Romana mœnia, Romanas arces, Romana palatia quando tam procul à patria (quamuis excellentibus viris vbique sit patria) Romanorum ducum simul cura protendiditur, quibus vltra centesimum lapidem esse, quasi suburbanæ fuerant hybernæ deliciæ. Æstiuas enim Tybur præstabat, & Succinus, & frondentes Apennini valles, & Cymini cum monte Lacus, vt ait Maro, & aprici Vmbriæ

recess-

recessus,& vmbrosi colles Tusculi,& ex re dictum Algidum,& viui fontes,& lucida flumina hybernas Antium, Anxuri,Phormiæ, Caieta,Neapolis. Nulla tamen amœnior,nulla frequentior, quàm Baiarū statio,quod & scriptorum illius æui fides,& ingentes murorū reliquiæ testantur. Et si non sim nescius, fuisse magis hoc humanæ voluptati,quàm Romanæ seueritati dignū domiciliū, ideoq; & Marius natura vir asperior,& Pōpeius, & Cęsar, & humanis moribus altiores,in montibus ędificasse laudātur. Vnde,quod decuit,nō immersi,sed subducti effœminantibus animos mūdiciis,nauticū strepitū & Baianas ex alto despicerēt voluptates. Scipio autē Africanus. vir incōparabilis,&cui in virtute omnia,nullū cum voluptate cōmerciū, consilio reliquæ vitæ simillimo, nō tam ex alto despicere,quàm prorsus non aspicere decreuit hunc locum suis artibus aduersum. Extra prospectū igitur secessit,& Linterni,quàm Baiis habitare maluit,quam villulam procul hinc nō abesse scio, nilque auidius spectassem,si quo duce,in loca tāto habitatore nobilia penetrare potuissem.Cùm multa sanè mirabilia Deus ille fecerit, qui facit mirabilia magna solus , nihil tamē homine mirabilius in terris fecit.Super omnia ergo quę vel iste dies mihi ostendit.vel tibi hæc ostēdet epistola.Puteolanane mulieris animi ac corporis insigne robur fuerit,Mariam vocant Singulare illi seruatæ virginitatis decus,iugis inter viros eósque sæpius armatos cōuersatio. Nulli vnquā tamen (vt cōstātissima omnīū opinio opinio est)vel ioco, vel serio rigidæ mulieris attētata virginitas,metu magis, vt memorāt,quā reuerētia prohibēte.Corpus illi militare magis quā virgineū vires corporeę,probatis militibus optādę,rara &insueta dexteritas,vires ætas,habit⁹ ac studiū viri fortis:nō telas illa,sed telā,nō acus & specula,sed arcus & spicula meditatur:nō illā oscula,& proterui dentis lasciua vestigia,sed vulnera,cicatricesq; nobilitāt,præcipua armorū cura est, anim⁹ ferri mortisq; cōtemptor. Bellū cum finitimis hæreditariū gerit quo multi iam vltrò citróque periēre:interdum sola, sæpe paucis comitata manum cum hoste conseruit, vbique ad hunc diem vicit.Præceps in prælium ruere, lenta discedere, anim⁹

se hostem aggredi, caute insidias texere, famem, sitim, frigus, æstum, somnum, lassitudinem, incredibili patiéntia perferre, sub diuo pernox. & sub armis agere, humi requiescere, herbosum cespitem vel substratum clypeum in deliciis habere. Inter tam cõtinuos labores multum breui tẽpore mutata est. Quantulũ est enim, quod me Romam ac Neapolim ad regem Siculum iuuenilis studium gloriæ attraxit? profectò quam tunc inermem videram, hodie armata, & armatis septa, cum ad me salutandum accessisset, miratus sum, & velut ignoto viro salutem reddidi, donec risu eius & comitum monitu pressiùs intuitus, vix tandem sub casside toruam & incultam virginem recognoui. Multa de illa fabulis similia narrantur, ego quod vidi referam. Conuenerant è diuersis mundi partibus viri fortes, & armorum exercitio durati, quos aliò tendentes illic fortuna deposuerat. auditáque mulieris fama, experiendi vires cupiditas incesserat. Itàque magno consensu omnium in arcem Puteolanam ascendimus. Sola erat, & ante templi fores nescio quid cogitans obambulabat. Aduentu nostro nihil mota est. Instamus orare vt virium suarum aliquod nobis experimentum præbeat. Illa diu excusata brachij valetudine, tandem graue saxum, ac ferream trabem iussit afferri, quam cum in medium proiecisset, vt tollerent atque experirentur hortatà est. Quid multa? Longa ibi (vt inter pares contentio) & magna res acta certamine, spectatrice quidem illa, & singulorum vires in silentio extimante. Postremò facili iactu adeò se superiorem approbauit, vt reliquos stupor ingens, me etiam pudor inuaderet. Denique ita inde discessum est vt vix oculis fidẽ dantes, subesse aliqnid præstigij putaremus. Fama est Robertum summum illum & virum & Regem his quondam littoribus magna classe prænauigantem permotũ talis fœminæ miraculo, videndi gratia substitisse Puteolis, quod ideò apud me veri faciem non habet, quia in tanta vicinitate terrarum euocaturus illam fuisse videatur. Sed fortassis aliã ob causam, cum illuc applicuisset, rem nouam spectare voluit ardẽs & noscendi cupidum illud ingeniũ. Verùm huiusce rei fides, vt cæterarũ quas auditui credimus, penes narratores maneat.

maneat. Mihi quidem fœminæ huius aspectus credibilio ra efficit, quæcunque non modo de Amazonibus, & famoso illo quodam regno fœmineo: sed etiã quę de bellatricibus Italis virginibus traduntur, duce Camilla, cuius inter cunctas celebre nomen est. Quid enim in multis opinari prohibet, quod in vna, nisi vidissem, essem forsan ad credendum segnior? Et illa quidẽ vetus non procul hinc Priuerni, scilicet tempore Iliacæ ruinæ, hæc recẽtior Camilla Puteolis nostris temporibus, orta est, quam tibi interim literulis meis testatam esse volui. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S Epist. V.

Tempestatem, quã apud Neapolim ingentissimã viderat, describit.

INsignem tempestatem describens Satyricus, vt multã paucis clauderet. poëticam tempestatem surrexisse ait. Quid enim breuius? Quid expressius? Nihil iratum cœlum, aut pelagus potest, quod non æquet verbis ac superet poëtarum stylus. Et ne manifesta in re superuacuis vtar, Homericam tempestatem nosti, & allisum scopulo ducem, atque omnem Capharei montis insultum. quem imitati nostri Poëtæ aquarum montes ad sydera sustulerũt. Nihil sanè vel pingi eloquio, vel animo fingi potest, quod non externa dies impleuerit, imò procul excesserit, singulare quoddam, & omnibus seculis inauditum malum. Itaque Homerus Graiam, Æoliam Maro, Lucanus Epirensem, alij alias tempestates canant: mihi, si vnquam vacuum tempus erit, Neapolitana tempestas carminis materiam abundè tribuet, quanquam non Neapolitana tantum, sed totius superi atque inferi maris, & vniuersalis quodammodo tempestas (vt opinantur) fuerit. Mihi Neapolitana est, quia me Neapoli graues moras agentem, reperit. Sanè quanta inter præsentis temporis angustias, & festinationem nuncij loqui datum, hoc tibi persuade nihil vnquam horribilius, nihil concitatius visum esse. Præuenerat quidem (mirum dictu) instantis mali famam, religioso quodam Episcopo astrorúmque curioso, vicina quadam insula, aliquot ante diebus periculum nunciante, sed vt ferè nunquam coniecturis

ad verum penetrant, non maritimum, sed terrestrem motum prædixerat, ruituramque Neapolim ad VII. Cal. Decembris, M. CCC. XLIII. Vsque adeò miris cuncta terroribus impleuerat, vt mágna pars populi peccatorum pœnitentiæ, & sub mortem mutando vitæ statui intenta, omne aliud negotij genus abiiceret. Múltis cótrà vanos metus irridentibus, eoque magis, quod per eos dies non paruis quibusdam tempestatibus in die erratum, & tota vaticinij fides absumpta videbatur. Ego nec spei plenus, nec timoris vt ad neutrum prolapsus, sic ad vtrumlibet pronus eram, sed pronior ad timorem. Nam & ferè hoc in rebus est, vt segnius sperata quàm formidata proueniat, & multas eo tempore cœli minas audieram, ac videram, quem gelidis in regionibus habitare solito, monstri instar, hyemali frigore, in metum ac penè in religionem verteram. Quid plura? Nox aderat, quam lux suspecta sequebatur, trepidula fœminarum turba periculi potius quàm pudoris memor, per vicos plateásque discurrere, atque ad vbera pressis infantibus, supplex & lachrymosa, templorum liminibus obuersari. Trepidatione igitur publica permotus, prima vespera domum redij. Solito quidem tranquillius cœlum erat, qua fiducia, qui mecum sunt, maturius in cubiculum concesserant. Mihi expectare visum est, contemplaturo qua luna fronte occumberet, erat autem (nisi fallor) septima. Institi igitur ad occasum spectantibus fenestris, donec eam obuolutam nymphis, & mœsta facie ante medium noctis proximus mons abscondit. Tum demum & ego lectulum meum, dilatum soporem excepturus ingredior. Vix dum totus obdormieram, cùm repente horribili fragore, non tantum fenestræ, sed murus ipse saxea testudine solidus, ab imis fundamentis impulsus tremit, & nocturnum lumen sopito mihi vigilare solitum extinguitur: excutimur stratis, & in locum somni vicinæ metus mortis ingreditur. Ecce autẽ dũ inter tenebras alter alterum quærit, & beneficio diræ lucis ostẽsos trepidis inuicẽ nos vocib' cohortamur, religiosi viri, quorũ in ædib' habitamus, & sanctissimus eorũ prior, quẽ honoris causa nomino, Dauid, qui ex more ad nocturnas CHRISTI laudes sur

gebant,

gebant, repentino malo territi, facibúsque, ac sanctorũ reliquiis armati, & alta voce Dei misericordiam implorantes, thalamum vbi ego eram, prælatis facibus irrumpunt. Reuixi tantisper: omnes inde ad Ecclesiam pergimus, ibíque effusi multis cum gentibus, pernoctamus, cum iamiam affuturum finem, & ruitura circum omnia crederemus. Longius eam. si omnem illius infernæ noctis horrorem verbis amplecti velim, & quamuis longè cætera verum sistat, viri tamen fidem transcendet oratio, quis imber, qui venti, quæ fulmina, quis cœli fragor, quis terrarum tremor, quis mugitus pelagi, quis hominum vlulatus. Cùm in hoc statu, quasi magicis carminibus, geminato noctis spatio, ad auroram vix tandem venissemus, & diei vicinitas magis coniectura animi, quàm lucis indicio appareret, amicti sacerdotes sacra altaribus instaurant, & nos cœlum nudum intueri ausi, in vda & nuda circum tellure prosternimur. Cæterum, cum haud iam dubia licet nocte simillima dies, & omnis repentè clamor hominum superiore vrbis parte siluisset, sed de littorea regione, magis magísque crebresceret, neque perconctando, quid rei esset appareret, desperatione (vt fit) in audaciam versa, equos ascendimus, & ad portum visuri, morituríque descendimus. Dij boni, quando vnquam tale aliquid auditum est? Decrepiti nautæ rem sine exemplo asserunt, in ipso portus medio fœdum ac triste naufragium, sparsos æquore miseros & vicinam terram manibus prendere molientes vnda saxi impegerat, & ceu totidem tenera oua disiecerat, totum elisis & adhuc palpitantibus refertum cadaueribus littus erat. Huic cerebrum, illi præcordia fluebant. Hæc inter tantus virorum strepitus, tantáque mulierum eiulatio, vt maris, cœlíque fragorem vincerent: Accedebat ædiũ ruina, quarũ multas funditus violẽtior fluctus euertit, cui nullus die illo limes, nulla vel humanæ manus reuerentia, vel naturæ statutos fines & littora cõsueta trãscenderat. Et tam moles illa ingens studio hominũ aggesta, quæ obiectu laterũ (vt ait Maro) portũ efficit, quàm omnis vicina mari regio vndis obruta, & vbi planũ siccis pedibus interfuerat, periculosa nauigatio facta erat. Mille illic, vel eò ampli⁹ Neapolitani equites, velut ad exequias

patriæ, conuenerant, & ego turbæ immixtus iam parcius timere cœperam tanta cum acie periturus, dum nouus repentè clamor tollitur. Locus ipse in quo stabamus, fluctu subter penetrante, domitus ruebat. Eripuimus nos in editiorem locum; nòn erat oculos in altum mittere; iratam Iouis ac Neptuni faciem mortalis acies non ferebat. Mille inter Capreas atque Neapolim fluitabant vndarū montes. Non ceruleum, aut (quod in magnis tempestatibus solet) nigrum, sed canum horrifico spumarum candore fretum cernebatur. Regina interim iunior, nuda pedes, & inculta comas. & cum ea fœmineum ingens agmen expugnata periculis verecundia, regia egrediuntur, & ad Reginæ virginis templa festinant, orantes veniam rebus extremis. Sed iam tanti pauoris exitum pauidè, nisi fallor, expectas. Ægrè nos in terris euasimus, in alto nauis nulla par fluctibus inuenta, ne in portu quidem res. Massiliensium longas naues (quas Galeas vocant) quæ Cypro reduces, & tot maria emensæ manè nauigaturæ in anchoris stabant, illachrymantibus vniuersis, nemine autem ferre auxilium valente, fluctibus mergi, nautarum atque vectorum ne vno quidem saluo, vidimus. Aliæ quoque maiores, & omnis generis naues, quæ in portum velut in arcem tutissimam confugerant, pari fine consumptæ sunt. Vna de tam multis sola superfuit onerata latronibus, quibus iustum supplicium remissum erat, vt in expeditionem Siculam mitterentur, & huic gladio erepti in illos inciderent. Horum ingens quędam & fortissima, & taurinis coriis armata nauis, cum vsque sub occasum solis vim pelagi pertulisset, tandem & ipsa vinci cœperat. Illi verò vndique fatiscenti carinæ supremis vrgentibus periculis occurrunt. Erant enim (vt aiunt) quadringenti numero, turba classi, nedum nauigio sufficiens. & erant viribus pollentes, & qui à morte liberati, nil iam grauius formidarent, eóque pertinaciùs atque animosius obsisterent. Itaque dū differunt, sensimque merguntur, vsque ad proximæ noctis partem naufragium traxêre, tum victi, desertis armis, in superiora nauis eruperant. Tum ecce præter spem & cœli vultus serenari, & fessi maris ira lentescere cœpit. Itaque cunctis pereuntibus, pessimi om
nium

nium quasere, siue,

Quia seruat multos fortuna nocentes,

(vt Lucanus) siue quia diis aliter visum est, vt Virgilius ait, siue vt intelligi detur, illos inter mortis pericula tutiores, quibus vilior vita est. Hæc hesternæ historiæ summa est, quæ ne frustrà digitos meos auresque tuas detinuerit, quamuis humanorum discriminum amplam præferat materiam, de quibus multa quidē sæpe, sed pro rei qualitate pauca semper à sapientibus dici solent, hoc vnum mihi certè præstiterit, vt te obsecrem, ne me vnquam ampliùs vitam ventis ac fluctibus credere iubeas. Hoc enim est, in quo neque tibi, neque Romano Pontifici, neque patri meo, ad lucem redeat, parere velim. Aërem volucribus, mare piscibus relinquo, terrenum animal terrestre iter agam. Dum pes meus terrā calcet, nec pharetratum Sarmatam, nec ludentem in hospitibus Maurum adire renuo: mitte me quò vis, ne Indos quidem excipio. Alioquin parce confesso: non Decēbribus tantùm Saturnalibus, sed toto anno libertate vtar. Quid enim, oro, mihi amplius suadeas, aut quibus vnquam me verbis aggrediaris, vt nauigem? Firmam puppim, doctos nautas eligerat his vtrunque contigerat? Cum sole portum pete, nocte anchoram demitte, hostis occursum caue, lege littoris oram: at si diurnis horis in portu, anchora arenis tenacibus affixa, & penè littus ipsum remigio tangentes, inter tot millia miserantium amicorum perière? Hæc ego non legi, non audiui, sed oculis meis vidi. Itaque desine iam tandem, & in hoc saltem pauori meo pudor tuus ignoscat; scio quid aduersus hoc à doctoribus disputetur; Vbique par periculum, & si in mari clarius appareat. Sit ita, vt tamen ingenuè feceris, si in terris ortū, in terris mori permiseris, vix vllum inter nos mare est, cuius non sæpe naufragus fuerim, cum tamen inter laudatas Publij sententias illa sit:

Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. VI.

Gladiatorios ludos detestatur.

ABsolui grauibus occupationū laqueis sperabā, & sic cessisset (vt arbitror) nisi cōstrictos pietate animos

serpens ille tabificus resoluisset. Non ore Psyllus promptius, quàm ego aure virus cognoui. Institi occurrere, sed iam vereor, ne letale malum sit: retentabo tamen, donec illae spei reliquiae superfuerunt. Et forsan heri ad vesperam vel repulsae gratiam meruissem, nisi consilium diremisset festinata nox & domum maturiùs coëgisset. Immedicabilis aegritudo huius verbis, quae multis in rebus praeclarissima, vnum hoc obscurum habet, & obscoenum & inueteratum malum. Nocturnum iter hic non secus atque inter densissimas syluas anceps ac periculis plenum est, obsidentibus vias nobilibus adolescentulis armatis, quorum licentiam nulla vnquam vel patrum disciplina, vel magistratuũ auctoritas, vel regum maiestas atque imperium frenare quiuit. Quid autem miri est, si quid per vmbram noctis, nullo teste, petulantiùs audeat, cum luce media, inspectantibus regibus, ac populo, infamis ille gladiatorius ludus in vrbe Itala celebretur, plusquàm barbarica feritate? Vbi more pecudum sanguis humanus funditur, & saepe plaudentibus insanorum cuneis, sub oculis miserorum parentum infoelices filij iugulantur, iugulóque gladium cunctantiùs excepisse, infamia summa est, quasi pro Rep. aut pro aeternae vitae praemiis certetur? Illuc ego pridem ignarus omnium, ductus sum ad locum Vrbi contiguum, quem Carbonariã vocant, non indigno vocabulo, vbi scilicet ad mortis incudem, cruentos fabros denigrat tãtorum scelerũ officina. Aderat Regina, & Andreas regulus, puer alti animi, si vnquam dilatum diadema susceperit, aderat omnis Neapolitana militia, qua nulla compertior, nulla decentior, vulgus certatim omne confluxerat. Ego itaque tanto concursu, tantáque clarorum hominum intentione suspensus, vt grande aliquid visurus oculos intẽderam, dum repètè quasi laetũ quiddã accidisset, plausus inenarrabilis ad coelum tollitur. Circunspicio, & ecce formosissimus adolescens rigido mucrone transfossus, ante pedes meos corruit. Obstupui, & toto corpore cohorrescẽs, equo calcaribus adacto, tetrũ atque tartareum spectaculũ effugi, comitum fraudem, spectatorum saeuitiam, & lusorum infamiam identidẽ accusans. Haec gemina pestis, Pater O-

ptime, quasi per manus tradita, à maioribus ad posteros semper crescendo peruenit, eóque progressa est, vt iam dignitatis ac libertatis nomen habeat licẽtia delinquendi: sed de his hactenus. Nam & tragicũ opus est, & multa super his inter obstinatos ciues iam perdidi. Minimè verò mirabere amicos tuos, tanto auaritiæ præmio proposito, in ea vrbe vinctos esse, in qua hominem innoxium occidere ludus est, quam licet vnam ex omnibus Virgilius dulcem vocat, non iniquè tamen, vt nunc ex Bistonia notasset infamia.

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

Ego quidem & de hac patria dictum illud accipiam, & nisi aliud audieris, ante triduum vel infectis rebus effugisse me credito, in Cisalpinam primùm Galliam, inde in Transalpinam, & ad te, qui omne tempus, omne mihi præter æquoreum delectabile iter facis. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI ANDREAE BONONIENSI, S. Epist. VII.

Somniis quanta adhibenda sit fides.

Nocturno te somnio permotum scribis, vsque adeò, vt nisi, quia quod somniasti, ex illorum genere est, quæ amplius quam semel fieri nequeunt, & vigilantem te vidisse crediturus fueris, quod dormiens videras, & secundo cernere, quod vigilans vidisti. Itaque confestim subsequens euentus (vt memoras) minimè iterabilis rei, docuit somnium fuisse, quod prius videras, & an aliquid mihi tale contigerit in vita, quíd-ve de tota hac re sentiam, quid docti homines censeant quæris? Magnus sermonum campus, magna disputandi materia est, præsertim quia quæstio hæc non intra literatos tantùm (vt pleræque) sed in vulgus excutitur, & cuique per se grabatuli sui argumenta suppeditant, vt in tanto disceptantium strepitu verum inuenire difficile sit. Neque enim vulgus modò, sed docti quoque dissentiunt, quorum omnium sententias nosti: nisi quia de industria me ad scribendum elicis. Habes Macrobij cõmentũ in Reip. librũ 6. vbi de somniis clara & breui dist. disseruit. Habes de his, & horum

adiacentibus Aristotelicum volumen. Habes demum Ciceronianæ diuinationis libros, ibi quid aliis, quid sibi videatur, inuenies. Quid me iubes replicare notissima? Sanè post veterum auctoritatem, opinionem meam audire velle curiosum est, quippe curiosa est omnis amicitia. Siquid verò momenti repositum apud te in iudicio meo est, & quid mihi etiam placeat, ad rem pertinére arbitraris, cùm in multis, tum in hoc Ciceroni meo assentior, minimè quidem pertinaciter, sed paratus cum eodẽ mutare sententiã, si quid certius affulserit, affirmandi superbiam, temeritatémque declinans. Id ipse mihi de Academiæ suæ fontibus consilium præbet. Hæc summa est. Siquid de hac re verbosius agentem audire volueris, est in manibus liber Memorandarum rerum, qui si vnquam in publicum exierit, prima operis pars de his latiùs tecum aget. Alienis autem exemplis, quæ ibi multa collegi, duo hic mihi ipsi (quoniam id postulas) per quietem visa subijciam; alterum læti, alterum mœsti, sed vtrunque certissimi euentus, vtriusque testes viuunt, qui ex me hæc inter somnum, & somnij exitum audiére. Sic enim & tibi satisfiet, & dulce mihi fiet amborum recordari. Amicus mihi primus sub annis fuerat, quo nihil clarius ætas illa, vel à fortuna, vel à natura datum habuit. Hic repente graui pressus ægritudine, nec Medicis suæ, nec mihi meæ vitæ spem reliquerat. Quod vnum supererat, genus solatij lugebam, & per diem ac noctem lugenti semper mihi supererant lachrymæ. Nocte quadam vsque sub auroram peruigil somnum tristem, fatigatis tandem oculis, excepi. Imago mox illius affuit, cuius ad conspectum horrẽdos, edens gemitus socios exciui, qui (sicut post ex eis didici) vt dormientem me vidérunt, & si graui aliquo somnio implicitum cogitarent, longas tamen vigilias miserati, turbidam me, quàm nullam quietem suscipere maluerunt. Æger autem amicus ad me accedere, lachrymásque meas leuiter abstergere videbatur, & orare, vt dolori quem ex falsa causa suscepissem, finem facerem: cúmque ego dictum refellere, & multa aduersus fortunam meam dicere pararem; interrumpentem querelas meas, audire illum videbar, & dicentem: Tace, quicquid dicturus es

rus scio. Sed en adest, qui colloquium hoc nostrum dimittat, illi, oro te, salutis meæ spem restitue, & sic habeto, me nequaquam ex hoc morbo periturum esse nisi desero. Hæc inter impulsu cubiculi hostium strepuit, quo sonitu & imago pariter & somnus euanuit. Respicio, & iam albescente aurora, vnus ex Medicis amicior ambobus, qui de illo desperans omne studium ad me solandum sanandúmque conuerterat, ante lectulum meum stabat. Aggredior charissimum, & indulgentissimum mihi virum multis obsecrationibus, vt ad amicum meum pergeret, néve aliquid desperaret in homine, præsertim tam iuuene, dum vllæ spiritus reliquię superessent. Ille autem subtristis, inanem & importunam sollicitudinem admirari, curandi non suscitandi scientiam se professum dicere, hoc est, Medicum esse, non Deum. Ego contra nocturnis adhuc lachrymis madens, quid corpore sobrio, licet curis ebrius, vidissem exposui affusus opem rebus afflictis petij. Quid multa? Luctantem impuli iuit, & mox reuersus nescio quid spei melioris attulit, inde certatim, qui deseruerant, omnes rediêre. Sic amicus meus ex ipsa mihi morte restituitur, & quanquam dulcedine captus, in rebus propriis sim longior, tamen quod sequitur non silebo. Iacobus de Columna hic Iunior, non nostra tantùm ætate vir clarissimus, sed ingenio præditus fuit, facile quibusuis seculis in altum euasurus. Huic ego, dum vixit satis familiariter charus fui (verum hanc vnam asperioris fortunæ leuitatem experior, perrarò supremis me doloribus meis interesse sustinuit, de longinquo nocuit, & vulnerasse aures contenta pepercit oculis) multa de illo viro dici possent, quæ prætereo, quoniam & à proposito longè sunt, & de moribus quidem eius nil tu nouum audire potes, qui è cunctis episcopis hunc vnum tibi colendum venerandumque delegeras, florenti ætate generosissimi adolescentis eximiam indolem ingeniorum solertissimus agricola de flore fructum cogitans fouisti, virtutem mox virilis animi optimè cognitam amasti, tandem debitos honores dignitati ac sacerdotio detulisti, postremò de procursu tantarũ rerum, & è mediis vitæ laboribus, quamuis ad meliora trã-

latum,tamen humanitatis affectu piis lachrymis prosecu tus es dignitate patrem,ętate filium,familiaritate germanum. Sed ad rem redeo. Perosus ille igitur vitæ mortalis strepitum,verendum genitorem,fratres ac patriam fugerat,séque præsul egregius,sedem suam repetens, in Vasconiæ recessibus abdiderat. Illic cùm reliquas vbique magnificè,tum partem vitæ extremam,velut instantis præsagus termini,prorsus episcopaliter ac deuotissimè trãsegit. Ego autem non paruo terrarum spatio distractus,in Cisalpina Gallia, & hoc ipso in hortulo, vnde tibi hæc scribo,dulci tũc otio fruebar. Pertulerat ad me fama quosdam ægritudinis suæ rumusculos:sed ita vt inter spem & metum fluctuans,certiores assiduè nuncios expectarem. Horresco nunc etiam memorans. Locus ipse sub oculis: est enim,vbi eum nocte per quietem vidi. Incomitatus erat,& hunc ipsum horti riuulum transibat,obuiam ferebar admirans,& de multis interrogans: Vnde? Quo pergeret? Quid tam properè? Quid tam solus incederet? Ille nihil ad reliqua,sed vt erat in sermone iucundissimus subridens: Meministi (aiebat) olim dũ trans Garumnam mecum degeres, vt molestæ tibi Pyreneæ tempestates erãt, illis ego nunc fatigatus,& irrediturus abiens Romam peto. Hæc dicens,iam loci extremum festinabundus attigerat: contrà ego vt ducerer instabam. Ille me semel & iterum manu opposita suauiter repulso, tandem alio & oris habitu,& vocis sono: Desine (ait) nolo te nunc comitem. Figo oculos,atque exangui pallore mortuum agnosco,& metu mœstitiáque tactus exclamo, ita vt eo ipso momento temporis experrectus accentus vltimi mei clamoris audierim. Diem signo, rem omnem & præsentibus amicis narro, & absentibus scribo, post vicesimum quintum diem nuncius ad me mortis allatus est,collatis tẽporibus eo ipso die, quo vita decesserat, sic mihi illum apparuisse comperio. Reliquiæ eius (quod nec sciebam, nec suspicabar quidem) Romam anno demũ tertio reportatæ sunt. Spiritus enim,vt spero & cupio,cœlo reditus triumphat. Sed iam satis somniatum est. Expergiscamur hoc addito, Neque quia mihi anxio vel dominum vel amicũ somnus obtulit,neq; quia hic obiit,ille reuixit. Cæterùm in vtroque

que

que, vel quòd optabam, vel quod horrebam cernere visus sum, & cum visis meis fortuna coincidit. Idcirco somniis fidem habeo, non magis quàm Cicero ipse propter vnius sui somnij fortuitam veritatem multorum ambagibus implicatur. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI ANDREAE BONONIENSI, S. Epist. VIII.

Quid de adolescente amore noxio capto sentiat.

DE adolescente tuo, quid mihi videatur, & quid sperem? Amore noxio, & (quod peius est) turpi atque omnino malis retibus captus est: subirasci interdum potest, imò verò sæpe cogitur. Hæc natura amoris, hæc amantium vita est; irascuntur, & litigant, & frequens bellum crebra pace concludunt, & vix momento temporis vnus propositi tenor manet. Nulla quidem ex omnibus vitæ difficultatibus inconstantia, & fluctuatione vehementior est. Itaque rarissimè lætos, sæpe mœstos, semper varios, vniformes nunquam videas. Illum tuum modò deliciis acriter infensum scribis. Credo, quin aliter esse non posse certè scio. Quis enim tam obstinatè miser est, vt non interdum oculos aperiat, miseriásque suas dum videt, oderit. Sed tecum in eo, quod sequitur, non sentio. Tu enim spem optimam hinc elicis, posse eum à vinculis resilire. Ego, vt est ætas hominis atque animus, nisi præsentissimo Dei auxilio, intricatum iri magis, magísque illum reor. Illaqueatæ volucris mos est vt exagitando sese arctius implicet. Meliùs sperarem, si non odio amorem ac litigio, sed obliuione ac silentio finiret. Illud sanè mentis, hoc læsi amoris indicium est. Timeo illud Terentij in Andria,

Amantium iræ, amoris integratio est.

Timeo illud Senecæ ad Luciliū: Nihil faciliùs crudescit, quàm amor. Timeo Vergilianum illud,

Improbe amor quid non mortalia pectora cogis?

Timeo quicquid quarto die Cicero de hac re in Tusculano suo disputat: Ad postremū timeo cūctorū hac in parte cōcordiā Philosophorū, Poëtarūque sētētias. Verū super

omnia lenonúm ac meretricum nefarias artes,& inenodabiles laqueos paueſco. Horreo Sirenum blandicias, & viſcum tenaciſſimæ voluntatis, importuoſam hãc ipſam horreo,quàm is nunc nauigat Charybdim,multorũ naufragiis infamem.Denique nihil eſt,quod rebus ſic euntibus non timeam.Nam quod ille nunc vel atrociter minatur,vel iratus ſecum cogitat,

Ego ne illam,quæ illum,quæ me,quæ non?

Et quæ ſequuntur in hanc ſententiam ſimilia.Hæc omnia,vna me hercle falſa lachrymula, vt Terentius idem ait, quam oculos terendo miſeræ vix vi expreſſerit, reſtinguet,& ſe vltrò accuſabit, & dabit ei vltrò ſuppliciũ, magno licet clamore deſæuiat,ſeque tumultuosè in libertatem aſſerat. Ego ſi iudex ſim, ſecundum murmur aniculæ in ſeruitutem aſſerentis,vindicias dabo.Cur quæſo? Quia noui quam ſit illud murmur hoc clamore potentius,quantúm-ve artes artibus antecellant, nulla rerum paritas,nulla proportio eſt:inde ferrum,hinc lutum,inde ignis,hinc ſtipula: inde fingendi celeritas, hinc facilitas credendi: inde vnci innumerabiles, hinc totidem anſæ ſunt.Noſti omnia,& quanquã ab his te curis ætas abſtraxerit,nil tibi tamen ignotũ loquor Parúm-ne his fidere Plautina tibi videtur anus in Aſinaria? quæ tumidum, & minacem adoleſcentem ſic alloquitur:

Fixus eſt hic apud nos animus tuus clauo Cupidinis,
Remigio,velóque quantum poteris feſtina,& fuge,
Quàm magis te in altum capeſſis,tam æſtus te in portum referet.

Secura erat valde mulier venefica,quæ talibus adoleſcentium ſucceſſibus, plenam vitam experiendo didicerat. Ad hæc ego tibi nunc nihil adiecerim, niſi hoc vnum vt cogites,lapſu temporis ruere quidem vrbes,regna transferri,variari habitus, innouari leges: quæ verò naturaliter ſunt, non mutari. Et animos hominum, & animorum morbos prope omnes eoſdem eſſe,qui fuerunt,dum Plautus iſta fingebat. Quod ab hoc ſanè crebro iactari ſolitum ais, arſiſſe ſe quidem, ſed amplius non ardere ſi id paſſim prædicat, ſignũ in hoc morbo mortiferum eſt. Scitus eſt Naſonis verſiculus:

Qui nimium multis,non amo dicit,amat.

Non

Non verbis,sed operibus, credo,hísque non statim,sed si pertinaciter institerit contraria vita maculas vitæ superioris eluere. Vetustam ægritudinem repens medicina non adiuuat; quod longo vsu didicimus,longa desuetudine dediscendum est. Habes de adolescente tuo præsagium meum, quod vtinam falsum fuisse res doceat, & certè potens est excelsi dextra, mutatione illa Dauidica: dicto citiùs ab vno miseriarum fundo misericorditer attollere, sed id rarissimum, & paucissimorum hominum scito esse. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI ANDREAE BONONIENSI, S. Epist. IX.

Quid de libidinoso sene sentiat.

Dissimilem primæ,sed iustiorem Satyræ materiam affers, luxuriosum ac lasciuum senem. Vt enim declamator ille ait: Adolescens luxuriosus peccat, senex luxuriosus insanit. Ac profectò sic est (vt ait Plautus) deliramus interdum senes,imò verò non interdum,sed sæpissimè. Hoc illa iam tunc ætate cœptum erat, nunc autem reptamus infantes, ludimus pueri, adolescentes insanimus,conflictamur viri,deliramus senes. Ita nullam vitæ partem perdimus, sed omne æuum variis quidem errorum gradibus, imò stultitiæ tenore traducimus. Nescio quid dicam, nisi tantis in tenebris aliquid æthereæ lucis affulserit,parum absum ab antiquorum sententia,vt non nasci optimum fuerit, proximum quàmprimum mori: omnium tamen huiuscemodi senum excusatio vna est. Imbecillitas ætatis,solatium egentis, & iam vsu publico permissa licentia. Sic in Asinaria petulantissimum senem suum idem Plautus excusat his verbis:

Hic senex,si quid clam vxore suo animo fecit volup'
Neque nouum,neque mirum fecit,nec secus,quàm alij solent:
Nec quisqua'st tam ingenio duro,nec tam firmo pectore,
quin vbi quicquam occasionis sit,sibi faciat bene.

Hæc ille dixit: hæc omnes dicimus, siue adolescentes, quibus luxuriari gloria est,siue viri, quibus consuetudo est,siue senes, quibus iam veniale peccatum est. Quem

tu inuenies senem, qui si qua facultas affuerit, teste submoto, non statim oblitus virium, iuueniliter ruat in Venerem? Ipse sibi blandiens, quasi quicquid delectat, aut mulcet, & prosit, & deceat, & quasi senectutis vnicum solamen sit luxuria, quae potius senectutis opprobrium ac ruina est. Tu verò senem nostrum ora, vt inducat in animum attendere, quid agat, quò progrediatur, quánque aduerso tempore, quàm indecora, quánque ambigua, & intempestiua Venus sua sit. Pudor forsan ac metus efficient, quod ratio iam pridem ac satietas debuissent. Sin pergit, vnum hoc illi meis verbis dicito, breui vel inuitus desinet. Siquidem iuuenilis luxuria, senectuti proxima; senilis autem sepulchro contigua est. Vale.

FRAN. PETRARCHA BARBATO SVLMONENSI, S. Epist. X.

Quòd in hostium insidias deuenerit.

VT more nostro, fortunas, labor ésque meos tecum partiar est animus. Ad Parmam bellum constitit, vt nosti. Circunsistimur, & magnis non Liguriae tantùm, sed propè totius Italiae motibus intra vnius vrbis ambitum coarctamur, non quod animus nostris ad pugnam, desit (quod saepius animosa eruptione testati sunt) sed ea hostis astutia est, vt nec pacis nec praelij viam pandat durando vincere & debilitare animos, lentae obsidionis taedio confidit. Itaque iam saepe variante fortuna, idem ipse qui obsidebat obsessus est, nec dum certus est exitus. Caeterùm summis vtrinque viribus res agitur, & (nisi fallor augurio) summus fatorum dies accelerat. Nutat animus, ac neutram in partem totus inclinat, ex quo declinare studens, & inanem spem, & superuacuum pauorem. In hoc statu non iam paucorum nos dierum, sed multorum mensium premit obsidio inter calamitates bellicas haud vltima. His ita se habentibus subiit nuper desiderium libertatis, quam omnibus votis exposcere, omni studio amplecti, postremùm quam terra maríque fugientem sequi soleo. Subierat iam ante cupiditas transalpini Heliconis, quoniam Italus Helicon bellis ardebat. Ita ergo hinc odio, hinc desiderio agebar: sed quid age-

agerem? Quæ ea ducit ad occasum via, prorsus inaccessibilis facta erat. Vertor ad Orientem, etsi enim omnia hostium plena essent, tutior tamen breuis transitus, quàm ille ingens per Hetruriam circuitus visus est. Quid multa? Inter hostium stationes cum paucis egressus VII. Cal. Martias abeunte sole, carpo iter. Cum prope Rhegium inimicam vrbem sub nocte media peruenissem, repente latronum manus ex insidiis erumpit, magno mortem clamore denuncians. Non erat consilij facultas, tempus, locus & circumfusus hostis suspectissima omnia faciebat. Pauci inermes, improuidi, quid aduersus plures armatos ad scelus instructos, facerent? Vna in fuga atque in tenebris spes erat:

Diffugiunt comites, & nocte teguntur opaca.

Ego, etiam fateor, meipsum morti, & circunsonantibus telis eripui, dúmque iam omne discrimen euasisse crederem (quid, oro te vsquam tutum homini est? Seu fossæ, seu trunci fortè, seu saxi obice, nihil enim prorsus cernere sinebat illius nubilosæ cæcæque noctis obscuritas) equus ipse fidissimus vector meus cernuus ad terram ruit tanto impetu, vt confractus ac pene exanimatus sim: colligo tamen in extremis animum, & assurgo, quíque multis iam diebus interiectis ad os manum referre nondum valeo, tunc subleuante metu in equum resiliui. E sociis pars domum rediit, pars vago errore circumacta inceptum non deseruit, dum viarum duces, cœli ac terrarum indiciis amissis fessi ac trepidi inter auia subsistere coëgerunt. Vnde ne quid terrificum deesset inimicorum vigilum voces, vicinis nescio quibus ex mœnibus audiebantur. Ad hæc & sæua grandine mixtus imber accesserat, & inter crebra tonitrua famosioris assiduus timor mortis. Longa erit historia, si eam per singula. Illic ergo verè tartaream noctem sub diuo atque humi iacentes egimus, cùm interea magis magísque læsi brachij tumor ac dolor ingrauesceret. Nō herbos⁹ cespes ad sōnū, non frōdosæ ramus arboris, aut cauę rupis fornix, sed nuda tell⁹, aër turbidus, & irat⁹ Iupiter, hominū simul ac ferarū metus, atq; inter tot aspera corp⁹ inualidū Vnum, ꝙ miraberis forsan & misereberis solatij genus in tantis

difficultatibus fuit, equis medio calle trãsuersis, pro tentorio vsi sumus, & illorum terga procellis obiecimus, qui paulò antè frementes ac rapidi, mox taciti & immobiles non sine quodam quasi miseriæ suæ sensu geminum nocte illa nobis obsequium præbuerunt. Sic ad auroram laborando ac trepidando peruenimus. Vbi primùm semitam inter vepres vicinę lucis dubius fulgor ostendit, prępropèrè suspecta loca reliquimus, & amici oppidi, Scandianum vocant, mœnibus excepti, didicimus nocte tota magnam equitum ac peditum cateruam circa muros vt nos exciperent in insidiis latuisse, paulóque ante nostrum aduentum pulsam tempestatibus abiisse. I nunc, & negare aude, magnum aliquid esse fortunam, quæ & consilia in perniciem, & errores in salutem vertere potens est. Ludo tecum, Barbate charissime de fortuna enim iudicium meum tenes, formidabile nomen est. Vtcunque se res habeat, profuit error viæ, profuit procella, peiora malis euasimus. Illic ergo, cùm iam illuxisset, cælatum casum meum non sine multis comitum lachrymis aperio, & quoniam ne ibi quidem tuta videbatur mora, alligatus pro tempore montano calle, Mutinam inde luce proxima Bononiam veni. Hinc tibi præter solitum, alienis digitis ista pręscribo, ne aut meo, aut rerum statui fides desit. Circa curam corporis fit, quantum humano ingenio fieri potest. Spes est potius certa, quàm velox, æstatis opem medici, ego Dei omnipotentis auxilium expecto. Interim torpens mihi dextra non obsequitur, animus fit promptior in aduersis. Vale.

FRAN. PETRARCHA ANDREÆ MANTVANO, S. Epist. XI.

Obtrectatorum verba contemnenda esse.

VIx vnquam aliter iustior mihi quærelarum causa, vix vberior defensionis materia oblata est. In triuiis lateror, quid agam? auctor tangit iniuriæ, fama mea ab infamibus carpitur. Contemnendus obtrectator, cæterùm eo molestior, quò vilior. Dissimulare difficile, sed decorum silentium iustæ querimoniæ præferedum. Linguas

acuat,

acuat, verba non metuo, si scripto egerint, sentient & me calamum habere. Viuus ego viuorum subruam calumnias: At siquid fortè post bustum minitantur? Audio enim eos assiduè parturire, nescio quidem an ridiculum murem, an elephantem Indicum parituros. Quod ipsum si consultò (inquam) in id tempus trahunt, quo amplius hic non ero, timidè agunt, miniméque insidias astruunt. Quorum consiliis quid aliud dicam, nisi Planci illud in Asinium Pollionem, cuius in principio naturalis historiæ Plinius secundus meminit: Cum mortuis laruas solere luctari. Proinde si quid habent, proferant in medium, dum adest qui respondeat. Videbis conuitiis attritum nomen splendescere, clariorem facit Æschines Demosthenem, Catonem Galba, Salustius Ciceronem, Æmilianus Apuleium: alioquin inglorium belli genus eligunt in absentem loqui, & mutis decertare cineribus, quamuis (vt est ætas) impudenter idipsum spetent. Vale.

FRAN. PETRARCHA ANDREÆ MANTVANO, S. Epist. XII.

De eadem materia, de qua in superiori epistola.

THeon ille, siue mauis, Bion iurgium quærit. Agnosco sibilum, aspis in proximo est indigner an mirer, si mihi non parcat, qui nec ipse pepercerit Homero? puto extimet, vt quæ sibi, eadem mihi voluptas sit. Longè verò fallitur, nihil mihi gratius silentio, pòst illud nil colloquio dulcius amici. Sin pergit effugiam, Si ne id dabitur, quid sim acturus interrogas? Silebo. Si ne id quidem, loquar quantum sanè, nihil breuius Et quid dicam? Comminabor in primis id conuitij genus, quod nūquam audierit. Turbabitur, congelascet, & forsan (vt fit) multa sibi conscius tacebit. Atque hic iurgio finis erit, siquidem nil magis maledici linguam frenat quàm mordacioris alterius linguæ metus. Si ne hic tamen desinet, culicem hunc quibus armis excutiam? Vlciscar aniliter, & quod anus anui dixisse traditur dicam sibi: O vir maxime omniúmque modestestissime, ô decus ac spes patriæ.

Certè nunquam tale aliquid audiuisti. Quid nunc ais? An non satis promissum implesse visus ero. Aut ego fallor, aut & si callosas conuitiis aures habet, hoc vnum hactenus non audiuit: non ex ore amantis, non arrisoris, non derisoris, non adulatoris quantumlibet impudentis. Sic vt reor, insuetum stylum ille mirabitur, tu ridebis, ego interim euasero. Vale.

FRAN. PETRARCHA SOCRATI SVO, S. Epist. XIII.

Moram semper aliquid periculi habere.

OBsecro, obtestórque te, méque ipsum simul obsecro, si quis apud vtrumque nostrum precibus meis est locus, vt si tu nondum pectoris tui curas composuisti (ego enim inquietudinis meæ mihi sum conscius) propellamus iam tandem cuncta, quibus angimur, & adhuc fluctuantem animorum nostrorum statum aliquando compescamus, nec nos pigeat, quod multum distulimus, vel serò aggredi. Neque enim viatori, quanquam vel somno grauis, vel vino obrutus, vel tædio fatigatus tardè surrexerit, suadebis, vt viso sole in cubiculum reuertatur, somnum tractaturus ad vesperam: multò satiùs esse monstrabis, accelerare gressum, ingeminare, & in id niti, vt quod sopor eripuit, reddat industria. Et nos (si recolis) viatores sumus, & immensum nobis superest iter, & hora iam tarda est: nostrum enim mane dormiuimus, quo vigilantius exurgendum est, ne cunctantes forte nos opprimat. Plura res exigit, tempus autem pauciora, & certè intelligenti, volentique satis est dictum. Vale.

FRAN. PETRARCHA SOCRATI SVO, S Epist. XIV.

Seruorum malignitatem detestatur.

NVper dum fugiendi fastidij, & relaxandi animi gratia lepidissimas fabellas apud Plautum legerem,

rem, curísque mordacibus tantillum tēporis vetustissimi vatis auxilio cor furarer, mirum dictu quot ibi elegātes nugas inuenerim, quas seruiles fallacias, quas aniles ineptias, quas meretricum blāditias, quā lenonis auaritiam, parasiti voraginē, quam senum sollicitudinem quos adolescentium mores. Iam minus Terentium nostrum miror, qui ad illam elegantiam tali vsus est duce. Sed de cæteris suo tempore: nam & copiosa & otio affluentibus, si vnquā id nobis fortè contigerit, peramœna res est. Nunc vnum, quod hodierno die tempestiuè admodum se obtulit, interseram. Est illius Comœdia, cui nomen est Casina, ibi vir & vxor de nuptiis ancillulæ discordant. Bellum domesticum, & plusquàm ciuile dixeris, ita intra coniunctissimos disiuncta sunt omnia prorsus nihil conuenit: paterfamiliâs propriis, mater filij studet amoribus, serui duo competitores pertinacissimi, certatim ad puellæ connubium aspirant: hic à patre subornatus, hic à matre. Herilis ergo concupiscentiæ minister, vt incœpto absisteret, precanti dominæ inexorabilem se præbens, à domino, qui fortè suprema verba contentionis acceperat, interrogatur.

---Quo cum litigas Olympio
Cum eadem qua tu semper. S. cum vxore ne, hem mea?

Respondet senex quasi circumlocutione rem intelligens. Enimuerò ad hæc seruus, neque seruiliter, neque illepidè respondet, quod dum hodie legerem, mihi quodammodo dictum credidi:

Quam tu mihi vxorem? quasi venator tu quidem es,
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.

Hæc ille seruus. Mihi verò quid conuenientius dici potest? Vxorem nempe vita nostra non recipit, multis licet obiecta tempestatibus, sed ab hac Charybdi libera & immunis: verum aliud molestiæ genus est, cui & illius seruuli verba conueniunt, & rem quidem olim experiebar, verba non aderant, sciebam me cum canibus viuere: venatorem esse, nisi admonitus nesciebam. Seruos vocant, canes sunt mordaces, gulosi, latratores: cuncta præter vltimum ferre possum.

Latratus enim tranquillitati.quam quærimus, nimis aduersus est:Sed ex omni canum grege, duo mihi prorsus importabiles sunt, cæteros adhuc ferre propositum est. Horum alter est,quem ad te multis cum literis amicorũ hodie mittebam. Vnde hanc tibi superadderem epistolam,Plautus obtulit. Hunc tu ergo vel tibi habeto, si venator fieri cupis, vel in nemus, vel in macellum mitto, modò ne vnquam ad me redeat. Alter est rabidus senex ille,quem nosti optimè. Illum depellere pudor prohibet, neque tam eius quàm ætatis suæ ac longæuæ familiaritatis intuitus.Itaque quando me mihi venatorem Plautinus seruus ostendit, faciam quod ingenui venatores solent,domi inueteratum canem,quamuis senio & scabie inutilem,latratúque molestissimum,non expellam. Cæterùm quem fugare non licet, fugiam dimissáque sibi domo vacua,in alias oras ibo:de quo, quia nondum fixa mihi sententia est, secretiore epistola propositum meum leges. Summa est,Ad fontem Sorgiæ, vt nunc est animus, piscatoresse potero, certè venator amplius non ero,neque cum his saltem canibus ætatem agam. Vale.

FRAN. PETRARCHA SOCRATI SVO, S. Epist. XV.

Beatam vitam inquirendam esse.

IN campum Martium,omnes qui nascimur, vocati sumus,quidam tamen non nisi ad strepitum, numerúmque complendum, quidam verò, vt honores & laborum præmia percipiant,quorum ex agmine vt simus, optandum enitendúmque nobis est. De euentu viderit ille,cuius in manu nos & nostra consistimus. Velle quidem nostri erit arbitrij. Itaque firmare propositum, & candidatos adesse conueniet,ac supremi imperatoris amicorum eius implorare suffragia. Non enim de consulatu aut Prætura,sed(vt Plautinus adolescens ait)de capite nostro sunt comitia. Vale.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA GVIDONI IANVENSI, S. Epist. XVI.

Quod tardius solitè ad eum scripserit, se excusat.

EPistolam sub tuo nomine descriptam perdidi. Hoc mihi, & nuncij longior expectatio, & sociorum præceps fauor attulit, qui dum assiduo nouarum rerum desiderio, & (vt Solini verbo vtar) impatientius potiùs quàm studiosius per Bibliothecam meam more solito vagantes, in illam incidissent, legerunt & tulerunt, ignorante me, veriti (vt asserunt) ne sicut amicis indignantibus, & incuriositatem meam damnantibus, mihi plerunque contigerat, illius etiam periret exemplum. Ego re cognita, vt mihi redderetur, instabam, illi autem festinabãt. Quid te moror? Verum est, quod ait quidam:

Malè cuncta ministrat impetus:

Dum enim omnes habere cupiunt, nullus habuit: dúmque omnium consensu vni scribenda traditur, ille eam omnium cum dolore, vel amisit, vel amisisse simulauit, qualiter nescio, nisi quod ad oculos meos vltrà non rediit. Vnum fatebor, nec erubescam testimonium tuum, nunquam credidissem, quod res vlla tam parua tam magna mihi foret; perturbationis causa raro vnquam alias fragilitatem meam sic euidenter agnoui. Torquebar enim, & per multos dies, noctésque perditam quærebam: simul & quærebar, & nunc temerariam sociorum fiduciam, nunc leuitatem meam increpabam. Illis exprobrãs, quod plus æquo stylum hunc mirantes, importunè agerent, mihi quod immaturam gloriam è primitiis studiorum quærens, amicis fierem fortassis asperior. Quantalibet sanè plaga, animi tempore mitigatur. Iam dolere desij, dolorémque pudor expulit: pudet tam grauiter doluisse. Nunc quoniam illius nullæ mihi reliquiæ supersunt, præter amantem memoriam (vt ait Augustinus) perierit quidem illa, sed calamo superstite interim ergo, dum reuertor ad solitum scribendi morem, intermissionis causam tibi esse volui, ne insueto silentio mouereris.

FRAN. PETRARCHA GVIDONI IANVENSI, S. Epist. XVII.

Dolet de amissa Epistola.

NOn sum nescius mirari te, quid ita debiliter fortunam vnius epistolæ ferre visus sim: neque enim magnæ indolis argumentum est ex literis gloriam sperare. Ex factis, non ex dictis oriri veram gloriam, veræ Philosophiæ non dubitant spectatores. Illam (inquam) gloriam, non quam prædicat vulgus, à quo laudari magnis animis pene fastidiosum est, sed quæ ex sobria ac iucunda recordatione bonorum operum, in pectore virorum excellentium viget atque alitur, cuius sine theatrico strepitu, sine fauore vulgari fides, & conscientia testes sunt. Hæc est equidem illa verax gloria, quæ in solo stabili, actis altè radicibus, casum nescit. Illa verò in hominum fundata sermunculis, primùm diuturna non est, & perfacilè proteritur, & quibus attollitur flatibus, eisdem semper agitatur vt corruat: deinde si esse posset æterna, vulgaribus tamen, ac minimè generosis artibus quæsita, nunquam ingenuos animos delectaret. Seruilis operæ viles merces. Idque ego mecum cogitans, fateor, & mirabar, & mihi non mediocriter indignabar. Ex diuerso autem, dum reminiscebar, quàm mihi dulcis epistolæ illius lectio fuerat, flectebar, vt omni culpa desiderium eius absoluerem. Nec satis scio, verône an falso; sed persuadebam mihi, multis rationibus, nullius me ventosæ laudis ambitu perditam deflere, sed quod eam mihi vtilem senseram, tantámque fiduciam dabat non ars, non ingenium, sed vetus ille magister artis, ingeniique largitor, vt auderem sperare, literas illas tanti peccatoris digito contextas, legentibus nedum placituras, in quo nudum nomen vertitur, sed forte etiã profuturas. Multa ibi contra hominum, & præsertim meiipsius molliciem, inuectus fueram, multisque ad virtutem exhortationibus, nec paucis indignationibus, in seculum nostrum, & vitia, toto nunc orbe regnãtia, velut alternis stimulis, vtrũque illi latus armaueram, adeò vt ad eam rediens, vix ingenij mei opus crederem, & plus ei quàm scriptis meis soleo venerationis impẽderem. De Phydia & Apelle nusquam lectum est fuisse formosos, operum tamen illu-

ſ ij alterius reliquiæ ſtāt, alterius ad nos fama peruenit. Itaque tot interlabentibus ſeculis, vtriuſque artificis præclariſſimum viuit ingenium variè licet pro varietate materiæ. Viuacior enim ſculptoris quàm pictoris eſt opera. Hinc eſt, vt in libris Apellem, Phydiam in marmore videamus. Idem de Parrhaſio & Polycleto, & de Zeuxi & Praxitele cenſuerim, cæteriſque, quorum corporeæ formæ nulla mentio eſt, operum decor eximius & fama per celebris. Atque, vt à veteribus ad noua ab externis ad noſtra tranſgrediar duos ego noui pictores egregios. nec formoſos, Iottum Florētinum ciuem, cuius inter modernos fama ingens eſt, & Simonem Senēſem; noui ſculptores aliquot, ſed minoris famæ (eo enim in genere impar prorſus eſt noſtra ætas) Cæterùm & hoc vidi, & de quibus fortaſſe, alius plura dicendi locus dabit, opera ſingulorum ab auctoribus ſuis multum differentia, longéque diſtantia. Si quis ab eis cauſam quæreret, reſponderent puto, non vt olim Mallius pictor, qui ab amicis interrogatus ſuper cœnam, cur tam deformes filios genuiſſet, cum tam pulchras figuras pingeret: Quia in luce (inquit) pingo, in tenebris fingo: Faceta reſponſio illius, horum verior, ſi dicerent, & formam corporis, & ingenium, quæ forma eſt animæ, vnde opera hæc, quæ laudamus ac miramur, velut vna è fonte procedunt, munera Dei omnipotentis eſſe, non hominum, & ſumenda eſſe, non tantum æquo, ſed & grato animo, ſeu largius prouenerint, ſeu parcius, cùm gratuita ſint, & humanum meritū ſemper excedant. Nec ab homine quæri rationē oportere, cur plus minúſ-ve aliquid ab illo fiat, cuius voluntas ipſa eſt ratio, ſūma & inacceſſibilis, & ad quā fruſtrà per ſeipſū nititur humanus labor, quia quantò accedet homo ad cor altū, tanto exaltabitur Deus, & mortales intuitus cōſilij ſui profunditate fruſtrabitur. In hāc ego narrationē, cùm præterire poſſem, ſpōte incidi, quæ eò ſpectat ne mireris, ſi mihi quoq; contigerat, vt pulchrā ſcriberē epiſtolā. Turpis ego, etſi in ea (vt Gregorij verbo vtar) pulchrū depinxi hominē pictor fœdus. Proinde ſpecies ea, qua ſorores ſuas illa vincebat, & ſibi pereūdi, & mihi dolēdi fuit occaſio, vt intelligerē, nō ſolū in corporibus, ſed etiā in ſcripturis excellentem formā interdum nocere, & mediocritatem in rebus omnibus expetendā. Sic epiſtola

mea quam ipse mihi nō adoptaueram, sed genueram periit, & tunc exequiarum quasi quoddam genus lamenta persolui, & nunc memorans anniuersarium diem ago, dolens de medio tam citò subtractam, & vt dixerim, in ipsis cunabulis extinctam, eóque minus huius rei consolabilior est querela, quo minor est spes de illius ossibus, quasi de Phœnicis cineribus alteram suscitandi. Nullæ eius apud me reliquiæ remanserunt. Præter morem enim meum, totam chartæ credideram, memoriæ nihil. Idcircò nec eam in memoria requirens inuenio, nec vllum vestigium abeuntis agnosco. Tantum illud teneo, dulcem mihi fuisse dum scriberem, dulciorem dum legerē, amarissimā dum recordor, nec aliter euenisse quā si cui saporiferi fauus mellis labiis admotus, repente subtraheretur, amotáque dulcedine, sola quidem amara dulcedinis recordatio superesset. His ego perculsus diu à scribēdo cessaui (oderam enim vigilias meas, & vnius euentu cæteras metiebar) tandem per memetipsum admonitus, esse stolidum consilium, vt vnius naufragij metu nauigatio relinquatur, aut vnius anni memor aratrum damnet agricola, ad calamum redij. Sed quid iterum faciam? Epistola tua etiam mihi periit. & comitem secuta est quantum suppetit memoria, duplex inde mihi gaudium fuit. Gaudeo equidem vt mos est hominum, tecum solito benignius agere fortunam, quamuis non ignorem, friuolam esse lætitiam, quæ de fortunæ facilitate concipitur, quæ nunquam amicior fuit, nisi vt familiarius falleret, neminem euexit nisi vt altior casus esset. Verum hic vnus ex humanis erroribus est, qui sunt innumerabiles, quosque, vt Ciceroniano verbo vtar, cum nutricis lacte suxisse videmur, & quos vtinam vel in senio deponamus. Certius gaudium ex epistolæ tuæ fine percipio, vbi & fortunam nosse, & ad omnes casus paratum mihi videris animum habere: hoc est quod optaui: hoc est quod speraui: hoc est, quod Deum rogaui, & vt mihi, & vt amicis fortem animum contemptorem rerum mutabilium præstaret. Nequid enim in vita sentiamus aduersi, ne quicquam poscitur. Vt quicquid euenerit, feramus patienter dignissimæ preces sunt. Equidem (nisi fallor) in verbis tuis animum

mum tuum vidi,& dixi mecum: Iam vir est,humo erigitur,cœlum spectat. Vale.

FRAN. PETRARCHA GVIDONI IANVENSI, S. Epist. XVIII.

De conditione sui status certiorem reddit amicum.

DE statu meo,quem nosse desideras, breuiter sic habe. Etsi inter bene philosophantes vnũ sit hominis bonum, & non tria: id scilicet, quod in animo est bene cœlitus instituto, & possessione generosi habitus insignito,quoniam corporis ac fortunæ non bona,sed commoda quædam,ac leuia adminicula dici debent:quia tamen credo velle te de omnibus audire,geram morem voluntati tuæ.Qualis sit animus meus, nec plenè scio,nec asserere meum est.Sunt enim(vt ait Augustinus)& istæ plangendæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea,quæ in me est, vt animus meus de viribus suis ipse se interrogans,non facilè sibi credendum existimet.Quatenus autem effari possum, vndique me habent angustiæ,in luto carnis & in vinculis mortalitatis meæ, adhuc aut sedentem,aut iacentem: Videor tamen, nisi forsan hoc ipsum videri idem ego mihi mendaciter fingo, libentissimè sur recturus: sed ponderibus meis premor,& inualuit in me durum inueteratæ consuetudinis iugum,à cuius seruitute quis liberabit me miserum,nisi Dominus ille, qui souet compeditos, & illuminat cæcos? Fortuna contra me hactenus perpetuum bellum gerit; Ego autem sciens, quod communio discordias parit ,vt in pace viuã,nequid commune secum habeam,laboro. Imperia,regna,diuitias,honores,cæteráque eiusmodi sua sunt,& sibi habeat. Nihil est horũ quod me moueat.Mihi linquat,si qua sũt, animi mei bona;hæc sui muneris nõ fuerũt,& ne sui iuris sint flagito.Quid sæuit?Quid minatur?Nimis diu debitor suus sum,calculum ponamus: auferat quæ sua sunt. Nimis diu depositum eius seruo, quid cogitat? nulla mora est,nullum luctamen, tollat quicquid id est,& nunquam reuersura discedat. Et certè iam partem non exiguam tulit,& id quantulumcunque quod restat,odiosum onus est humeris ad altiora nitentibus. Quod ad corpus attinet, non sum quem reliquisti. Hospes corporis mei, secum

malè concordans, implacabilem litem agit. Hæc iugis sollicitudo faciem meam mutauit ante annos, ita vt iam vix primò me cognoscas occursu. Huius tamen rei me cura non tangit, adhuc enim integer Domitiano principi credideram: Nihil gratius decore, nihil breuius. Ad maiora verò genitus sum, quàm vt sim mancipium corporis mei. Seneca, inquis, hoc dixit. Quis negat? Et ego dico, & multi dicent post me, & ante eum multi forte dixerunt, & quisquis id dixerit, modò ne mentiatur, egregium magnificúmque verbum dixerit. Ego & illud dixi, & quod sequitur dicam, & in vtroque scio, quòd non mentior, vtinam nec fallar. Absit à me vt amore corporis, aut huius lucis desiderio, diem mortis horrescam, quoniam & hoc ab alio verissimè dictum, in vsus meos verti, quod hæc nostra, quæ dicitur vita, mors est. Vale.

FRAN-



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. EPISTOLARVM DE REBVS FAMILIARIBUS,

LIBER VI.

FRAN. PETRARCHA HANNIBALI TVSCVLANENSI, S. Epist. I.

De inuidia, Auaritia, cæterisque ecclesiæ procerum vitiis.



INFOELICEM inuidiam dixit Maro, nec immeritò. Quid enim infœlicius, quàm suis malis, alienisque simul bonis affligi. Non ineleganter quidem in Mutium nescio quem apprimè inuidum, atque maliuolum lusisse legitur Publius quidam. Cùm enim tristiorem solito vidisset: Aut Mutio (inquit) nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni. Prorsus ita est. Inuidus alterius bonum suis ascribit incommodis, &, vt ait Flaccus,

Inuidus alterius rebus marcescit opimis.

Magna miseria, non aliter saturitate alterius quàm fame propria torqueri, atque alio pinguescente, non secus, ac se esuriente marcescere. Sed haud temerè definierim, an non inuidia tantùm, sed vitiis omnibus infœlicior auaritia sit. Inuidia enim mœsta est sæpe, sed otiosa est, auaritia tristis, & occupata: superbia, dum se aliquid magnum putat, falsa licet opinione delectatur. Auaritia semper se fameli-

meli,

melicam, & egenam sentit, neque fallitur. Verissimum enim est Poeticum illud:

Semper auarus eget.

Nam si auarus est, cupit, quod ipsum vitij nomen indicat. Sanè quod ait Seneca: Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Et hoc inde concluditur, quòd non paucitas rerum inopem facit, cùm paucis natura contenta sit, cui qui ritè satisfecerit diues est, & nihil ei deest: sed cupiditas expleta, quæ indicat sibi tantū deesse, quantum cupit: cupit autem omnia, & optando superuacua fecit necessaria. Ita egestatem minimam, cuique perfacilè succurri poterat, irremediabilem atque immensam fecit. Rursus enim & illud est verum, quod Philosophis placet:

Auaro tam quod habet deest, quam quod non habet.

Nisi quod mihi quidē magis videtur, auaro deesse quod habet quàm quod non habet. Ex illo enim nil præter sollicitudinem perpetuam, & veros metus, ex hoc nonnunquam breue falsum gaudium capit, dum sibi arridet, & optatum bonum spe fallente præoccupat. Ita nonnunquā satiatur fera quadam (vt aiunt) & inhumana dulcedine: Auaritia verò nunquam. Nam & successibus inardescit, & Satyricum illud verum est,

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Et minus hunc optat, qui non habet. Cuius rei causam vnam (nam plures excogitari queunt) in epistola quadam ponit Anneus Seneca: Neminē (inquit) pecunia diuitem facit, imò contrà, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Et sequitur: Quæris, quæ sit rei huius causa? Plus incipit habere posse, qui plus habet. Venio ad reliquas pestes, & eius quidem, quam accidiam nostri vocant, eadem ratio est, quæ inuidiæ fuit. Gula autem ac libido sæpe suis fruuntur deliciis, quibus exultant, & gaudia fugitiua percipiunt, auaritia nulla re fruitur, nisi curis auarissimis: dum enim quærendis inhiat, & illa non habet, & quæsita non videt, nisi ad supplicium, hinc trepida, inde sollicita. Quæ cùm ita sint, iure auaritia sororum omnium pestilentissima dici potest, quam radicem malorum omnium vocat Apostolus. Nec sum nescius, te mirari

rari quid hodie tecum, hac (vt aiunt) importuna Philosophia, præter solitum vti velim. Ego autem non te magis, quàm mortales ferè omnes, & præcipuè tuum genus alloquor, inter quos maxima & solium posuisse, & vexillū fixisse victrix mihi videtur & imperiosa cupiditas. Quod eò indignantius miror, quò minor vobis cupidinum causa est. Cui enim hos auri cumulos aceruatis? Legitima quidem vobis negata posteritas, vos parcus & exiguus cultus decet, reliqua pauperum CHRISTI sunt, quos fraudare prædaríque non timetis, domino illorum spectante desuper & minitante vindictam, & nescitis cui vestrum crimen vtile sit futurum, quod vobis interim laboriosum, pestiferúmque, & funestum est. Multi se propter filios excusant & vitio animi velum pietas obtenditur. Sic leæna, sic tygris fit enixa ferocior & animalia mansueta, nouæ prolis amor exasperat. Vobis excusatio nulla, velamen vitij nullum est, ante totius orbis oculos nudi estis, digitóque monstramini, populorum omnium cum exprobratione mordaci: Ecce virtutis (inquiunt) præcones, qui cū de vita æterna, déque animi libertate multa magnificè loquantur, sine causa tamen, & temporalibus addicti, & auaritiæ serui sunt. Re enim vera & si de omnibus dicat, nón ne de vobis tantùm sensisse videtur Dauid, vbi ait: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens, veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustrà conturbatur.* Et vt rabiem Pontificalis auaritiæ tot post seculis futuram notaret expressius: Thesaurizat (inquit) & ignorat cui cōgregabit ea. Hæc vtique vobis ante alios, auari Pontifices, dicta sunt. Parentes quidem thezaurizātes filiis & legimus & videmus, quamuis sæpe fortuna paternis votis obstante, quod aliis partum erat, ad alios deuoluatur, parentum tamen intentio nota est. Vestra intentio quænam, quæso? Quid agitis? cui thesaurizatis, nisi diabolo, & angelis eius, qui sollicitè vos obseruant, numerant dies, & hæreditatem vestram auidissimè præstolantur, gratissima trophæa vestris inscripta nominibus, in limine tartari de manibus spoliatorum pauperum erecturi? Sed admirans percontabere, cur hodie potius ista quàm alias, an vel hactenus vos non a-

uaros, vel auaritiam vitium non fuisse, vel me nunc primum oculos aperuisse crediderim, qui prius ista non viderim? Respondebo admirationi tuæ: Et sciebam vos auaros: & auaritiam vitium esse, nemo vsquam est qui nesciat, & in vtrunque non nunc primùm oculos aperio, sed cum fortè nudiustertius venissem ad te, altaria tua, imò verò altaria Domini virtutum, argento atque auro, & gemmis onusta conspexi, atque insanis fulgoribus percussus obstupui, & dixi mecum: Ecce noua auaritiæ arma, nouum pereundi genus. Auaritia nobis nostra non sufficit, nisi auarum quoque CHRISTVM facimus, & diuos ipsúmque vocamus in partem, prædámque Iouem (vt Virgilius ait) Vos quidem diuitias malè partas iustificasse videamini, si prædæ rapinarúmque vestrarum pauperem CHRISTVM cogitis esse participem, & auro obsidetis inuitum. Non hic placandi numinis modus. An non legistis apud Senecam, deos tunc propitios fuisse cùm fictiles fuerunt? Atqui deos nunquam propitios fuisse, nec esse potuisse certum est. Quomodo enim propitius aliis esse potest, qui miserrimus est sibi? Placet igitur non hæc Senecæ sententia, sed verba, quæ fœliciori materiæ licet inserere. Profectò CHRISTVS semper propitius humano generi, sed tunc præsentior fuit, cùm fictilis fuit. Nunc aureus atque gemmatus irascitur, & preces nostras iustissima indignatione non audit. Non aurum odit ille, sed cupidos, quibus optandi, quærendíque nullus est finis. Primi hominum, quod erat, apertè profitebantur, quærebant diuitias, vt abundarent: vos quæritis, vt ornetis CHRISTVM: pium opus, si spoliis ille miserorum, & non potius virtutibus ac deuotione fidelium, vellet ornari, & si non fictioni iuncta cupiditas, odiosior Deo esset. Animaduerti olim tale aliquid in principibus dominísque terrarũ, qui omni studio libros quærunt, petunt, rapiunt, mercantur, non literarum amore, quas ignorant, sed auaritia inducti, nec animi, sed thalami quærentes ornatum: nec scientiam, sed nomẽ neque librorũ sententias, sed pretia cogitantes. Verùm his colorata excusatio, licet falsa non deerit: dicent enim, sobolem se ac posteros cogitare, &

verbo

verbo quidem nondum natis, aut quòd vitæ genus eligant prorsus incertis, veræ autem auaritiæ propriæ atque ignorantiæ bibliotheca congeritur. Vobis congerendarum opum quis est color? Respõdebitis, Vt CHRISTI templa farciatis auro, sed quid Persio dicitis exclamanti?

O curuæ in terris animæ & cælestium inanes,
Quid iuuat hos templis vestros immittere mores?

Néue hoc aliis dictum crederetis, audite, vt statim vestro nomine vos appellat:

Dicite Pontifices in sancto quid facit aurum?

Respondete Pontifices, vobis enim loquitur, Respondete tot senes vni iuueni, tot Theologi vni Poëtæ, tot Christiani vni pagano. Quid dicitis? In sancto quid facit aurum? Si respondere negligitis Poëtæ, an non saltem respondebitis Prophetæ, qui non aurum, sed alia quædam à vobis ornamenta templorum exigit? Apud Malachiam legitis: Filius honorat patrẽ, & seruus Dominum suum timebit. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum. Et vt noscatis quia vobis dicit, sequitur: Ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum. Nisi forte quisquam est qui putat, vlla vnquam ætate dignius hoc quæsitum quàm nunc quæritur. Video quidem vt dixi, vulgus auaritia ardere, & fateor, nihil excusat. Nulla est enim excusatio peccati, sed natorũ charitas, multipléxque necessitas, & vulgaris ignorantia crimen leuant. Vos verò Pontifices, dicite, oro, Quid sibi vult hæc rabies habendi inter diuitias tam certas, in tanta rerum diuinarum humanarúmque notitia, in vita solitaria & cælibe & de crastino cogitare prohibita? Illud mihi forte notissimum ingeretis: Aurum habet Ecclesia. Bene si habet, pessimè si habetur. Placere possunt diuitiæ virorum, viri diuitiarum penitus non placent, qui cùm somnum suum dormierint, in manibus suis nihil inuenient. Verior igitur illa responsio, quam percontationi propriæ Persius ipse subiecit. Cùm enim secundo quæsisset: *In sancto quid facit aurum?* intulit:

Nempe hoc, quòd Veneri donatæ à virgine pupæ.

Facessat, oro, iam tandem aurum templis inutile, & in alia templa Dei, hoc est, in vsus hominum egentium conferatur. Sit CHRISTI charitas, quæ seculi pompa est, nec semper sub obtentu deuotionis idololatriæ seruiatur. Nescitis quòd auaritia est idolorum seruitus. Nulla tot idolis gens abundat, nulli conuenientius dicitur: Cauete à simulachris. Credite mihi, Pontifices, aurum potuit CHRSTVS habere, sed noluit: diues esse potuit, dum inter homines agebat, paupertatem maluit. Corynthiis vasis vti potuit, fictilibus vsus est. Nolite, Pontifices, excusationes friuolas aucupari, aut sub CHRISTI nomine pabulum auaritiæ, & vestris alimenta furoribus aggregare. CHRISTVS vestro auro non eget, nec vestris superstitionibus delectatur, puri ac nudi cordis est, appetens piorum actuum, honestarum cogitationum, & humilium voluntatum Quis inter hæc auro locus? Nolite miseri curare, quàm superbè sacrificetis, quàm ornatè, quàm splendidè, sed quàm piè, quàm humiliter, quàm castè, quàm sobriè. Sacrificate, quod diruptis vinculis liberatori suo Rex propheta sacrificat, hostiam scilicet laudis: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate non in auro, sed in Domino. Audite Psalmistam, surdi, diebus ac noctibus clamantem: Sacrificium Deo spiritus cõtribulatus. Quid hic opus est auro? Spiritu opus est, eóque non nisi contribulato, opus est corde, sed contrito & humiliato. Hoc est sacrificium Deo gratum, atque homini sine terrarum effossione parabile. Submisso & immaculato opus est animo. Contrà nec terso, nec rudi auro opus est. Nescio quid amplius dicam, & vereor verba iactare, sed si post Prophetam ipsum quoque Persium Poëtam audire non piget, videte, quid ibidem paganus homo Pontificibus suis dicat:

Quin damus id superis, de magna quid dare lance,
Non posit magni Messala lippa propago.

Et ne dubium foret, quid esset quod superis offerendum, quod genere atque opibus superbi cæci diuitum filij non possent, subsecutus expressit:

Compositum ius, fásque animi, sanctósque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Pre-

Præclarum verbum, dignúmque de CHRISTO dictum esset. Tu Vale, & quàm fidelibus conuitiis aurem præbe.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. II.

Veritas, non sectæ sequenda.

PEambulabamus Romæ soli: meū quidē obambulandi Peripateticū morem nosti: placet naturæ, moribúsque meis aptissimus est. Ex opinionibus quædam placent, aliæ autem minimè, non etenim sectas amo, sed verum. Itaque nunc Peripateticus, nunc Stoicus sum, interdum Academicus, sæpe autem nihil horum, quotiens quicquam occurrit apud eos, quod veræ ac beatificæ fidei aduersum suspectúm-ve sit. Ita enim Philosophorum sectas amare, & approbare permittimur, si à veritate non abhorrent, si nos à nostro principali proposito non auertunt. Quòd vbi fortè tentauerit, seu ille sit Plato, seu Aristoteles, seu Varro, seu Cicero, libera contumacia contemnantur omnes, atque calcentur. Nulla disputationum argutia, nulla verborum lenitas, nulla nominum nos tangat auctoritas. Homines fuerunt, quantum humana inquisitione fieri potuit, & notitia rerum docti, & eloquio clari, & naturali ingenio fœlices, sed supremi & ineffabilis obiecti priuatione miserabiles, &, vt qui viribus suis fiderent, verámque lucem non requirerent, cæcorum in morem sæpe lapsi, sæpe ad lapidem offendentes. Itaque sic illorum miremur ingenia, vt ingenij veneremur auctorem: sic illorum compatiamur erroribus, vt nostræ gratulemur, & cognoscamus nos gratuitò sine vllis meritis honoratos prælatósque maioribus ab illo, qui arcanum suum, quod sapientibus abscondit, paruulis reuelare dignatus est. Denique sic Philosophemur, vt (quod philosophiæ nomen importat) sapientiam amemus. Vera quidem Dei sapientia CHRISTVS est. Vt verè philosophemur, ille in primis amandus nobis, atque colendus est. Sic simus omnes, quòd ante omnia Christiani simus Sic philosophica sic poëtica, sic historias legamus, vt semper ad aurem cordis Euangelium CHRISTI sonet, quo vno satis docti ac fœlices, sine

quo quanto plura didicerimus, tanto indoctiores atque miseriores futuri sumus, ad quod velut ad summam veri arcem referenda sunt omnia. cui tanquam vni literarum verarum immobili fundamento tuto superædificat humanus labor, & cui doctrinas alias non aduersas studiosè cumulantes, minimè reprehendendi erimus. Etsi enim ad summam rei modicum forsan, ad oblectamentum certè animi, & cultiorem vitæ modum, plurimum adiecisse videbimur. Hæc incidenter, quantum locus iste capere visus est, dixerim: procedo. Vagabamur pariter in illa vrbe tam magna, quæ cùm propter spacium vacua videatur populum habet immensum. Nec in vrbe tantùm, sed circa vrbem vagabamur, aderátque per singulos passus quod linguam atque animum excitaret. Hîc Euandri regia, hîc Carmentis ædes, hîc Caci spelunca, hîc Lupa nutrix, & Ruminalis ficus (veriori cognomine Romularis) hîc Remi trãsitus, hîc ludi Circenses, hîc Sabinarum raptus, hîc Capreæ palus, & Romulus euanescens, hîc Numæ cum Egeria colloquium, hîc Tergeminorum acies hîc fulmine ictus victor hostium artifexque militiæ Tullus Hostilius, hîc Rex architector Ancus Martius, hîc discretor ordinum Priscus Tarquinius habitauit. hîc Seruio caput arsit. hîc carpento insidiens atrox Tullia transiuit & scelere suo vicum fecit infamem. Hîc autem Sacra via est, hîc sunt Exquiliæ hîc Viminalis, hîc Quirinalis collis, hîc Cœlius, hîc Martius Campus, & Superbi manibus decussa papauera, hîc miserabilis Lucretia ferro incumbens. & in mortem fugiens adulter. & læsæ pudicitiæ vindex Brutus, hîc minax Porsenna, & Hetruscus exercitus, & infestus erranti dextræ Mutius, & Tyranni filius cum libertate concurrens, & hostem vrbe depulsum ad inferos sequens Consul, & fractus à tergo viri fortis pons Sublicius, & Horatius natans, & Tyberis reuehens Cœliam, Hîc erat Publicolæ nequicquam suspecta domus, hîc Quintus arabat, dùm fieri meruit de aratore Dictator, hinc abductus Serranus ad Cõsulatum venit, hoc est, Ianiculum, hîc Auentinus ille sacer mons, in quẽ ter irata patribus plebs secessit, hîc libidinosũ tribunal Appij fuit, & ferro patris

iniu-

iniuriæ subducta Virginia, & decemuiri luxuriæ dignus finis. Hinc Coriolanus armis forte victurus suorum pietate victus abscessit, hoc saxum defendit Manlius, hic excidit, hîc Camillus inhiantes auro Gallos subito repulit interuentu, & desperãtes ciues amissã patriã ferro docuit recuperare non auro, hîc descẽdit Curti⁹ armatus, hîc inuẽtũ sub terra caput hominis. & immotus Terminus pręsagiũ sũmo & stabili imperio fuêre, hîc fallax virgo armis obruta & suis circũuenta fallaciis. Hîc Tarpeia arx, & Romani populi census toto orbe collectus, hîc anser argenteus, hîc custos armorũ Ianus, hoc Statoris, hoc Feretrij Iouis templũ hæc fuerat cella Iouis, hæc domus omnium triumphorum: huc compulsus est Perses, hinc repulsus est Hannibal, huc impulsus est Iugurtha (vt quidam opinantur: alij verò in carcere illum necant) hîc triumphauit Cæsar, hîc periit. Hîc Augustus in templo reges affusos, & tributarium orbem vidit, hic Pompeij arcus, hæc porticus, hoc Marij Cymbrium fuit, hæc Traiani columna, vbi ille vnus omnium imperatorum (vt ait Eusebius) intra vrbem est sepultus, hîc eiusdem pons, qui sancti Petri nomen inuenit. & Hadriani moles, cui ipse quoque subiectus est, quod sancti Angeli castrum vocant, hoc est saxũ miræ magnitudinis æneísque leonibus innixum, diuis imperatoribus sacrũ cuius in vertice Iul. Cæsaris ossa quiescere fama est. Hæc Telluris ædes, hæc Fortunæ domus hoc templũ Pacis, aduentu vere pacifici regis euersum. Hoc opus Agrippæ, quod falsorum deorum matri, veri Dei mater eripuit. Hic vinctus Petrus Nonis Augusti, hinc riuus olei fluxit in Tyberim. Hîc (vt fama est) monstrantę Sibylla, senex Augustus CHRISTVM vidit infantem. Hæc Neronis insolentia & in ædificiis feruens luxus, hæc Augusta domus via Flaminea, vbi sepulchrum ipsius domini quidam tradunt, hæc Antonini columna, hoc eiusdem proximum Appiæ palatium. hoc Seueri Afri Septizonium, quam tu sedem Solis vocas, sed meum nomen in historiis scriptum lego. Hoc Praxitelis Phydiæque extans in lapide, tot iã seculis, de ingenio & arte dictamen. Hic CHRISTVS profugo vicario fuit obuius, hic Petrus in crucem actus, hic truncatus est Paulus, hic

affatus Laurentius, hic sepultus venienti Stephano locũ fecit, hic spreuit feruens oleum Ioannes, hic Agnes post obitum viuens suos flere prohibuit. Hic Syluester latuit, hic lepram deposuit Constantinus, hic gloriosam Calixtus exercuit libitinam. Sed quò pergo? Possúm-ne tibi in hac parua papyro Romam designare? Profectò si possim, non oportet. Nosti omnia, non quia Romanus ciuis, sed quia talium in primis rerum curiosissimus ab adolescentia fuisti. Qui enim hodie magis ignari rerum Romanarum sunt quàm Romani ciues? Inuitus dico; nusquam minùs Roma cognoscitur quàm Romæ Qua in re non ignorantiam solam fleo (quanquam quid ignorantia peiùs est?) sed virtutum fugam exiliúmque multarum. Quis enim dubitare potest, quin ilicò surrectura sit, si cœperit se Roma cognoscere? Sed hæc alterius temporis est querela Solebamus ergo post fatigationem, quam nobis immensa vrbs ambita pepererat, sæpius ad Thermas Diocletianas subsistere; nónunquam verò supra testudinem illius magnificentissimæ olim domus ascendere, quòd & aër salutaris, & prospectus liber, & silentium, ac votiua solitudo nusquam magis. Ibi de negotiis nihil omnino, nihil de re familiari: nihílque de Rep. quam semel fleuisse satis est, & euntibus per mœnia fractæ vrbis, & illic sedentibus ruinarum fragmenta sub oculis erant. Quid ergo? Multus de historiis sermo erat, quas ita partiti videbamur, vt in nouis tu, in antiquis ego viderer expertior. Et dicantur antiquæ quęcunque ante celębratum Romæ, & veteratum Romanis principibus CHRISTI nomen; nouæ autem ex illo vsque ad hanc ætatem. Multus quoque de ea parte Philosophię, quę mores instruit, hinc nacta cognomen. Interdum verò de artibus, & de earum auctoribus & principiis. Itaque die quodam, dum in eam mentionem incidissemus, flagitasti, vt dicerem explicite, vnde putarem liberales, & vnde mechanicas initium habuisse, quod carptim ex me audieras. Feci, quod iubebas haud duriter, quod hora diei, & vacuitas inutiliũ curarũ, & ipse locus hortabatur, vt sermonẽ lõgiusculũ ordirer, & attẽtio tua rẽ tibi admodũ placere indicio erat. Testatus sum tamẽ me nihil nouũ, nihil ferè meũ dicere,
imò

imò verò nihil alienum. Omnia enim, vndecunque dicimus, nostra sunt, nisi forsan abstulerit ea nobis obliuio. Quæris nunc, vt quod illo die dixi, repetā, ac literis mandem. Multa, fateor, dixi, quæ si non mutatis verbis dicere cupiam, non possim. Redde mihi illū locum, illud otium, illam diem, illam attentionem tuam, illam ingenij mei venam, potero quod vnquam potui. Sed mutata sunt omnia, locus abest, dies abiit, otium periit: pro facie tua mutas literas aspicio. Ingenio meo relictarū à tergo rerum fragor officit, qui adhuc in auribus meis tonat, quamuis ob hoc ipsum in primis inde diffugerim, vt tibi liberiùs responderē. Parebo, tamē, vt potero. Possem te ad antiquos & ad modernos mittere, à quibus, quod poscis, acciperes: sed ne ita me liberé, prouidisti, dum rogas, vt dicā meis verbis, quicquid id est quòd, vt ais, tibi omnia ex ore meo cùm gratius, tū clarius sonent: gratiā, habeo, siue ita se res habet, siue ita vt accendas animū dicis: Accipe igitur quod tunc dixi, verbis fortè aliis, sed eadē profectò sententia. Verum quid agimus? Nā & non parua res est, & epistola hæc abundè creuit, & nondum cœpimus, & diei huius extremum est. Vis parumper digitis meis, atque oculis tuis parcam? Differamus quæ restant in proximum diem, & laborem, & epistolam partiamur, nec eadem papyro res diuersissimas inuoluamus. Sed quid rursum cogito? Quidúe polliceor tibi diem proximum, epistolámque alteram? Nec diei vnius opus est, nec epistolare negotium: librum exigit, quem non prius aggrediar, si tamen curis maioribus non retrahor atque disturbor, quā in solitudinem meā me fortuna reuexerit. Ibi enim, non alibi meus sum; ibi meus est calamus, qui nunc passim rebellat, & recusat imperium, molestissimis occupationibus meis fretus. Ita ille, qui ex otio meo iuge negotium habet, ex negotio sibi otium quærit, & quasi impius seruus, ac contumax domini laborem in requiem suam trahit. Vbi verò primum fines meos attigero, suum iugum subeat cogā, & de eo, quod quæris seorsum singulari libro, quid aliorum scriptis, quid meis cōiecturis assequor scribam. Sanè vt familiares epistolas ludens, & in ipso maxime viarum discursu, tumultúque rerum scribere soleo, sic

ad scribendum libros, solitaria quiete, dulcique otio, & magno, nec interrupto silentio opus est. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. III.

Humanam calamitatem nullam beatæ vitæ obesse posse.

VNa mihi tecum lis est, cùm cæterarum rerum omnium sit tanta concordia. Nimis es quærulus, nimis indulges tibi, sortem propriam deflere, miserari res tuas, excusare teipsum, accusare fortunã, denique nimis molliter humana toleras, cùm sis homo. Mouit mihi, fateor, lachrymas epistolæ tuæ principium: quid enim occultare cogitem affectus meos, & vbi constantiam tuam requiro, illic propriam dissimulare mollitiem? Certè vbi te lætum esse iubeo, mœstum me fuisse non inficior. Sed est, quòd mihi interblandiar, honestiores lachrymæ sunt in alienis calamitatibus quàm in nostris, quanquam vsque adeò sint nostra communia, vt nil propriè alienum dici possit ab altero, quòd alterius nostrum sit. Idque non modò in tanta amicitia, sed in communi etiam societate hominum dici posse Satyricus ait, vbi viro bono nullum alienum malum, & humano generi pietatis ad indicium datas à natura lachrymas docet. Quod tanto antè Comicus dixerat: Homo sum, humani à me nihil alienum puto. Enimuerò, licet id verum esse non negem, tamen haud dubiè in hoc publico diligendi debito gradus sunt, quibus ex amplissima, vt ita dixerim, humanitatis area, cognationis amicitiæque redigimur in angustum, & vniuersalis amor omnium singulari quadam charitate paucorum, ac beneuolentia coarctatur. Sed quid rursus occultem tibi, quod sequitur? Vt lachrymas epistolæ principium, sic risum mihi finis mouit. Aduersa sunt (inquies) scio, licet interdum vno de fronte prodeant risus & lachrymæ. Non minus forsitan mœstus erat Democritus, qui perpetuo risu pulmonem agitare solebat (vt ait ille) quam madens perpetuo lachrymarum rore Diogenes; nec lætior Hannibal in calamitate patriæ solus ridens, quam populus qui lugebat: sicut ex diuerso, si Lucano credimus, non mœstior in morte generi flens Cæsar, quàm exercitus qui plaudebat. Sed ad te reuertor. Primum

igitur

igitur epistolæ tuæ pars id egit, vt multarum ac propè omnium congeriem ærumnarum vni tibi incubuisse diceres, sicut miserabili, sic magnifico quidem stylo legens lachrymas non tenui, & tuarum lituris, vt dixeras, lachrymarum nouas addidi. Nescio enim quomodo casus suos viriliter, quàm muliebriter lamentantem virum profundiùs miseramur. Prosequebar intentus animo atque oculis, & ipsa styli dulcedo blādiebatur vt legerem, quamuis longiuscula epistola esset. Ecce autem dum cætera humentibus oculis perlegissem, expectans quid insolitæ, & tantis querelis æquæ miseriæ patereris, totam malorum summam tribus in finem, aut quatuor verbis incluseras: Esse te Tybure, senem, pauperem, podagricum. Quibus in malis ferre te illud ægerrimè, quòd tibi nostræ spes ablata præsentiæ videretur. Neque enim te morbo vinctum loco moueri posse, neque ausurum de tam longinquo ad te amicum euocare occupationum suarum non ignotis tibi ponderibus irretitum. Hoc flebilem epistolam fine concludis. Hic fateor, risi. Et quid (dixerit quispiam) Pauca hæc tibi videntur, an leuia? Neutrum quidem, sed sunt adeò vulgaria omniúmque communia, vt pene inhumanum sit, penitúsque ridiculum, talibus incommodis indignari hominem, vel mirari. Quis enim, vt à primis ordiar, quis hominum vnquam vixit, qui non viuendo senuerit? Priscos illos patres multis seculis protendisse vitæ spacium legimus. Nunquid tandem & senuisse non legimus? Mitto illos qui in mundi primordio memorantur, quos velut in ipsius seculi iuuenta editos in lucem, vegetiores atque viuaciores fuisse, ac propè ad millesimum vitæ annum peruenisse confirmant, sed eosdē licet serius, tamen senuisse non negant: hos (inquam) omitto, de quorum ætatibus magna inter magnos solet esse contentio, quæ præsentis nostri propositi non est: ad illos venio, quibus vt minùs mira, sic sensibus nostris accommodatior est ætas Senuit Abraham, senuit Isaac, senuit Iacob. De quorum primo scriptum est: Erat autem Abraham senex, dierúmque multorū. Et iterum: Deficiēs mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum. De secundo: Senuit autē Isaac, & caligauerūt

oculi eius, & videre non poterat. Et rursum: Consumptúsque ætate mortuus est, & appositus populo senex, & plenus dierum. De tertio: Oculi Israël caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterant. Audis ecce, nec senectutem modò, sed oculorum quoque caliginem ad defectum. Moyses fortasse robustior, de quo cùm centum viginti esset annorum, & moreretur ita legimus: Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. Nunquid ideò tamen non senuerat, quia solidior senex esset? Cuius successor Iosue bellator insignis, qui tot reges occîdit, tot populos strauit, senio obstare non potuit, quando audiret Dominum dicentem sibi: Senuisti & longæuus es: Et ipse congregato populo diceret ad eos: Ego senui, & progressioris ætatis sum. Ille vir cuius voci Deus paruit, qui inaudita fiducia soli ac lunæ præcepit, vt starent, & steterunt, nunquid illum fugacissimæ diem vitæ continere potuit, ne properaret, aut obuiam senectutem retardaret? Quid Dauid rex? Non-ne & ipse senuerat, habeátque ętatis plurimos dies, cúmque operiretur vestibus non calefiebat? Is cuius & inter homines, & erga Deum talis ardor fuerat, breui adeò refrixerat senectute, vt accubantis puellæ patrocinio vteretur, qui de seipso loquens: Iunior fui, inquit, & confestim addidit: Etenim senui. Habes cui fortè dierum numerum inuideas, at non perpetuam iuuentutem. Omne quod est ortum, necessé est, aut immaturum occidat, aut senescat mox maturius occasurum. In secularibus historiis non æquam humanæ vitæ mensuram inuenies, & si quid ibi tale reprehenderis, irrisiuè nonnunquam potius quàm historice dictum scito. Quippe suprà Ninum Assyriorum regem, qui Abrahæ contemporaneus videtur, de excellenti rerum gestarum memoria, vt Macrobio placet, ne Græca quidem extat historia. Omnes historici, qui lōgissime retrocedunt, à Nino initium scribendi faciunt, multísque post illum temporibus nostrorum senum incipimus exempla colligere. Itaque minime mirandum putant quidam. Nam alij litigant, vt dixi, si senescente iam mundo, & vita breuior, & fragiliora sint corpora. Et apud exteros quidem (vt pauca de multis, sed illustriora perstringam) diutissimo

me vixit Nestor, qui (vt scriptum est) tertiam iam ætatem hominum viuebat: diu Hiero Syracusius, diu etiam Masanissa Numidarum rex, quorum alter nonagesimũ annum attigit, alter excessit. Laudata Solonis, nec illaudata Sophoclis senectus, quorum primus nunquam intermisso studio, semperque aliquid addiscens senuit, secundus morti proximus nobilissimam Tragœdiam, ea quidem scripsit ætate, qua vix sui compotes esse solent, qui ad vitam illam veniunt. Isocrates orator eadem propè ætate, quarto scilicet & nonagesimo vitæ anno, cùm volumen eximium edidisset quinque annos superuixit, seram võluptatem sui operis percepturus. Homeri nõn tantum senectutem, sed & oculorum cæcitatem lego, sed an senectus, an alia cæcitatis causa sit, nescio an tu legeris, mihi enim non occurrit. Qualem autem, & quàm iucundam credimus Homericam senectutem, omnibus suis accumulatam & instructam curis, quarum paruæ reliquiæ, post annorum millia, tanta me dulcedine afficiunt, atque perfundunt (puto idem aliis accidere) vt sæpe mearum immemor curarum oblitúsque præsentium malorum totus in illius cæci senis memoriam conquiescam. Carneades ad nonagesimum, Cleantes ad vndecentesimũ, Gorgias Leõtinus ad centesimum ac septimum vitæ annum, tranquilla senectute peruenit. Chrysippus nono ac tricesimo anno cœptum miri opus acuminis. octuagesimo moriens reliquit. Qua ætate Simonides in carminum se certamen descendisse commemorat. Aetate prouectum Socratem legimus, & ibat vlterius, nisi venenatus obstitisset calix, cuius præclarissimus ille discipulus Plato, vno & octoginta annis expletis, eodem ipso natalis sui die obiit, & in eo ipso, cui diutissimè animum intenderat, exercitio literarum. Cuius discipulus Aristoteles, nonnisi ad tertium & sexagesimum accessit, quem periculosum numerum annorum, & humano generi vel morte, vel insigni calamitate terribilem ferunt. Et cur ita sit, rationes quidam, alij obseruationem solam experientiæ longioris afferunt: vtrunque sanè quid virium habeat, ipsi, qui attulêre, discutiant hunc, si vera memorant, vitæ scopulum humanæ ne transire posset noster Cicero, non senectute

sua, sed Antonij crudeli ac nefario imperio effectum est. & quoniam ad nostros obuio Cicerone peruentum est, venerabilis apud nos Romani regis Numæ Pompilij senectus: sed venerabilior Catonis, Camilli, Fabij, Metelli ac Valerij Coruini, quorum ferè omnium vna est ætas, centum anni. Appij quoque illius cæci, de cuius cæcitate omnium ciuium oculi, & vniuersa Resp. consilium expectabant. Gloriosissimè senuit Augustus, Pompeius infœlicius, verum non de fortuna, sed de ætate hîc agitur. Certe Augustus ipse, omnium maximus ac potentissimus monarcha, post inceptum, vt quibusdam placet, & quod nemo negat, diutissimè, summáque cum pace gubernatum imperium, inter multas Romanorum lachrymas, intérque castissimæ coniugis amplexus, sexto ac septuagesimo ætatis anno, placida morte subtractus est. Eandem metam tenuit Augustinus, vt nomine, sic vitæ termino imitatus Augustum. Hieronymus verò viuacior fuit, Origenes ad septuagesimum vitæ annum venit, tertium & sexagesimum Bernardus impleuit. De Ambrosio, Gregorióque non ita compertum teneo. Omnes tamen proculdubio senuerunt prouidente illo, apud quē fons vitæ est, ne hi parum viuerent, quorum vita multum profutura erat Ecclesiæ. Ad octogesimum annum venit Asinius Pollio: Marcus Varro viuendo & scribendo seculi vnius sortitus est spatium. Multa de sua senectute locutus est Seneca senex, aliquanto senior futurus, nisi ferox discipulus vetuisset. Permitte mihi oro te indulgentissime Pater, permitte mihi, vt narrationem quæ valde animum meum premit, huic loco inseram, te fauente, & senectutis adhuc vnicum exemplum humile quidem ac recens, sed honestum, & cui mihi dulcis ac veneranda recordatio est, tot gloriosorum senum illustribus exemplis adiiciam, nunquam id, si apud alium loquerer, ausurus. Fuit mihi proauus paternus, vir sanctissimus, & ingenio quantum sine cultura literarum fieri potuit, clarissimo, vsqueadeò, vt eum non tantum de re familiari, de negotio, de contractu, de natorum nuptiis, vicini, aut de Rep. magistratus, quod de Appio Cæco traditum accepimus, sed de rebus etiam altissimis, & ad Philosophiam spectan-

stantibus literati homines, præsentes absentésque consu-lerent; omnésque in illius responsis, & æquitatem iudi-cij & acumen ingenij mirarentur. Viro nomen fuit Garcius, his moribus éaque pietate prædito, vt ad con-secrandam viri memoriam, nihil ei præter promotoris auxilium defuerit. Nuper me iam adolescentiam e-gresso, multi supererant de illo mirabilia narrantes, quæ sponte prætereo, hoc ipsum non dicturus, nisi ne fasti-dires exemplum. Is ergo, post innocue ac fœliciter a-ctam vitam, vt audiebam senes nostros dicere, quarto ac centesimo ætatis anno, ipso etiam, vt Plato, natalis sui diei, sed trium & viginti annorum spatio viuacior quàm Plato & præterea eodem in thalamo in quo natus fuerat, longè ante prædicta multis transitus sui hora, in gremio filiorum ac nepotum, nulla corporis aut animi molestia, nil nisi de Deo, & de virtutibus loquens, inter loquendũ quodammodo consopitus est, quod ex eius ore sonuit ex-tremum illud Dauidicum fuisse ferunt: In pace in idi-psum dormiam & requiescam. Quibus vix verbis explici-tis, quiescens, obdormiuit in pace. Gratias tibi pater a-mantissime, quod me hactenus passus es proaui mei me-moriam repetere, & nomen eius his ad te literulis occu-lere, quod nescio, an vsquam dignius quàm inter egre-gios senes collocandum esset. Sed quid ago? breuis con-solatio, in longam historiam versa est. Dabis autem ve-niam, si scias quanta cum delectatione versatus sum cum his optimis atque lectissimis senibus, quibus te iam nunc, neque non multo post ascriptos cupio & si cæteris in re-bus impares, at æquanimitate & patientia saltem pares. Ne enim me propositi prorsus oblitum putes, quis ægrè ferat, se senem fieri, dum tales viros senes factos esse meminerit: Imò verò, quis non magno cum gaudio par-ticipet sortem beatissimorum hominum, & alacri animo communem sibi cum talibus excipiat senectutem? Quis enim horum, seu quis omnino hominum diu vixit, & nõ senuit cuius longam vitam legimus non in senium desi-nentem? At nos voto contrario, secúmque pugnante diu, imò semper viuere cupimus, nunquam senescere, nun-quam interire. Scio autem quid responsurus es: Horum

te omnium non ignarum illud dolere, quòd ante tempus senueris. Communis omnium senescentium querela. Et Numa Pompilius, cuius suprà mentionem feci, pari aetate canus fuit, & Virgilius poeta. Tota aetas nostra hac lamentis abundat. Ego ipse, non tam queri soleo quàm mirari, quòd canos aliquot ante vigesimum quintum annum habui, cũ illud non exciderit, quòd genitor quõdam meus, in reliquis neque me sanior neque validior, quia post quinquagesimum aetatis suae annum, consulto speculo, supra verticem sibi vnum fortè capillum ambigua canicie albescentem viderat, plenus stuporis & querelarum, totam non modò familiam, sed viciniam excitauit. Hoc est, quod aeuum nostrum doleo, hoc quod iuuentus nostra conqueritur, multum breui tempore variasse viuendi senescendíque modum, quibus forte secundum fatear, primum negem. Senescunt solito citius, nec id forsan, vsquequaque verum est, sed quod incunctanter affirmem, solito citius senescunt, siue id latens causa, siue curarum multitudo efficit. profectò enim nostri maiores melioribus nos pluribus curis inuoluimur. Nihil est autẽ, quod magis praecipitet iuuentae florem, quàm curarum anxietas, & labor animi. Caeterum vitae modus, nisi eum casus aut culpa praesecuerit, idem propemodum permanet, qui Psalmographo praescriptus est carmine. Sed quoniam tua me religiosa modestia certum facit, non te canos conquaeri quos potius amplecti, etsi intempestiui essent, ac gaudere non dubito, si quòd Stillicono suo Claudianus attribuit: Vultus factura verendos, canities festina venit: verum alia quaedam senectutis incommoda lamentari, quae plura apud alios, apud Tullium sunt quatuor: Imminutio virium, auocatio à rebus gerendis, ademptio voluptatum, mortísque vicinitas. Multa quidem hoc loco in tuam consolationem dici possent, sed rem à Tullio ex intentione tractatam retractare temeritas. Habes eius de Senectute librum, qui inscribitur Cato maior, quo lecto nihil erit quòd requiras amplius, vt reor, nihílque quòd non modò molestam, sed non planè gratissimam senectutem faciat tibi. Nam quantum ad celeritatem anticipatúmque tempus attinet, hoc vnum dixerim. Sicut

enim

enim vbicunque mors occurrit, senectus est nostra (quod doctissimis viris placet) sic vbiuis debilitas corporis affuerit, senectus nostra est. Nam vt vitæ terminus est mors, sic floridæ validæque iuuentæ terminus est, quandocunque incidens, mansura debilitas. Siue igitur totius, siue robustioris vitæ finis dici senectus debet, qualibet ætatis parte se offerat, datum tempus impleuimus, & legitima est senectus. De Paupertate quid dicam? Quis non est pauper, nisi qui nihil cupit? Hi qui ditissimi videntur, eò cæteris pauperiores sunt, quò pluribus egent, cum necessariis egere, ea demum sit paupertas. At isti procul à vero falsis opinionibus acti, sibi necessaria fecerunt, quæ apud minus insanos voluptuosa quidem, apud sanos verò superuacua, postremò autem apud doctos damnosa etiam, atque omni studio fugienda sunt. Verè itaque sunt omnium pauperrimi, innumerabilium egeni, & vel assecutione rerum optatarum accedentes indigentiam, vel expectatione torquentes. Nec sum nescius, quid ad ista respondeant: Contemni paupertatem aliquantò difficilius re, quàm verbo. Non obluctor, dura res est fateor, sed dij boni quàm tuta, quàm secura, quàm expedita, quàm libera, quàm denique si amare illam in animum duxerimus, iucunda? Sed desinamus paupertatem laudare, & amare diuitias, & reuera, quotus hominum inuenitur, qui cùm paupertatem valde laudauerit, laudatam tota intentione non fugiat? Victa erit, & in æternum ab animis hominum relegata, vel potius extincta cupiditas, si quot laudatores habet paupertas, totidem habeat amatores. Habebit autem multò plures, si innotescere cœperit, quid boni habeat, quid quietis ac fœlicitatis adducat. Hactenus tamen, vt ætate Lucani erat, munus Dei est nondum mortalibus intellectum, nisi admodum raris. In quibus sunt exempla illa clarissima, Valerius, Cincinnatus, Curius, Fabricius, Regulus non diutiùs, quàm dum leguntur audiuntúr-ve, & tunc quoque non nisi superficie tenus, animos cæcos auaritia & cupiditate tangentia. Sed multò sacratissimi senes nostri, qui circumierunt orbem terrarum, veritatem ingerendo pectoribus hominum, in fame & nuditate læ-

tissimi, victísque, & calcatis necessitatibus triumphantes, quorum nudis pedibus non erat tellus digna calcari. Aude teipsum talibus exemplis inserere, aude hospes contemnere opes, non fortuitò neque indeliberatè, aude inquam. Plures ad contemptum vitæ, & ad effundendum proprium sanguinem, proiiciendásque animas, quàm ad contemnendas diuitias fuêre magnanimi. Aude igitur & tu hospes, qui non habes hîc mansuram stationem, deponere sarcinam libertatis amatoribus importunam, tanto tutior ad patriam peruenturus, quantò expeditior incesseris. Aude (inquam) contemnere opes, & quod sequitur, te quoque dignum finge Deo. Quis enim dubitet opes potentiámque contemnere, dum meminerit (vt sileam cæteros) CHRISTI sacram atque humilem paupertatem, præcipuè si huic cogitatio illa succreuerit, quantum calamitatum, quantúm-ve discriminum iste omnibus votis exoptatæ expetitæque diuitiæ secum ferant. Certè Salomonis, qui apud Hebræos sapiens habetur, vt Lycurgus apud Lacedæmonios, Solon apud Athenienses, Cato vel Lælius apud nostros, non diuitias, neque paupertatem optat à Deo, superbiendi scilicet, desperandíque materiam: quid ergo? tantum victui meo tribue (inquit) necessaria. Quem secutus Apostolus: Habentes victum (inquit) & quibus tegamur, his contenti simus. At nos non modò diuitias optamus, sed in his ipsis nihil magis appetimus quàm quod nocet, luxum scilicet & excessum. Quid enim, oro te, quid est in auaritia quòd delectat? nempe nil aliud, quàm quærendi labor, quàm seruandi pauor. Nil inquam aliud quàm timere ruinas, incendia, rapinas, domesticos & extremos fures, ad extremum mures ac tineas. Esse semper occupato animo ac mœsto, omnes curas, ipsúmque cor viuentis in auro sepelire, cùm sit scriptum: Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum. Verè ergo misera est,

– – –magni custodia census.

Sed hæc nobis accidunt nescientibus (vt ait Flaccus)

Quid valeat nummus, quem præbeat vsum.

Sic ait

Sic affectis, si honestus diuitiarum modus accesserit paupertas dura videbitur. Sunt sine vlla difficultate fortunę, illi duo diuitiarum gradus à Seneca descripti, Habere quod necesse est, habere quod sat est. Accedat & tertius quod abundè est, & quartus, accrescat quod multum est. Nihil actum putabitur, donec ad id anhelando, & æstuando peruenerimus, quod nimium est. Ita nisi nocere cœperit, nisi causas miseriarum, & laborum, & forsan festinatæ mortis attulerint, diuitiæ non erunt. Sed quid rursus ago; quid tibi aduersus paupertatem arma conquiro? Quæcunque de hac re non tantum dici, sed cogitari possunt, nota sunt tibi. Vnum erat in animo præter vulgata hæc quod tibi non subtraham. Equidem, vt euacuatio prægrauato corpori, sic tibi necessaria est paupertas. Tergiuersentur licet, vt audio, quidam ex vestris, & cauillentur, paupertatem tamen vel expressè, vel tacitè vouisti. Bene habet, tu illam fugiebas, illa te sequitur: Iam quæ attigit, arripuítque votis optanda necessitas, quæ te cogat implere quod debeas, CHRISTI seruus es, scis quid illi conueneris. Sile, patientiam habe, non te possum æquis auribus audire. Perinde mihi paupertatem defles, quasi nescias, nudum te intrasse in hanc vitam, nudum egressurum, & quasi non paupertatem CHRISTI, sed Crœsi diuitias sis professus. Crede mihi, pater, paupertas sæpe multis vtilis ad salutem fuit, nulli vnquam inutilis, nisi his, qui eam impatientia & lamentis exasperant, tibi quidem adeò, non tantum vtilis, sed necessaria, & salutaris est, vt sine illa neque saluus esse, neque creatori tuo potueris pacta seruare. Hæc in præsens de honesta & sobria paupertate perstrinxerim. Illa enim importuna & sordida, quæ turpis egestas apud Poëtam dicitur, Deo gratias, te non tangit, ad quam leniendam, maioris eloquentiæ) viribus opus esset. Iam hinc ad podagræ remedia veniendum est, ô si quis eo morbo tentus, in hanc epistolæ partem fortè oculos coniecerit quàm putas, spem concipiet fomenti cuiuspiam, aut pulueris, aut lenitiuum cuiuscunque cõsilij: desinat ex me talia sperare. Volo labori suo parcere: si ex his literis hoc sperat, vlteri⁹ nõ legat Hui⁹ enim

tissimi, victisque, & calcatis necessitatibus triumphantes, quorum nudis pedibus non erat tellus digna calcari. Aude teipsum talibus exemplis inserere, aude hospes contemnere opes, non fortuitò neque indeliberatè, aude inquam. Plures ad contemptum vitæ, & ad effundendum proprium sanguinem, proiiciendásque animas, quàm ad contemnendas diuitias fuêre magnanimi. Aude igitur & tu hospes, qui non habes hic mansuram stationem, deponere sarcinam libertatis amatoribus importunam, tanto tutior ad patriam peruenturus, quantò expeditior incesseris. Aude (inquam) contemnere opes, & quod sequitur, te quoque dignum finge Deo. Quis enim dubitet opes potentiámque contemnere, dum meminerit (vt sileam cæteros) CHRISTI sacram atque humilem paupertatem, præcipuè si huic cogitatio illa succreuerit, quantum calamitatum, quantúm-ve discriminum iste omnibus votis exoptatæ expetitæque diuitiæ secum ferant. Certè Salomonis, qui apud Hebræos sapiens habetur, vt Lycurgus apud Lacedæmonios, Solon apud Athenienses, Cato, vel Lælius apud nostros, non diuitias, neque paupertatem optat à Deo, superbiendi scilicet, desperandíque materiam. quid ergo? tantum victui meo tribue, (inquit) necessaria. Quem secutus Apostolus: Habentes victum (inquit) & quibus tegamur, his contenti simus. At nos non modò diuitias optamus, sed in his ipsis nihil magis appetimus quàm quod nocet, luxum scilicet & excessum. Quid enim, oro te, quid est in auaritia quòd delectat? nempe nil aliud, quàm quærendi labor, quàm seruandi pauor. Nil inquam aliud quàm timere ruinas, incendia, rapinas, domesticos & extremos fures, ad extremum mures ac tineas. Esse semper occupato animo ac mœsto, omnes curas, ipsúmque cor viuentis in auro sepelire, cùm sit scriptum: Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum. Verè ergo misera est,

—magni custodia census.

Sed hæc nobis accidunt nescientibus (vt ait Flaccus)

Quid valeat nummus, quem præbeat vsum.

Sic al-

Sic affectis, si honestus diuitiarum modus accesserit paupertas dura videbitur. Sunt sine vlla difficultate fortunę, illi duo diuitiarum gradus à Seneca descripti, Habere quod necesse est, habere quod sat est. Accedat & tertius quod abundè est, & quartus, accrescat quod multum est. Nihil actum putabitur, donec ad id anhelando, & æstuando peruenerimus, quod nimium est. Ita nisi nocere cœperit, nisi causas miseriarum, & laborum, & forsan festinatæ mortis attulerint, diuitiæ non erunt. Sed quid rursus ago, qui tibi aduersus paupertatem arma conquiro? Quæcunque de hac re non tantum dici, sed cogitari possunt, nota sunt tibi. Vnum erat in animo præter vulgata hæc quod tibi non subtraham. Equidem, vt euacuatio prægrauato corpori, sic tibi necessaria est paupertas. Tergiuersentur licet, vt audio, quidam ex vestris, & cauillentur, paupertatem tamen vel expressè, vel tacitè nouisti. Bene habet, tu illam fugiebas, illa te sequitur. Iam quæ attigit, arripuítque votis optanda necessitas, quæ te cogat implere quod debeas, CHRISTI seruus es, scis quid illi conueneris. Sile, patientiam habe, non te possum æquis auribus audire. Perinde mihi paupertatem defles, quasi nescias, nudum te intrasse in hanc vitam, nudum egressurum, & quasi non paupertatem CHRISTI, sed Crœsi diuitias sis professus. Crede mihi, pater, paupertas sæpe multis vtilis ad salutem fuit, nulli vnquam inutilis, nisi his, qui eam impatientia & lamentis exasperant, tibi quidem adeò, non tantum vtilis, sed necessaria, & salutaris est, vt sine illa neque saluus esse, neque creatori tuo potueris pacta seruare. Hæc in præsens de honesta & sobria paupertate perstrinxerim. Illa enim importuna & sordida, quæ turpis egestas apud Poëtam dicitur, Deo gratias, te non tangit, ad quam leniendam, maioris eloquentiæ viribus opus esset. Iam hinc ad podagræ remedia veniendum est, ô si quis eo morbo tentus, in hanc epistolæ partem fortè oculos coniecerit quàm putas, spem concipiet fomenti cuiuspiam, aut pulueris, aut lenitiuum cuiuscunque cõsilij: desinat ex me talia sperare. Volo labori suo parcere: si ex his literis hoc sperat, vlteri⁹ nõ legat Hui⁹ enim

generis remedia Medicorum eruditiores magna ex parte desperant. Reliquos si cōsulas, nihil homini diuiti desperandum, nihil inopi sperandum dicent, cùm tamen sæpius diuitum domos hæc pestis inhabitet. Si hos igitur audire volueris, præstabūt tibi, vt inter angustias præsentium dolorum, & futuræ sanitatis spem semper ligatus vlules, semper oleo tristitiæ vnctus, atque vnguentis madidus ingemiscas. Ego verò te siccum, solutúmque ac liberum dolere maluerim, diæta, exercitio, laboribus, aduersus nouum hostem solidare corpusculum, hac in re nihil à Medicis sperare præter verba. Si quid aduersus podagram auxilij est, totū à paupertate, vel si id frustrà sit, ab animi moderatione poscendum. Podagræ medicina optima paupertas est, seu illam necessitas, seu voluntas attulerit. Vltimam hanc frugalitatem vocant, quam definiunt voluntariam paupertatem. De his autem alia ad te olim epistola satis dixisse videor, quando nondum ad me, nisi podagræ solius fama peruenerat; si vnum quod tunc me latebat, illis addidero, credere me diuinitus permissum, vt podagræ paupertas accesserit, vt sicut ex quibusdam venenosis animantibus fit remedium veneni, & sicut apes ex quibusdam herbis amarioribus dulcissima mella conficiunt, ita tu malis tuis non aliundè quàm ex tuis malis possis conflare remedia. Et de paupertate quidem, remedióque, quod illa secum habet, hactenus. De animi autem moderatione, patientiáque longior sermo est, auctoritatibus, rationibus & exemplis instructus. Hic occurrit Marius, hic M. Attilius, hic integræ Romanæ Legiones. Nulla enim gens in hac gloria par est. Hic ex alio genere hominum, Possidonius, Anaxarchus & quò vilius eò nisi fallor efficacius exemplū Seruus Afer, vltor domini à Tito Liuio relatus, qui tormentis laceratus, non modò non ingemuit, sed superante lætitia dolores, speciem quoque præbuit ridentis. Innumerabilia sunt id genus, è quibus non modò epistolam impleas, sed librum. Veruntamen, vt dixi, post Ciceronem verecundum, modestúmque silentium videtur. Est secūdus illius inter Tusculanas disputationes liber, quem sæpe salubrē in meis doloribus expertus aliquot insignes viros audiui

de li-

de libri illius efficacia similia memorantes. Illum tibi familiarem facias velim, illum in manibus habeas, quotiens notis indiciis aduentare podagricum senseris dolorem. Quanquam est alia multò dulcior, multóque suauior, & docto ac religioso viro dignior medicina, in omnibus laboribus ac doloribus nostris, quibus carere nequit vita mortalis, meminisse laborum ac dolorum, quos nobis CHRISTVS pertulit. meminisse vulnerum, quibus vulnera nostra sanata, nósque periculo sempiternæ mortis erepti sumus: meminisse clauorum ac lanceæ pretiosissimíque sanguinis, quo lauacro sordibus ablutis recreati, & clementer admoniti sumus, temporales alto animo calcare molestias, nihílque nisi æternæ damnationis, & pœnarum immortalium supplicia formidare. Illud insuper meminisse profuerit, non modò CHRISTVM cui propter Deitatem suam, propter incomparabilem gloriam, inaccessibilémque potentiam omnia prona erant atque facilia, sed cãdidatum quoque, quem vocant, martyrum exercitum, multósque, vt nos sumus, mortales homines, & quòd miraculi clarioris est, nõ modò viros fortes, sed sæpe etiam mulierculas ac puellas diuino spiritu afflatas illa pertulisse, in quorum comparationem quicquid pateris, quies atque solatium dici possit. Tria hæc tibi & in primis professionis tuæ debito notissima, ideóque diutius non insisto ad secretiora festinans. Est remedij genus, quod tu fortè non cogitas, quod cum legenti mihi literas tuas subitò occurrisset, risum mouit, vt dixi. Nolo autem indigneris, me quod in meis sæpe soleo, in tuis malis etiam iocari. non in doloribus tantùm, sed in morte iocari solitos viros fortes, doctósque cõperimus: testes sũt Vespasianus princeps, & Socrates Philosophus. Patere me in pedum tuorum doloribus idẽ facere, quanquam non merus, sed veritate conditus iocus meus est: Quid enim putas? recẽse, Pater, ab adolescẽtia cursus tuos & in animum stare nesciunt; videbis vt frenũ equo indomito, sic tibi necessariam podagram. Esset necessaria forsan, & mihi vt iam tandem stare loco discerent ac mecũ habitare, tibi tamen proculdubiò ante omnes, quos ego nouerim, necessaria est. Isses extra nostr[illegible] habitabilis zo-

næ terminos, transisses Oceanum, adisses antipodas, nullum tibi discurrendi finem, quã polles in reliquis, ratio fecisset. Quid multa? Non alio quàm podagræ auxilio sisti, quibus illa tibi frenum stringit, iubétque cõsistere. Quid ais? parebis, velis nolis. Noli autẽ iniuriam arbitrari: nihil cuiquam tẽpestiuius accidit, nihil vnquam opportunius. Fluitantem carinã magister puppis fune, vel anchoris regit, & tibi prope terrã, vnde primùm es in altũ euectus, anchora iacta est. Permisit tibi tua sors, vagã ac laboriosam iuuentutẽ, nec senectuti daturus ferias videbaris, podagræ beneficio quiescet. Vagũ & instabile iumẽtum cautus pastor alligat, vbi discursu vetito quiescendi, pascẽdíque sit facultas. Agnosce pastoris tui prouidentiam. Non te in Perside, nõ in Arabia, vel Ægypto, vbi velut in suburbano vagabaris tuo, sed in patriam integro mẽbrorum obsequio reuersum, post peregrinationes innumeras, &, si te nosti, nũquã tuo iudicio desituras, vberrimis & amœnissimis alligauit in pascuis. Ad cumulum enim gratiæ cœlestis accedit, quòd nõ te Romæ clausit, vbi & propriis & familiæ tuæ titulis es clarior, quàm quieti tuæ expedit. Sed nec procul, & extra prospectũ dilectæ vrbis amouit. Quid ergo? Tybur tuo senili otio deputatũ est, prouisum que ne fugias. Doles & nõ potiùs Deo gratias agis, qui te tot terrestribus, maritimísque periculis, tótque tã longis anfractibus ereptũ hac demum voluit consistere terra (vt ait Maro) vbi scilicet animæ simul, & corporis alimenta non desint, libri tui, feruor tuus, ingeniũ tuũ, & purissimi aëris, & nitidissimarũ species aquarũ, & pulcherrimæ telluris amœnitas, tetricum licet, & agrestẽ animũ mulcere queant, vbi semper assit patriæ prædulcis aspectus, amicorum moderata propinquitas, submotis tædiis, absente fastidio, quæ tibi vel immensæ vrbis strepitus, vel iugis fortasse tot notorum conuersatio peperisset. Fruere bonis tuis gratanter, æquanimiter pacificè: meliùs tibi accidit quàm putabas; commodiorem toto orbe locum nequiuisses eligere, quàm quæ tua tibi sors obtulit. Sed instabis: Et cur nõ (inquies) sine hac corporis iniuria, iubes respondere quod sentio? Animus tuus vinculis egebat. Id nõ ad infamiã, sed in partẽ laudis accipias precor. Quò enim
ferti-

fertilior est ager, eò pluribus abundat compescendis, extirpandísque, vt seges vtilior coalescat: & sæpe quò generosior atque validior, eò ferocior est equus, & tenacioribus vinculis egens. Esses nunc, vt auguror, in aliquo mundi angulo, iam Nilum, iam Indum, aut Tanaim transnatares, iam Rhipheos montes, aut Hercinij saltus dumeta transcenderes, vagus semper, & profugus super terram. Occurrit pietas illius, qui solus morbos nostros, & morborum nostrorum medicamenta cognoscit. Non idcirco minus vtilia, quoniam amariora sunt. Illa magis ingenua videri potest, & humanitate tua dignior querela, quod præsentiam atque conuictum meum valdè suauiter requiris, & in quo vnicè tibi complacebas (vt dicis) dum cùm maximè delectaret, ablatum luges. Enimuerò nihil negotij est hic, si es amicus, imò verò si Pater (neque enim alium te pietate eximia, & paternis semper affectibus comprobasti) nullus tibi me locus, nullum tempus eripiet. pone me in supremo Atlantis Meduseis luminibus durato vertice, te in rupe Caucasea, vbi vinctus Prometheus de Ioue conqueritur, simul sedebimus, simul ambulabimus, simul cœnabimus, simul fabulabimur, simul seria tractabimus, nihil vnquam interueniet, quod vicinos cernere & audire prohibeat. Volucer est amor, non terras tantùm, sed cœlum transit & maria, nec podagram nouit ille, nec compedes, liberrimus est, & fortuna licet obluctante, vbi volueris, præsens. Miraris? Mortis quoque nescit imperium, & quod illa videtur abstulisse, complectitur. Itaque versos in cinerem, apud illum integros inuenies, & natum Octauia, virum Artemisia, amicum Lælius inuita morte, & effractis (vt ita dixerim) tumulis, viuos habent, ac præsentes. Habe igitur me: Nam & ego te habeo, nulla mihi sine te dies agitur, nulla nox, nullum iter, nulla confessio, vbique tecum sum. Qui si fortè, quoniam negare nō possum, dulce quiddam & iucundum in se habere præsentiam amicorum, modo illud mihi nō negetur, sæpe dulciorem esse memoriam, & quod nollem, sæpe delicatam esse præsentiam; si ergo ad solatium vitæ, tam tibi vtilem præsentiam meam putas, duplex ad id via est; nam & ego supra spem tuam

ad te venire, tuúmque & Horatij vatis æstiuum habitaculum videre, quantúmque desiderio tuo sufficiat, manere non renuo: & tu si ad me videndum venire malles, humanus enim animus his dulcis frui solet, quæ laboriosiùs quæsiuit, monstrabo tibi viam, in qua nec pedum vitio tardêris, nec terram cogaris plantis attingere, inter seruorum manus ad amnem Tyburtina mœnia prælabentem perges, ibi nauiculæ impositus, prono alueo descendes, donec ad dextram Tyberis occurrerit. Inde iam latiori amne per ipsius vrbis Romæ mœnia, ad mare peruenies, inde etiam dextrorsum, sed fortiori alueo creditus, Tyrrheni sinus æquoris obibis, donec longè relicta Massilia, rursus ad dexteram, rate fluminea. Rhodani ostio subuehare, qua vetus Arelas palustribus vadis, & lapidosa planitie, mox in rupe horrida tristis sedet Auennio olim, nunc Pont. Max. Rom. propriis sedibus desertis, obstante, vt arbitror natura, caput orbis efficere nititur, & Laterani immemor & Syluestri. Inde semper aduerso flumine, tribus passuum millibus, aut paulo amplius, ascendens, argēteum gurgitem obuium habebis, ad dexteram flecte iter, Sorgia est placidissimus fluuiorum. Cuius aquis quindecim aut circiter passuum millia conscendens nulli secundum fontem lucidissimi amnis originem videbis, & incumbentem scatebris præaltam rupem, vt iam transiri vlterius, nec possit, nec oporteat. Vt enim dextera & secunda sint omnia, illic tandem in terram depositus, ad dexteram me videbis. Vbi enim procul ab Italia possim esse tranquillius? Videbis autem modicis, sed vmbrosis hortulis, angustóque contentum hospitio, sed quod tanti hospitis aduentu, factum putes augustius. Videbis, quem desideras, optimè valentem, nullius egentem rei, nil magnopere de fortunæ manibus expectantem. Videbis à mane ad vesperam soliuagum, herbiuagum, montiuagum, fontiuagum, syluicolam, ruricolam, hominum vestigia fugientem, auia sectantem, amantem vmbras, gaudentem antris roscidis, pratísque virentibus, execrantem curas curiæ, tumultus vrbium vitantem, abstinentem liminibus superborum, vulgi studia ridentem, à lætitia mœstitiáque pari spatio distantem, totis

diebus

diebus ac noctibus otiosum, gloriantem musarum consortio, cantibus volucrum, & Nympharum murmure, paucis seruis, sed multis comitatum libris: & nunc domi esse nec ire, nunc subsistere, nunc querula in ripa, nunc tenero in gramine lassatum caput, & fessa membra proiicere, &(quæ non vltima solatij pars est) neminem accedere, nisi perrarò, qui vel millesimam vaticinari possit suarum particulam curarum. Ad hæc modò obnixum, defixúmque oculis tacere, modò multa secum loqui, postremò seipsum, & mortalia cuncta contemnere. Ecce pater, dum te voco, veniendi laborem abstulisse videor. Si enim hæc perlegis, & fidem habes, abundè me vides. Iam tandem (secum enim colloqui videor) epistolam me scribere sum oblitus. Vale.

FRAN. PETRARCHA COLVMNAE, S. Epist. IV.

Exempla veterum cur scribens toties recitat.

EXemplis abundo sed illustribus, sed veris, & quibus, nisi fallor, cum delectatione insit auctoritas. Possem, aiunt, paucioribus vti: fateor. Possem & sine exemplis agere, nec istud inficior, quippe cum & tacere possem, & fortè consultiùs, sed in tot mundi malis, inter tam multa dedecora, tacere difficile est. Satis patientiæ præstitisse videor, quod nondum Satyræ calamum applicui, cùm diu ante hæc monstra scriptum videam:

Difficile est Satyram non scribere.

Multa passim loquor, multa etiam scribo, non tam vt seculo meo prosim, cuius iam desperata miseria est, quàm vt meipsum conceptis exonerem, & animum scriptis soler. Verumtamen si ratio quæritur, cur exemplis interdum affluam, curioséque in his videar immorari, dicam. Puto lectorem eo animo esse, quo sum ego, me quidem nihil est, quod moueat quantum exempla clarorum hominum. Iuuat enim assurgere, iuuat animum experiri, an quicquam solidi habeat, an generosi aliquid, atque aduersus fortunam indomiti & infracti, an sibi de seipso mentitus sit. Id sanè præter experientiam, quæ certissima

magistra rerũ est, nullo melius modo fit, quàm si cũ his, quibus simillimus esse cupis, admoneã. Itaq; sicut omnibus, quos lego, gratiã habeo, si mihi sæpe propositis exẽplis hanc experiendi facultatem dederint, sic mihi gratiam habituros spero, qui me legent. Fallor forsan in hac spe: tu tamen in hac narratione non falleris. Hæc enim vna rei causa est. Altera est, quòd & mihi scribo, & inter scribendum cupide cum maioribus nostris versor, vno, quo possum modo, atque hos, cum quibus iniquo sydere datum erat vt viuerem, libentissime obliuiscor: Inque hoc animi vires cunctas exerceo, vt hos fugiam, illos sequar. Sicut enim horum grauiter conspectus offendit, sic illorum recordatio, magnificique actus, & clara nomina, incredibili me afficiunt atque inextimabili iucunditate, quæ si omnibus nota esset, multos in stuporem cogeret quid ita cum mortuis esse potius, quàm cum viuentibus delectarer. Quibus veritas responderet illos viuere, qui cum virtute & gloria diem obierunt: Hos inter delicias, & falsa gaudia exultantes, luxu somnóque marcidos, vino graues, & si viuere videantur, esse tamen adhuc quidem spirantia, sed obscœna iam, & horrenda cadauera. Verùm hæc inter doctos & indoctos æternalis maneat, ego sequar inceptum. Habes ergo, quod interrogationi tuæ, quodque quorundam, qui tecum sunt, admirationi modò responsum velim, cur exemplis abundem veterum illustrium, quòd & aliis profutura spero, & mihi scribenti, ac legenti profuisse admodum. Certe scio deinceps, quoniam nihil ab vno homine, quod omnibus hominibus placeat, fieri potest, mirentur improbéntque si libet, certe ego, ne propter alienum murmur intermisisse videar morẽ meum, inserere huic etiam epistolę aliquot exempla non desinam, & quid exempla possint exemplis ostendam. Omnes qui ante Marium à Medicis secabantur, vinciri mos fuerat. Quia enim dolorem corporis, animi robore superari non posse persuasum erat, vinculorum auxilio vtebantur. Primus Marius solutus sectus est, sed post eum plurimi. Cur, quæso, nisi quia exemplum viri constantissimi, ad imitandum animos erexit, &, vt compatriotæ sui verbo vtar, valuit

aucto-

auctoritas? Bello Latino Decius Cos. seipsum pro legionibus, & pro P.R. victoria deuouit. Res dictu, quàm executione facilior, sponte tua mortem appetere, vt alteri victoriam, quæras. Tam efficax tamen exemplum fuit, & tam validum, vt bello Samnitico ac Gallico, filius Decius & ipse Cos. patris imitator existeret, & nomine patrem vocans, securus iret ad mortem, quam pro salute suorum ciuium contemnere illo auctore didicerat. quos bello Tarentino aduersus Pyrrhum imitatus Nepos, tertia tandem vno de grege victima, & si non eodem insularum habitu, pari tamē animi virtute, eadémque Reip. pietate procubuit. Nunquam talis vir Themistocles fieret, nisi Milciadis exemplis accensus, fieri illi par in animum induxisset: nūquam Iul. Cæsar in illud gloriæ culmen ascendisset, nisi mirari, & imitari Marium ab adolescentia didicisset. Quin & Alexandri profuit imago in templo Herculis Gadibus conspecta, quá mox ad cupidinem magnas res agendi, non exarsit modò, sed (vt ait Tranquillus) ingemuit. Profectò autem, si statuæ illustrium possunt nobiles animos, ad imitandi studium accendere, quòd Q. Fab. Maximum, & Q. Cor. Scipionem dicere solitos Crispus refert, quantò magis ipsa virtus hoc efficit, claro dum proponitur non marmore, sed exemplo? Corporum nempe lineamenta statuis forsan expressiùs continentur. rerum verò gestarum, morúmque notitia atque habitus animorum, haud dubiè pleniùs atque perfectius verbis, quàm incudibus exprimuntur: nec impropriè mihi videor dicturus, statuas corporum imagines, exempla virtutum. Quid de ingeniis loquar? Imitatio vnum insigne par syderum linguæ Latinæ Ciceronem ac Virgilium dedit, effecítque ne iam amplius Græcis vlla in parte eloquentiæ cederemus. Dum hic Homerum sequitur, ille Demosthenem, alter ducem suum attigit, alter à tergo liquit. In omni hominum genere liceat ostendere idem, sed in eo, quod in me reprehenditur arctius, nolim hodie nimius videri. Vnum etiam nunc exemplum tibi notissimum, quò minùs interseram, temperare nequeo. Siquidem quem vitæ callem arriperet diutissimè fluctuant Augustino, & Antonij,

& Victorini rhetoris ac martyris profuit exéplū: nec non & illorū duorū in rebus agentium apud Treueros, repētina conuersio, quam cum sibi Pontianus miles imperatorius ēnarrasset, ipsius Augustini verba tenes octauo, ni si memoria frustrat, cōfessionum libro posita: Exarsi (inquit) an imitandum. Ad hoc enim & ille narrauerat. Hæc ergo consilij mei ratio est, propter obseruatores ac miratores meos sæpius iteranda. Video enim quàm multis exempla contulerint ad virtutem, & quid in me agant sentio, & de aliis idē spero. Si fallor, res periculo abest, & quibus exempla non placent, non legant, neminem cogo, & si me rogas, à paucis legi malim. Vale.

FRAN. PETRARCHA BARBATO SVLMONENSI, S. Epist. V.

Regis Roberti mortem deplorat.

HEu quàm violenti, quámque ineuitabiles sunt fortunæ exitus vel præuisi. Sæpe quidem, vt nosti Barbate amantissime, de fortuna, déque aliis quibusdam loqui soleo vt vulgus, ne in sermone communi singularis appaream, si seorsum interroger, responsurus fortasse longè aliter. Sed transeo, ne si hæream, acturus aliud, de hac re superuacuis disputatiunculis implicer, abstrahárque. Vt autem cœptum sequar, & fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum, non cum vulgo solùm, sed cum maximis atque doctissimis quibusdam viris, & in primis cum Virgilio videri posset, nisi & vnus omnipotens, & fati nomē in ore catholico suspectum foret. At quæcunque vis illa sit, seu Dei iudicio, seu permissu, res hominum versans, haud dubiè magna vis, & prorsus ineluctabilis est & aduersus quam frustrà imbecillitas nostri conatus accingitur. Nam in cursu facili consilium humanum opprimit, mali moles, & mortale remedium discutit inuicta necessitas. Id si vnquam alias, nunc maximè intellectum, conspectúmque clarissimè est. Rogo quid noui, quid inopini accidit? Quis non ista præuiderat? & præuidisse quid profuit? Tam profundè enim totis regni præcordiis se nequitiæ dirum virus infuderat, vt iam nisi mortiferum esse

esse non posset; tantum audaciæ tantúmque licentiæ reproborum, tanta piorum desperatio, tantus mœror incesserat. Erant crebra vndique velut instantium procellarum signa, graues frontes turbida nubes obduxerat, & turbida pectora pugnaces vrgebant venti, fulgurabant oculi ardentes, flabant ora minacia, tonabántque. Propè erat vt manus impiæ fulminarent, æquor aulicum iam tumebat, iámque æstus horrisonus, & reciproci fluctus, & obscœnæ aues, & peregrina prodigia, vestris latè littoribus recursabant. Morte regis mutata regni facies, & cum vnius viri anima omnium vigor & consilium euanuisse videbatur. Spectabamus hæc omnes, futurísque non secus ac præsentibus angebamur malis. Loqui autem quis auderet, vbi vix liberi cogitatus erant, & non tantùm vocibus, sed nutibus parata supplicia? Quamobrem in triuiis muti omnes, in thalamis murmur ambiguum, mœsta præsagia, & impendentium nuncij malorum, taciti augures, metus ac dolor. Denique sic apertis oculis torpuerant animi, quasi quos vicini fulminis lux horrenda perstringeret. Nemo, ni fallor, vnus hominum me apertius timuit, doluítque liberius: nemo illa curiæ portenta & introspexit acutiùs, & contumaciùs, aut ligno percussit, aut calamo. Heu quanta, quámque euidens prouerbiorum fides? Mala vaticinetur (inquiunt) qui vates veridicus fieri vult. Et iterum: Raró vlla calamitas sola venit. Sic est, sic ab antiquis audiuimus, sic videmus. Magna semper ærumnarum acies, incomitatæ non prodeunt miseriæ, in multas incidisse se nouerit, qui in vnam incidit. Equidem vt in tanta malorum copia miseros multos esse necesse est, sic in tanta bonorum inopia fœlices paucos, & sanè miseris, miserorúmque gemitibus, atque querelis referta sunt omnia. Contrà autem quàm sit mortalibus rara fœlicitas quis non videt, cùm & in hoc vitæ tramite, si acriter intueare, fortunæque phaleras diligenter excutias, nemo vsquam verè fœlix, aut votorum plenè compos occurrat, & apud scriptores rerum vix comitem vnum procul in vltimis Arcadum latebris fœlix ille habitus Metellus inuenerit? Quibus ita se habentibus, quis miretur vt in hominum turbam con-

iacta spicula, sic in congeriem malorum missa vaticinia non errare? Vtque ad viuum illa, sic ad verũ ista pertingere? Meministi, amice, vt olim præsens verbis, viuo adhuc, mox extincto Rege, cui soli suum hoc & proprium nomen fuit, absens literis, nec multo post præsens iterum viua voce, non sine suspiriis quid sentirem, quid ve in posterum præsagirem, quasi iam tunc venturi certus explicui. Videbam enim, subtractum regni fastidio fundamentum, erántque sub oculis corruentis regiæ graues casus. Caput adolescentis innocui primum omnium hac ruina oppressum iri, fateor, non videbam, nescio quid obstabat feralibus coniecturis, id vnum quod in malis pessimum erat abscondens, quanquam (vt meminisse videor) iam inde primis ad te literis agnum lupis obiectum, vtinam non tam certo dixerim augurio, & profecto luporum morsus ac rabiem, & illa communia perditorum hominum, cõtemptum, odium, inuidiam, dolum, rapinam, carcerem, exilium cogitabam. Tales homines, talem mortem nec cogitare didiceram, nec vereri. quippe qui nullis ex tragœdiis tam nefarias, & tam truces insidias meminissem. Tulit ecce feracissima scelerum ætas nostra, quo glorietur antiquitas, quo se posteritas consoletur, vtq; omne æuum fiat excusabile, hoc in tempus sæuitiæ. ac totius inhospitalitatis erupit. O breui multum mutata Neapolis, O infœlix Auersa, verè auersa, nomẽ ex re sumptum: Auersa (inquam) prorsus ab humanitate ac fide, quarum prima homini, secunda Regi & iusto domino debebatur, in te vtriusque spreta reuerentia, vtriusque in te sacrum gentibus fractum fœdus. In te enim fraude impia periit Rex tuus, ferro vtinam, aut virili morte alia, vt hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus atque vnguibus laceratus videretur. O iniquo condita sydere, infausto signata vomere, cæmentis extructa sanguineis, & vipereis habitata cultoribus, magistra vrbs crudelium exemplorum. Abundè impietatis & criminum erat animantium principis sacrosanctam effigiem, ad imaginem Dei factam violare tam atrociter, tam superbè. Nunc id scelus non in homine quolibet ausa es, sed mitissimum, innocentissimum hominum, & dominum tuum, & ante annos tui sollicitum, tui amantem, raræ indolis puerum, magnæ spei

regem, truculentissimè laniasti. Imò non tu, sed in te atres & immites, dicam homines? an belluas? an quod aduentitij genus monstri, qui orbē Italicum Barbarica feritate maculantes, tuum suúmque regem, non gladio, non veneno, dura licet ac solita regum morte, sed velut incendiarium, aut latronem, infami laqueo peremerunt, & cuius vertici debitum ac speratum diadema diu perfida tergiuersatione distulerant, eius collo restem, & nodos miserabiles iniecerunt. Vt exequiarum genere alio, & vita longiore dignissimi corporis ludibria indigna prætercam, si nostro fortè silentio posterorū notitiæ subtrahantur, tu quidem misera ciuitas hæc perpessa tuis in penetralibus, quæ omnes terras & omnia secula tristi sint inquinatura memoria. Cæterū & culpæ expers, nisi quod patientia criminum sæpe consensui proxima est, & nec obstare poteras, nec vlcisci, miseratione potiùs digna, quàm odio. At tu CHRISTE sol iustitiæ, cuncta vidēs, & æternis radiis vniuersa collustrans, vt quid hanc infamiæ nebulam passus es terris nostris incumbere, cùm posses tam facilè, nisi delicta hominum obstarent, vapores noxios odiorum, caliginosæ noctis algore concretos, feruido tui amoris splendore perrumpere? Tu autem summe Regum nostri temporis Roberte, quam ex aliqua cœli parte res nostras & miserari crediderim, & spectare, quibus hoc nefas luminibus aspexisti, & hāc tantam tui sanguinis iniuriā, quo animo pertulisti? An non poteras piis precibus impium scelus? An poteras, sed nolebas? subdifficilis coniectura. Etsi enim simillimum veri sit, te cœlesti gaudio repletum terrenis doloribus non moueri, nūquid tamen tuorum charitate, atque ingenita pietate non tangeris? Vtcunque est, fœlicem te, qui hūc diem in corpore habitans non vidisti, quin te superstite, nunquam tam flebilis illuxisset dies, nunquam tantùm inuidiæ licuisset: fuit enim verè frons regia, regni salus, conciliatrix animorum, iustitiæ altrix, expultríxque perfidiæ, ac velut quædam salubris vmbra, gregibus tuis, vt iucunda pastoribus, sic funesta serpentibus. Quod si humana virtus obstare decretis æthereis non valet, optanda vtique, & penitus opportuna mors fuit, quæ oculos suos, quibus adhuc naturæ legibus horror, &

lachrymæ inerant, tam mœsto spectaculo liberaret. Proh dolor, tuum illud eximiè charum, pium, dulce depositum, quibus seruandum, colendúmque commiseras perdiderunt, non somno, aut ignauia victi, sed flammanti odio & inuidia stimulati. O vltrix scelerum iustitia! Neque illi aut innocentia, aut sanguis, aut maiestas profuit. Non hominum quisquam aut Deorum, non quæ efficacissima sperabatur tui recordatio opem tulit. Voces illas, monitúsque nouissimos pij patris, & regis optimi (quibus moriens, quantum mortali consilio datum erat, in longum & familiæ tuæ prospexeras, & regno) præruptæ, desperatæq; nequitiæ ventus tulit: atque omnis diuini, & humani iuris contexit obliuio. Sed iam fletuum satis est, modò ne vbi finem fingimus, initium sit. Cùm enim vt dicebam, & crebra, & comitata veniant mala, cùm rara & solitaria bona sint, ex hoc malo nescio quid malorum sequi video, quod ne iterū, certior quàm velim, mali nuntij vates sim, silentio premam. Meliora cuncta proueniant quàm spero, nec Reipub. noceat paucorum furor qui in illis, quorum est: inultus (vt auguror) non erit. Etsi enim diuina iustitia, sæpe misericordiæ succumbat, in his tamen hoc accidit, quos pudet, ac pœnitet, non his qui flagitio gloriantur. Hæc tibi quoque Sorgiæ ad fontem, quo rursus è tãto Italiæ naufragio, velut in portum fugi, & præteriti dolens, & venturi trepidus, dictabam Calend. Sextil. intempesta nocte. Vale tui cautus, memor mei.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. VI.

Deploratis vitiis corrigendis inanem esse laborem.

Sine illum, linque eum sibi, ætatem habet, viæ patent, ire licet quocunque libet, demitte in collum habenas homini indomito, frustrà niteris, repeto, linque sibi. eat quò fert annimus, crede autem mihi, non ascendet. Vidisti equos ad iter & ascensum pigros, ad pugnam pauidos, tamen impatientes socij, frementésque. Degeneris animi signum est insultare minoribus, non posse comitem pati, nosse cum possit occasionem expectare;

expectare, non causam. Muscæ macrós stimulant boues, pauperem peregrinum canis infestat; homunculum nostrum his exemplis ascribito. Vbi vel miserabilis orbitas, vel extrema paupertas, denique vbi defensionis est minus, ibi plus sæuitiæ, nocendíque feruentior libido, qua in re nihil deliberat, nisi an facultas adsit, voluntas nunquam abest, & semper vna. Quid castigas igitur? Perdis operam plus aliquid quàm verba requirit hoc malum, da illi parem aduersarium, cõfestim ardor iste tepuerit, semper erit lupus oue conspecta, admoue lupum, ouis erit. Quid igitur (vt ait Flaccus) obseratis auribus fundis preces, quin tu, sine illum sceleribus obrutum, & oppressum suis superbia tumidum, ardentem auaritia, iracundia rabidum, inuidia tabescentem, libidinibus efferatum, gulæ, ventrísque mancipium, nimio semper sopore cõsectum, & (vt ait Maro)

Somno, vinóque sepultum.

Quid enim huic facias? Quid loquaris? Dolio loqueris, & quidem pleno, & nil penitus responsuro, nil intellecturo, nil etiam audituro. Perpropriè in hunc dixisse Licinius Crassus videretur, modò barbam æneam haberet, cætera enim adsunt. Os ferreum, cor plumbeum, vtique callosas aures, callosúmque animum habet. Callum mendaciis superductum, vera verba non penetrant. Nescio an ex illis sis, quibus perdere verba leue est, illud certè scio, quæ in homine verba perduntur, tolerabilis fore iactura, nisi contemptus hinc simul, atque odiũ quærerentur. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI, S. Epist. VII.

Loquaces contemnendos.

QVod ad studium rei familiaris attinet, coaceruandásque diuitias, prouidentissimum hominem omniúmque, quos ego quidem nouerim, circumspectissimum; non nego, quíque non in vultu tantùm, sed (vt Plautina anus) in occipitio quoque oculos habet. Cæterùm in eo quod de eloquentia hominis addidisti, longè dissentio. Inter facundum enim ac loquacem largiter

refert alterum qualitatis est, quantitatis alterum. Hoc ingenium, & ars, & exercitatio modesta, illud praeceps impetus, & impudentia praestabunt. Contraria sunt haec: plaerique tamen in discernendo falluntur: tu illo loquente, si diligentiùs animum aduerteris, fateberis, vt nihil promptius, sic nihil illius sermone durius, nihil asperius, nihil intempestiuius, quod non ideò vt sibi, cuius nomen sciens silui, eloquentiae falsam famam, sed vt tibi iudicij errorem eripiam, dictum scito. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMAE MESSANENSI, S. Epist. VIII.

Minerua vt recipienda.

Quàm pauper, quàm-ve sis diues nescio: loquor de arcula, animus enim proculdubio diues est, Bianteo more, sua secum bona circumferens, nec incendio peritura, nec naufragio, & quibus nihil omnino non praedonum vim, non furum metuit dolos, non rubiginem, tineásque, non morbos, non mortem, non senium, non ruinam. De arcula sanè idcirco sum dubius, quia dum animum, moresque tuos, fortunámque simul extimo, simúlque non multis, sic nonnullis egere te suspicor. Sicut enim insanorum est, innumeralibus indigere, sic verum est, quod ait Xenophon ille Socraticus. Nihil egere, est Deorum: quàm minimè autem proximum à diis. Quamobrem quia de arcula ipsa, nuper à conscio quodam, nescio quid audiui, pro virili parte succurrendum statui. Ecce itaque de fortunae meae si reliquiis dicam superbiùs quàm velim, si de muneribus aliter loquar ac sentio: dicam ergo, de muneribus, quibus ille me talia non curante, supra spem, supráque votum cumulare dignatus est, aliquantulum ad te misi; quod quantulumcunque est, haud dubito dignanter accipies, & in exigua re, paruo velut in speculo conspiciens magnum mittentis affectum, munusculi paruitatem animi voluntate pensabis, non quod ego sim nescius, quosdam fortes, quosdam doctos ac simillimos tui viros, & vtrosque magnanimos, frustrà olim muneribus fuisse tentatos, in quibus ante alios est Fabricij clarũ nomen, &

Curij

Curij Romanorum ducum, quorum alter Pyrrhi regis, alter aurum contempsisse Samniticum laudatur. Clarus vterque contemptu, sed nobilitatus alter etiam claritate responsi. Quamuis enim scholastici quidam, more suo confundant historias, responsum tamen illud nobile, & famosum, Romanos nolle aurum, sed aurum habentibus imperare, non Fabricij, vt vulgus putat, ad regem, sed Curij est, ad Samnitium legatos, Xenocratesque legatus Alexandri Macedonis, cum quinquaginta talenta ad eum ab ipso Rege transmissos, inuitatos ad coenam, in villam Academiæ ac mediocri, & minimè apparato cibo Philosophicè habitos, cùm dimisisset, postridie reuersos; quærentésque cui numerari pecuniam regis vellet. sic increpuit. Quid vos (inquit) hesterna coena, non intellexistis, me pecunia non egere? Quo responso, cùm mœstos factos cerneret, ne munus, ac legationem regiam spreuisse diceretur, de magna pecunia, exiguam particulam accepit, reliquum referri iussit ad regem. Fertur erga eundem regem & Diogenis Cynici contemptus, ad quem versatili dolio habitantem, cum Alexander videndi cupidus venisset, & miratus hominem quæsisset: An donari sibi à rege aliquid vellet: Cætera (inquit) aliàs, nunc vt à sole dimoueas peto. Erat enim hyems, & fortè tunc fundo testæ illius ad Aquilonem obuerso, ore antè ad meridiem applicabatur seminudus, sed feruens animi seniculus. Facetum hoc durius & propè superbum Demetrij responsum, qui missum sibi ab imperatore Romano aurum, ridendo ita contempsit, vt diceret: Si tentare me voluit, toto illi fueram experiendus imperio. Calanus Indus, dum ingenti lignorum congerie extructa, & incensa more patrio, nudus ad voluntariam mortem iret, Alexãdro Macedoni obuio, & quærenti similiter, num se aliquid vellet: Nihil (inquit) est opus, breui te videbo. Sed hic quidem miri nihil, quod enim non spernat, qui ipsam propter quam cætera concupiscimus, vitam spreuit? Contemptus sane miraculũ, suppleuit vaticinij certa fides siquidem intra dies paucos. Alexãder apud Babylona cratere illo, Persarũ atque Indorum vltore, consũptus est. Vrbanius aliquãtò Dindymus, ad

quem nudum cùm Alexander, idem omni fastu regio deposito venisset, in extrema solitudinum, è cunctis muneribus ab opulentissimo rege sibi allatis, non nisi minima & vilissima rerum sumpsit, ne contemptus asperior insolentiæ notaretur. Sed hæc singulorum hominum, illa publica animorum, & incomparabilis altitudo Pyrrhi regis, cuius suprà memini, legatus Cyneas, vir ingenio & sapientia excellens, immensis cum muneribus Romã missus Senatu primum, atque ordinibus cunctis, ex ordine, nequicquam tentatis: postremò plebem ipsam frustrà etiam aggressus, ac nemine prorsus inuento, cuius domus, aut mens muneribus regiis pateret, cum eo ipso, quod adduxerat auro, ad stupentem Regem, stupens ipse reuersus est. Cæterùm hi omnes, aut ab hoste rege, vel populo, aut à superbo aliquo donatore tentati sunt. At non Romani Senatus dona Ptolomæus rex Ægypti, non Africani sui munus Masanissa contempsit, non Africanus alter, munera regis amici, non denique P. ipse R. munerũ licèt spretor hostium, Pergamæi regis, quem amabat hæreditatem, testamentúmque despexit. Multum refert, quo animo quid donetur, & à quo, & sicut quidam longè magnificus, sic alter inhumanus, atque insolens est contemptus. Amicus ego non tentator venio, nec (vt verum fatear) dono aliquid tibi, sed tecum partior, quæ scis ipse iampridem nobis esse communia, ac ne munus exiguum magnis verbis exaggerem, accipe quicquid id est, & boni consule, quod profectò, ne idem ipse qui fert, nec alius quidem quisquam, quid aut quale sit nouit, & ego iam, si quid mihi credis, oblitus sum. Vale.

FRAN. PETRARCHA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI, S. Epist. IX.

Se ad eum venire, ac Socratem suum secum adducere scribit.

VEniam ad te, quando ita placere tibi sentio, & Socratem nostrum, deuotissimum tui nominis adducam, postridie veniemus, nec horrebimus vrbis aspectum, inculta quamuis, & rusticana veste contecti. Hunc enim pridie, raptim, ex vrbe inquieta & turbida, saltu velut in lite-

tus, fracta puppi cõfugimus, latitandi, ociandique proposito, eóque habitu, qui & ruri, & brumæ conuenientissimus visus est. Vt sumus in tuam vrbem commigrare iubes, parebimus, eóque libentius, quò ardentiore tuo desiderio trahimur. Neque magnopere curabimus, quales extrinsecus videamur, cui animos nostros apertos, ac nudos esse, & cupimus, & speramus. Illud tuorum voto Pater amantissime non negabis, sæpe nos hospites habere vis, vt non apparatum, exquisitúmque conuiuium, sed mensa nos familiaris excipiat. Vale.



FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILIARIBUS,

LIBER VII.

FRAN. PETRARCHA BARBATO SVLMONENSI, S. Epist. I.



INTER multifidas, quibus obsideor curas, illa non vltima est, quam ex rerum tuarum expectatione concipio: quid enim mihi Barbato meo charius? Quid dulcius? Anxia res amor, credula, timida, sollicitè omnia circumspiciens, & vana etiam ac secura formidans. Ecce quod semper timui, ecce quod semper scripsi, ecce quod quotidie dice-

bam, non poterat tam fœdum facinus impunitum esse, & est vltio hæc aliquantò serior quàm putaui. Verte autem Deus, iram tuam, in auctores scelerum, & noxia capita digno supplicio feri, parce piis, parce fidelibus. Quid insons meruit plebecula? Quid sacra tellus Ausonia? Ecce iam puluis Italicus, gressu quatitur barbarico, & victores olim gentium, nunc, heu, vincentium præda sumus, siue id peccata nostra meruêre, si iniquum, & triste sydus aliquod, aduerso limine nos exercet, siue (in quod magis inclinor) integri nunc scelestis additi, criminibus plectimur alienis. Sed absit, vt Italiæ metuam, à qua rebelles potiùs, quod metuant habebunt, dum nuper Vrbi reddita POT. TRIB. vigebit, & caput nostrum Roma non ægrotabit. Pars Italiæ sollicitum habet, illa videlicet, quæ olim magna Græcia dicebatur, Brutius, Calaber atque Apulus, nunc laboris Terra, atque olim præpotens Capua. Nunc regina vrbium Parthenope. In has terras amœnissimas, ab asperrimis Danubij ripis, præceps ruit exercitus, & cœli nostri serenitatem, fœdis nubibus inuoluit, ab aquilone oriens procella, quam vereor, nedum responsum tuum operior, cum ingenti fragore detonuerit. Sic omnia iam in extremum adducta referuntur. Iam Sulmonem primo belli impetu calcatum, in ditionem hostium peruenisse fama est. Heu generosum oppidum, tuam & Nasonis patriam, quibus prosequar lamentis, ab his hodie possessam, inter quos ille morte grauius putauit exilium? Qui autem, adeò miserabiliter non tam de exilio, quàm de loco exilij questus est, vt librum nō exiguum texeret querelarum. Quid dicturus fuisset, si Istri populos, & id genus hominum, quàm vagus Sarmata, & arcitenens Getes, niuosos oberrant collibus, ad occupandam armis patriam suam venturos, vllo tempore præuidisset, ad quos se Cæsaris imperio proficisci, tam iniquè tulit animo, vt nihil aliud flere, nihil aliud deprecarì, nihil aliud loqui posset. Te verò frater, quid nunc dicere arbitrer ista cernentem, quæ nec ego præsentia sine lachrymis audio, nec ille futura sine gemitu cogitasset? O feliciora iam saltem Nasonis ossa externa tellure obruta, quàm si patriæ Pyramidis honore condita, huius temporis

poris ludibrio seruarentur. Iam tranquilliora dixerim sepulchra inter istum & Hypanem, quàm inter Lirim & Vulturnum: illinc Barbari magno agmine diffugiunt, huc irrumpunt. At ego dum dolorem animi sequor, propositum excessi, & euehebar longiùs, nisi me expectans & crebro interpellans hic nuncius reuocasset. Igitur vnde discesseram reuertor. Magno super te pauore torqueor, sed nihil in me, quod ipse nouerim, consilij est, nihil auxilij, quia tamen plus interdum aliqui possunt, quàm se posse confidunt, si quid in me operis agnoueris, iure tuo vtere. Gratiam fateor non mediocrem apud tribunum stirpe humili, sed excelso virum animo. propositóque, & apud P. R. habeo, nullis profectò meis meritis, sed Deus mihi malorum odia, bonorum beneuolentia compensauit: non quòd vel illis nocuerim, his profuerim, vel malus esse desierim, vel sim bonus: sed quia malos odisse bonos amare disposui, & ab illorum turba, ad horum paucitatem sæpe transfugere volui, si datum esset, & volo si dabitur. Siquid igitur in præsenti discrimine. apud præfatos Tribunum, ac Populum prodesse tibi intercessio mea potest: Ecce animus & calamus præsto sunt. Est mihi præterea in longinquo, & ab his moribus secuto, Italiæ tractu domus, parua quidem, sed duobus vnum animum habentibus, nulla domus angusta est, nullæ illam damnosæ diuitiæ, sed nec paupertas, nec cupiditas: libelli autem innumerabiles inhabitant, hæc modò nos expectat, me ab occidente reuersurum, quem iam biennio affuisse conqueritur, te ab oriente si fata cogerint, & si libuerit venturum. Quid tibi præter hæc offeram non habeo. Domus autem ad quam inuito te, vbi sit nosti, in loco salubri, & terroribus vacuo, & pleno gaudiis, & studiis opportuno. Tu quicquid consilij cœperis, ad fœlicem exitum Deus applicet. Ego interim vtinam falsa timuerim & absentia quod naturaliter solet, metum auxerit amantis, animus quidem meus non quiescet, donec vel te videro, vel per literas accepero, te saluum ex his tempestatibus enatasse. Vale.

FRAN. PETRARCHA THOMAE MESSANENSI, S. Epist. II.

Veram humilitatem non esse spernendam.

NOli obsecro amicum ideò spernere, quia humilis, ne contrarius fias dicto irrefragabili, quo humilitas exaltanda promittitur. Vera quidem humilitate, nil minus contemptibile, nil minus vera superbia venerandum. In discretione tamen huius rei, & aliarum quoque multarum fallimur. Viles enim, timidósque, & abiectos humiles vocamus, magnanimos autem superbos. Contrà autem veros humiles, falso credita pusillanimitate contemnimus. Insolentes verò ceu verè magnanimos veneramur: scitúmque est illud Catonis huius iunioris à Salustio relatum. Vera rerum vocabula iampridem amisimus. Si igitur constat de re, amicúmque tibi (vt est) humilem fateris, vide quæso, ne humilitatem altissimam virtutem CHRISTO que gratissimam despexeris, ne quod nunquam fuisti importunè & odiosè superbus videaris. Quis enim vel mediocris ingenij, qui vtrarúmque, sacrarum scilicet ac secularium scripturarum seriem legerit, non aduertat, quantum magister humilitatis CHRISTVS humilia semper amauerit? Vt equidem à primo ordiar, ex quàm humili radice nasci voluit ille, cuius faciem videre summa, & sola fœlicitas est? An non ex nobilissima qualibet nasci posset, vel nobilitate quam vellet? Sed nobilitate contempta humilitas quærebatur. Egressa est virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit: cuius sub vmbra reges sedent, populi requiescunt, cuius orbis totus odore reficitur. Quæ-nã verò radix ista Iesse, quã superba, quàm nobilis, cui Ruth materna auia, mulier aduena, inops, vidua, orba, socrum extra fines patrios secuta, & post pueros messores, in agrum Booz ad legendum spicas, primum misericorditer admissa, deinde & nocturnis quoque blandiciis, in ipsius domini promota coniugium, vnde Iesse pater prodiit, per seipsum obscuri vir nominis? Ipsum quoque Iesse quis nosset, nisi propter eius filium Dauid? Imò quis quenquam nosset eorum, nisi propter CHRISTVM ex illorũ radice surgentem

tem? Quorum originem, quantum spernere, quantóque cum stomacho, & filium Isai, & seruum suum dicere, solebat ipse Saul compatriota superbior, nouissima licet familia editus, minime tribus Israël, quisquis regum libros legerit inueniet. Ipse Dauid, quamuis eximiæ virtutis atque excellentis ingenij, tamen adolescentulus pastor erat, quando est electus à Domino, & sublatus de gregibus ouium (vt ipse fatetur) & de post fœtantes, acceptus in Regem, pauit Israël innocentia cordis sui. An Moyses forte nobilior, quando visionem illam vidit rubi ardentis, & incombusti, quando tot prodigiorum signis illustratus, ad liberandum populum Israëliticum seruitute Ægyptiaca Deo iubente profectus est? Certè non rex, aut princeps, qui tanto operi eligeretur, sed humilis pastor fuit, & (quod magis stupeas) alieni gregis. Iam ipse pater Abraham, filiúsque & nepos, quorum nominibus omnis sacræ paginæ plenus est angulus, quorum tanta est gloria, vt omnipotens ab illis cognomen accipere, & Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob dici voluerit. Atque ipse de se loquens, eodem ipso cognomine vsus sit, putas, reges aut tetrarchæ essent? Imò verò vel agricultores, vel pastores ouium fuerunt, asellis vilibus insidentes, stipati gregibus suis, inter filios, & vxores sedes mutabant, sed in hac humilitate, Deum merebantur ducem, qui eo ipso tempore potentissimis ac superbissimis Assyriorum regibus, non modò familiaris esse, sed ne nosci quidem velle dignatus est. Ipse Iacob à quo in scripturis sacris, crebrius illud insigne cognomen, ac familiarius Deo est, non superbia originis, sed humilitate sua clarus, qualiter ab illo soceri sui diuturno, & graui seruitio redeat attende. Certè non sceptrum reuehit, non diadema, non purpuram, non currus aureos, non armatos exercitus, sed ouium & caprarum, boúmque acie instructa clam fugiens, filiorum turbam, ac seruorum, & simul duas ducit vxores, ac totidem concubinas, semen gentis innumeræ, quarum ex vtero, duodecim Tribus Israël, & tanta populorum multitudo, Deo fœcundante mulierculas, & humilitatem honorante descenderet, fiebant illis in figura, quæ superficie tenus cõtẽptibilia viderẽtur: essent autem

in ipsa rerum veritate magnifica. Si enim non aliter accepta fuerint quàm narrentur, quis non audita despiciat? Quòd si gloria temporalis clarior foret quàm humilitas, quis dubitet, quam in partem iste tantus Dei fauor, mulctato propensior futurus esset? Confer enim cum his tribus senibus tam famosis, cúmque omnibus illorum gregibus atque coniugibus tres immensis exercitibus subnixos Romanorum duces, Scipionem Africanum, Hannibalis cornua confringentem, & tributario iugo imperiosæ Carthaginis colla subdentem, Magnum Pompeium in Septentrione, atque Asia tonantem, & non lacte, sed auro repleta patria, captísque non ouium, sed regum gregibus, à mari rubro ad Mæotidas paludes, Riphæósque montes vniuersa calcantem, Iulium Cæsarem in Galliis ac Germania fulminantem, perdomitísque hostibus, ad postremum in viscera patriæ victricia pila vertentem, ipsámque tum gentibus imperãtem Romam, & in eo terrarum orbem vnico Thessalico prælio vincentem. Quanta quidem hæc sit imparitas rerum, vides, poterat nasciturus ex homine Dei filius, vel ex his nasci, vel eos ipsos è quibus nasci decreuerat tales facere, quippè qui vtrósque creauerat, poterat non Dauid in angustiis Iudææ finibus, sed Augustum in toto orbe regnantem habere stirpis auctorem, vel Dauid ipsum, tantum principem facere, quantum fecit Augustum. Poterat non in Bethleem vico exiguo, sed Romæ cui Iudæa inter cæteras seruiebat, & in thalamo aureo nasci, non in stabulo. Poterat natus, cui cœlum sedes est, cuius est terra, & plenitudo eius, non in summa paupertie, sed in summis deliciis enutriri, nisi quia nobilitatem, & delicias nostras spernit, vtinam & nõ oderit. Postremò poterat, qui ei succederent, suúmque nomen gentibus prædicarẽt, discipulos sibi literatos, ac potentes, reges, oratorésq; & Philosophos, non piscatores, rusticos, inopes, & indoctos eligere, nisi quia ipse Deus est qui superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiam, nec potentia nostra egens ad agẽdum, quoniã ipse dixit, Et facta sunt, neque ad persuadendum eloquentia mortali. Viuus est enim Dei sermo, & efficax; & penetrabilior omni gladio anci-

ancipiti,& pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretior cogitationum,& intentionum cordis Hoc ſermone diſcipulos ſuos armauerat,quādo eos ad perſuadendum generi humano,toto diſperſit orbe terrarum,non conſulari trabea,non imperiali diademate,non laurea triūphali, non Philoſophorum ſententiis, non Oratorum floribus, non aculeis ſophiſtarum: non denique Verbi ſapientiā (vt ait Apoſtolus) ne euacuaretur crux CHRISTI. Non inter eos Cæſar fuit,qui cogeret,non Plato qui doceret, non Ariſtoteles qui argueret, non Cicero qui ſuaderet, ſed homunculi pauperes, imbecilles & inculti, qui nunquam aut ſcholas intraſſent,aut literas didiciſſent. Ii tamen inter perſequentium gladios,& ferarum dentes,flāmáſque ac tortores, perſuaſerunt publicè quod volebāt CHRISTVM Deum & hominem natum paſſum,deſcendiſſe ad inferos,ſurrexiſſe à mortuis,aſcēdiſſe in cœlum, rediturum ad iudicium,& cætera omnia,quę ille mandauerat,qui,vt ſcriptum eſt,ſtulta mundi elegit, & infirma vt confunderet fortia, qui cùm prodeſſe omnibus veniſſet,elegit (vt ait Auguſtinus)prodeſſe imperatori de piſcatore,non piſcatori de imperatore.Quod ſimiliter prorſus de Oratore ac Philoſopho dici poteſt,idque non ætate rudi accidit, & ad credendum facili, ſed longè magis inueteratis literis,atque doctrinis,omníque illo antiquo, ex inculta hominum vita,errore ſublato, longéque magis iam doctis hominibus, ac temporibus ipſis eruditis quàm ætate Romuli fuerant. De cuius diuinitate credita Cicero loquens,ait:Hæc in ſua Repub. & Auguſtinus retulit in ſua,vt ad fingendum,ſi tum vix quicquam(vt idē ait)nūc omnino minꝰ eſſet loci.Antiquitas enim(inquit) recepit fabulas,fictas etiā nonnunquā inconditè, hæc ætas iā exculta præſertim eludēs,omne quod fieri non poteſt reſpuit. Quæ ſi(vt dixi) ad colorandam falſam Romuli diuinitatem,quæ credi iam cultiore ætate potuerit, Cicero,velut non parua argumenta conquirit,Roma vix dū condita, & vnum è ſeptē collibus vix integrū, eūque nō tectis, muróq;marmoreo, ſed dumoſo ambitu,& culmis agreſtibus occupāte,atq; adhuc neſcio quid paſtoriū

redolente, quid ætate CHRISTI dici debet, Roma dante iam iura gentibus, imperantibus Augusto, Tyberióque quorum sub altero natus, sub altero CHRISTVS est passus inter quod tempus, & Romuli ætatem, incredibilior, quàm pro numero annorum, rerum mutatio facta erat: non quod medium tempus exiguum sit, siquidem ex quo, propter suam insolentiam à Senatu Romano, ad Capreæ paludẽ discerptus est Romulus, vsque dum propter peccata nostra, in Iudæis, in monte Caluario crucifixus est CHRISTVS, paulò (nisi fallor) plus, minúsve septingentorum annorum tempus effluxit: quamuis enim Cicero minus sexcentis dixerit, non ad suam ibi, sed ad Africani, & cæterorum respexit ætatem, quos in eo ipso libro Reipub. loqui facit. Et præterea inter Ciceronis cædem sub Antonio, & CHRISTI passionem sub Pilato, quantum verisimilibus coniecturis assequor, septuaginta vel circiter annorum spatium intercessit. Longius ferebar, sed nuncius tuus scribenti imminet, & singulos calami tractus notat, morulásque medias metitur, & crebro ostium, cœlóque respiciens suspirat. Misereor, expertus, quid est, expectatio properanti animo, & ante destinatum, cogor vt dicam, humilitatem ama. Vale.

FRAN. PETRARCHA SOCRATI SVO, S. Epist. III.

Somnium, quod de inuento thesauro somniauerat narrat.

HEsternæ noctis somnium referã tibi. Videbar mihi incertum vnde, nihil enim tale, vel cogitare sum solitus, vel loqui, videbar (inquam) in agello meo, quem ad fontem Sorgiæ habeo thesaurum inuenisse: monetæ peruetustæ aureæ, non mediocrem cumulum, vnà spatiabamur soli (vt noster est mos) te itaque confestim euocans, digito rem designo. Ambos, vt fit, gaudium, stupórque defixerat: mihi quidem vt eram, memini enim, occurrebat illud Annei, Vitate quæcunque vulgo placet, quæ tribuit casus, ad omne fortuitum bonum suspiciosi, & pauidi subsistite, & fera, & piscis, spe aliqua oblectante decipi-

decipitur, munera ista fortunæ quæ putaris insidiæ sunt. De hoc ergo cõsultantes. pariuper hæsitauimus, læti, trepidique. Quid multa? Vltimæ insaniæ visum est, quod per terras ac maria, tantis laboribus, tantísque periculis quæri solet, id oblatum vltrò contemnere. Mox certatim oneramur auro, domum clam taciti conuehimus, additis pro tempore, qui exportari vno fasce non poterant, hoc semel, hoc iterum, & iterum facimus, & semper auidiùs: semper enim, vt natura rerum habet, cum pecunia sollicitudo, cupiditásque crescebant. Ferit aures interim murmur, inuisum secretum nostrum, nulli licet creditum, sponte sua in vulgus eruperat, nec ita multo post, nescio quis maior dominus locorum aderat, vendicans sibi iure thesaurum, obnitimur. Hinc primum longa & inamœna colloquia, inde lis, minæque, & semper litibus iuncta conuitia, illo acriter vrgente, nobis indignãtibus, in nostro agro reperta, nobis eripi, propitiæ dona fortunæ. Mille subinde rerũ motus, & mille consilia, nunc matura & cauta, nunc temeraria & acerba, cùm iam ad resistendum nos non tam nostra cupiditas, quàm inexorabilis aduersarij superba durities, inflammaret. Iam ab otio ruris, ad vrbana negocia, iam à studiis ad arma translati, nouis curarum turbinibus agebamur, iam pro inuentione peruigili, & inquisitione pulcherrima nouarum rerum, pernox odium atque ira successerant: postremò iam res litigio ad bellum se verterat Ita mutatus animorum status; & sæpe reperti auri pœnitebat; philosophabamur in insomniis. Vbi vitam serenam atque trãquillam linquimus? Quis nobis has curarum superinduxit nubes? Quis in has procellas nos impegit? An ignorabamus, in auro speciosam ærumnam, & splendidam esse miseriam. Necessitas cum diuitiis crescit, & fugit cũ mediocritate fœlicitas. Occurrebant aceruatim exempla eorum, qui vel in diuitiis infœlices, vel in paupertate fœlicissimi fuissent. Spernebantur inutiles opes Crœsi & funestum Midæ aurum, & Dionysij Crassique spolia templis auulsa: Laudabatur Cincinnati, Curij, Reguli, Fabricij fœlix & gloriosa pauperies: Accedebat acies hominũ nostrorum, qui nudi in solitudine, solibúsque & frigori-

bus adusti, radicibus herbarum & syluestribus baccis pasti, pro tecto cœlum, terram habentes pro cubiculo, cum voluptate torrentem turbidum hauserunt, asperóque, & angusto calle gradientes, spe patriæ melioris, omnia prorsus mortalia contempserunt. Cæterùm quò plura huius generis ingerebantur exempla, eò grauius dolebamus, non vidisse nos in tempore, sed in tergo (vt aiunt) oculos habuisse. Denique sic eramus, vt iam ne cœpto vellemus absistere, solus reddendi pudor obsisteret, & iam supremi certaminis instabat alea, cum repentè medio noctis, ira metúque anxius expergiscor, gelidus sudor corpus omne perfuderat. Ita me diuinitas saluum velit, vt ego perinde fessus animi, fessúsque membrorum erã, acsi graue durúmque negotium non somnians, sed vigilans agitassem. Nec facilè dici potest, quàm lætus fui, vbi sensi me thesauro simul & sollicitudine liberatum, & tantum habere, quantum alit, non quantum angit, quãtúmque vitæ sufficit, non quantum affluit. Quanquã per somnum in ea sententia radicatus sum, quam mihi vigilans persuadeo, esse verissimam scilicet, plus mali, quàm boni cupidis mortalibus afferre diuitias. Surrexi demum hora solita (consuetudinem meam nosti) dúmque quotidianis laudibus Deo dictis, ex more manum calamo applicuissem, hoc primum quod sopitum exercuerat, sese obtulit experrecto. Huius ergo sententiæ te participem facio, qui particeps somnij videbaris. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI TRICASTRINO, S. Epist. IV.

Promissis se velle stare.

PEtitionis tuæ memor, promissíque mei non oblitus, Italiam, siue (ne Grammatica lite implicer, quam in epistolis Ciceroni suo mouet Atticus) in Italiam vado. Scio quidem, & memini quid me de ipsius Ciceronis libris in ordinem redigendis, & quarundam (vt dicere soles) veluti scintillarum lumine declarandis, sæpe rogaueras. Demum quo ineluctabiles preces essent, vt Rom. Pontifex qui feruoris tui conscius hanc generosam bibliothecæ suæ custodiam ita tibi credidit, vt olim nostri principes, Iul. Cæsar Marco Varroni, Cæsar Augustus Pompeio Marco, & Rex Ægypti Ptolemæus Phila-

delphus Demetrio Phalerio, commisisse noscantur, curam prorsus ingenio tuo d.gnam: vt Romanus (inquam) Pontifex digredienti mihi suum hac in re modestissimè indicaret animum, effecisti. Quid facerem? notum licet ignoti Poëtæ carmen:

Est orare ducum species violenta iubendi,
Et quasi nudato supplicat ense potens.

Parebo, si potero. Nam etsi parere necessariũ, & tibi placere delectabile, contráque preces tuas spernere durũ, illius iussa negligere sacrilegũ, totũ in hoc vertitur, quàm mihi in illis quos poscitis, emendatis codicibus reperiendis, fortuna fuerit. Nosti enim, expertus sæculi nostri crimen, quanta sit rerũ talium penuria, cùm tamen inutiles & superuacuæ, imò verò penitus dãnosæ funestæque diuitiæ, tãtis curis ac laboribus aggregentur. Quod in me erit, studium indefessum, ac diligentiam adhibebo. Ac ne moram fortassis accuses, scito me reparãdis viribus corporeis, quas morbus imminuit, in solitudine mea ad fõtem Sorgiæ, vsque ad Autumni temperiem subsedisse, metuentem corpus adhuc inualidũ longæ vitæ cõmittere: nunc auctis volẽte Deo viribus, atque æstibus imminutis iter arripiã. Interea vtinam scire posses, quanta cum voluptate soliuagus ac liber, inter montes & nemora, inter fontes & flumina, inter libros, & maximorum hominũ ingenia respiro, quámque me in ea quæ antè, sunt cum Apostolo extendens, & præterita obliuisci ñitor, & præsentia non videre. Vale.

FRAN. PETRARCHA LÆLIO SVO, S. Epist. V.

Quod non multa ad eum scribat, se excusat.

MVlta scribere tempus dehortatur, somnus prohibet. Noctem iam tertiam insomnem ago, neque veteribus curis liber, & oppressus nouis, quas mihi profectio mea peperit, multa in faciem & in tergum curanda denuncians. Cùm ex æquo despicere omnia in animum induxero (quod magna ex parte iam feci) tum primum tranquillos somnos carpere

incipiam, non aliter quàm Aeneas ille Virgilianus, qui
------Iam certus eundi.
Carpebat somnos rebus iam ritè paratis.
Aut enim fallor, aut anceps & longa deliberatio plena molestiæ ac laboris est. Dubitandi exitus initiū est quietis. Dici nequit, anxia mens & consultationibus vagis exercita quantum electione consilij, in vnum aliquod versa propositum, conquiescat. Tunc igitur, vt occurret (nunc semi sopitus, & velut insomnis loquar) excusationem tuam, quamuis superuacuam, amplector: scio enim locorum distantiam, vt amantibus odiosam, sic honestis amicitiis non obesse. Vbicunque ergo erimus, simul erimus. De negotio tuo faciam vt scribis, quod mihi scilicet fieri vellem, breuiter expedire. Nil enim in me molestius experior, quàm verbis trahi, hanc amicis sciens molestiam nunquam feci, nec faciam quidem. Placebo si potero; alioquin ne despiciam prouidebo. Versus tuos excitato apud Helicona nostrum ingenio texere meditabor: sed nescio, qualiter schedula tua, quam decies in manibus habui, discedentem me fefellit, & sine me domi substitit. Quære eam ibi, & post me mitte, licet & sine illa scire videar, quid dicturus sum, modo frondosi nemoris vspiam diuerticulum occurrat. Tribunitiæ literæ copiam, quam mihi misisti, vidi, legi, stupui. Quid respondeam nō habeo, fatum patriæ agnosco, & quocūque me verto, dolendi causas materiámque reperio. Roma enim lacerata, qualis Italiæ status? Italia deformata, qualis mea vita futura est? In hoc publico & priuato mœrore, alij opes, vires alij corporeas, alij potētiam, alij consilium conferent. Esse quid conferre possim, præter lachrymas non video.

FRAN. PETRARCHA SOCRATI SVO, S. Epist. VI.

Mediocritatem se amare scribit.

SVmmæ quidem rerum mearum, quas spectatæ fidei tuæ credidi, nihil detraho, nil adiicio. Non tantùm firmus, sed fixus etiam in proposito meo sum, cuius si meministi, superuacuum est, quicquid de hac re vlterius loquor. Vt tamen me, mei non immemorem scias, breuiter sic

ter sic habe. Magnæ fortunæ appetens nunquam fui, siue id modesti, siue pusilli, siue(quod quibusdam magnis viris placet) magni animi est, vera quidem, & vulgo etiam nota commemoro, & quorum te in primis testem habeo, & interdum laudatorem, interdum verò pro qualitate temporum amicissimum reprehensorem, quod scilicet(vt verbis tuis vtar)cœpto nimis insisterem, & vidẽdum esset, ne vnde famam summæ constantiæ quærerem, inde pertinaciæ nomen infamiámque consequerer. Me tamen consilij mei hactenus non pœnitet: Omnis enim mihi altitudo suspecta est, & præcipitij admonet omnis ascẽsus, multoque facilius natura duce in illorum consortium declinare, qui(vt ait Poëta)

Habitabant vallibus imis:

quàm eorum qui(vt ait idem)

Posuère in montibus vrbem.

Quæ cùm ita sint, si optata mihi mediocritas, quam iure Flaccus auream vocat, vt pridem promittebatur obuenerit, est quod grata intentione suscipiam, & perliberaliter mecum agi dicam. Si inuisum illud & graue maioris officij oris imponitur, renuo, excutio, pauper esse malim quàm sollicitus, quamuis vt res erunt. & vt est animus, pauper esse non possim. Hæc & his similia, quæcunque inter nos in hanc sententiam dici solent, tu qui nosti optimè & amicis & dominorum domino nota fac obsecro, cùm tempus videbitur, quamuis à me ipso nec occultata, nec tacita. Sed sunt quidam, quibus vt in animum penetret, sæpe veritas inculcanda est, quod eò nunc minus mirer, quò quicquid de me modò dicturus es, videri scio & ab ætatis nostræ moribus, & ab ipsa vulgi opinione remotius, cum quo mihi vt in multis, sic præcipuè in eo quod nunc agitur, discordia multa est. Sed incredibilitatem audientium, vigor animi, & facundia loquentis excutiet. Multa Socrati meo de re qualibet, sed multò plus auctoritatis, ac fidei fuerit amico de secretis amici cõsiliis differenti: multa quoque de amici ore, quàm de proprio, fauorabiliùs audiũtur illud in finẽ ne dissimules, ne quis fortè de nostra simplicitate sibi placeat. Non est vera liberalitas dura, non lenta,

non difficilis, nihil respicit, nisi quem complexa est; illi morigera est, non iubet illa, sed obsequitur, & implet vota non limitat. Scimus ergo, quia petenti modicum immensa porrigere, species est negandi. Vale.

FRAN. PETRARCHA NICOLAO VRBIS ROMAE TRIB. S. Epist. VII.

Famam amici imminutam indignatur.

Fecisti, fateor, vt sæpe per hoc tempus, illud apud Ciceronem loquentis Africani dictum multa cum voluptate repeterem: Quis est hic, qui complet aures meas, tantus & tam dulcis sonus? Quid enim in tanta claritate tui nominis, ad tam lætos, & tam crebros rerum tuarum nuncios conuenientius diceretur, idque quàm cupidè fecerim, inscriptus tibi exhortationum mearum liber indicat, stimulis meis ac laudibus tuis plenus. Noli, quæso, committere vt dicam: Quis est hic, qui vulnerat aures meas tantus & tam tristis fragor? Caue, obsecro, speciosissimam famæ tuæ frontem propriis manibus deformare. Nulli fas hominum est, nisi tibi vni, rerum tuarum fundamenta conuellere; tu potes euertere qui fundasti. Solet architectus esse optimus propriorum operum demolitor. Nosti quibus tramitibus ad gloriam ascendisti: versis retrò vestigiis inde descenditur, & naturâ facilior est descensus. Latissimè enim patet, neque solum apud inferos locum habet (quod à Poëta dicitur)

Facilis descensus Auerni.

Tantum ab illorum desperata miseria præsentis vitæ varietate differimus, quòd quamdiù hic sumus, cadimus quidem, & resurgimus, descendimus, & ascendimus: inde autem nullus est reditus. Quid verò dementius, quàm cùm stare possis, cadere fiducia reassurgendi? Semper ex alto periculosior casus est. Et quid, oro, virtute altius ac gloria, quarum in vertice conscenderas nostris temporibus inaccesso, tamque impigrè, & tam insueto calle ad summa perueneras, vt haud sciam vsquam formidolosior cui sit ruina. Pedem figere oportet obnixius vt consistas, neque spectaculum præbeas ridendum hostibus, lugendum tuis. Non quæritur gratis clarũ nomen, nec seruatur quidem.

Magna

Magnus enim labor est, magnae custodia famae:

Permitte mihi meo versiculo tecum vti, qui adeò mihi placuit, vt eum ex quotidianis Epistolis non puduerit ad Africam transferre, & hanc mihi quoque durissimam necessitatem exime, ne lyricus apparatus tuarum laudum (in quo teste quidem hoc calamo multus eram) desinere cogatur in Satyram, neu me casu in hanc narrationem incidisse, aut de nihilo locutum putes, E curia digressum amicorum literae consecutae sunt, in quibus ad me rerum tuarum discolor, & primae multum dissimilis fama peruenit. Non te populum vt solebas, sed partem populi pessimam amare, illi obsequi, illam amare, illam admirari. Quid dicam, nisi quod Ciceroni scribens Brutus, pudet conditionis ac fortunae? Mundus ergo te videbit, de bonorum duce satellitem reproborum. Sic nobis subitò turbata sunt sydera? Sic infensa diuinitas? Vbi nunc ille tuus salutaris genius? Vbi (vt visitatiùs loquar) ille bonorum operum consultor spiritus, cum quo assiduè colloqui putabaris? Neque enim aliter talia fieri posse per hominem videbantur. Quid autem torqueor? Ibunt res, quà sempiterna lex statuit. Mutare ista non possum, fugere possum. Itaque non parum mihi negotij remisisti: ad te animo properabam, flecto iter. Certè te alterum non videbo. Tu quoque longùm vale Roma, si haec vera sunt: Indos ego potius, aut Garamantas petam. Súnt-ne autem vera haec? O multũ principio dissimilem finem, & ò nimium delicatas aures meas! Assueuerant magnificis rumoribus; pati ista nõ possunt. Sed & possunt falsa esse quae loquor, & falsa sint vtinam, nunquam libentiùs errauerim. Magna quidem apud me est scribẽtis auctoritas, sed cognitae mihi multis indiciis generosae dicam, an animosae cuiusdam inuidiae nõ paruа suspitio. Igitur etsi plura loqui dolor imperet, frenabo tamẽ impetũ, quod profectò nõ possem, nisi quia sollicitudinẽ meã incredulitate cõsolor. Secũdet haec Deus, & laetiora faciat quàm narrantur, potiúsque me amicorũ alter mẽdacio quàm impietate alter flagitióque laeserit. Siquidem consuetudine pessima effectũ est, vt mendacium iam quotidianum, & vulgare peccatum sit:

proditorem patriæ, nullius æui licentia, nulla consuetudo, nulla libertas criminum excusat. Potius ergo ille mentiendo paucos mihi mœstos dies, quàm tu patriam deserendo mœstam omnem vitam feceris. Ille siquid verbo deliquerit, verbo purgabitur: tuũ si (quod fictum cupio) verum scelus est, quibus vnquam piaculis abolendum speres? Immortale decus est, immortalis infamia. Quamobrem si (quod opinari nequeo) tuam fortasse negligis, at saltem famæ meæ consule. Scis quanta mihi impendeat procella, quanta, si labi cœperis, in caput meum reprehensorum turba conspiret. Proinde dum tempus est (vt Terentianus loquitur adolescens) etiam atq; etiã cogita, circũspice oro, summo studio quid agas, excute acriter teipsum, examina tecum, nec te fallas, qui sis, qui fueris, vnde, quò veneris, quorsum, inoffẽsa libertate progredi fas sit, quam personam indueris, quod nomen assumpseris, quam spem tui feceris, quid professus fueris, videbis te non dominum Reip. sed ministrum. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI ARETINO, S. Epist. VIII.

Patriæ libertati congratulatur.

OMnia optatò proueniunt, amice. Gratulor ego libertati patriæ, principum nostrorum gloriæ, tranquillitati ciuium, religionis augmento, publicæ lætitiæ, singulariter honori tuo, cuius manibus turbidæ hactenus & tenebrosæ vrbi blanda serenitatis, & pax prædulcis inuehitur, votiuo quoque successui familiarium rerum tuarum gratulor. Perrarum est, vt læta cumulatè accidãt, quin fortunæ dulcia semper immixtus aliquis amaror inficiat. At si quando plenè propitia esse vult, ex amaritudine rerum ipsa dulcedinem insperatam, miris modis nouit elicere. Sæpe igitur dura molliens, & inflectẽs quæ tristia videbantur, vertit in gaudium. Vtendum fortunæ muneribus, non fidendum: certè hoc vno artificio vsa est. Itaque quid vis dicam? Non tantùm votiuis euentibus, sed casibus ipsis nostris, atque difficultatibus gratulari incipio. Vni scilicet motiunculæ illi tui corporis, quam ingens, atque animi multiplex lætitia temperata

est, &

est,& viarum mearum impedimētis multis ac variis: quibus effectum spero, vt ambo simul in patriā reuertamur.

FRAN. PETRARCHA THOMÆ MESSANENSI.S. Epist.IX.

De ficta amicitia.

AGreste prouerbium: Lectum cani sternere magnus labor. Dicti ratio si quæritur, quia scilicet accubiturus huc atque huc in gyrum vertitur, vt nescias vti puluinar colloces. Ludicra quidem cogitatio illius, cui primum hoc dicere in animum venit, & tamē sic est. Idémque de multis hominibus dici potest, quod de cane dictum rides. Multi enim sunt, quibus nihil rite fiat, ita crebro voluūtur, vt quam in partem sint casuri, aut quid velint, sciri nequeat. Cum illis placuisse credas, nihil egeris, omnis labor, omne periit obsequium, si vrbanas illis offeras delicias, ruris frugalitatem laudent: si ex vrbe deduxeris, frequentiam quærant, solitudinem execrentur, si colloquio exceperis, fastidiant, indignentúrq; si taceas, absentes desiderent, præsentes despiciant amicos, sæpe etiam oderint. A talibus semper abesse consultiùs. Intelligis quid velim, & frustrà erit, quicquid amplius dixero. Dico tamen, ne qua dissimulationis occasio tuæ mansuetudini, meo silentio præbeatur. Vt quid operam perdis, generose anime? Longè tibi imparem atque dissimilem nactus, pedem retrahe, ab incœpto laborioso & inefficaci redi. Conciliare illum tibi ne quicquam niteris, inuito amicus esse non potes, formidabilis inimicus potes esse, quem nunc ille contemnit, timere incipiet, si apertè incipias irasci, sentiétque quisnam esset, quem gratis ingrato animo lacessendum duxerit. Medicorum morem in hoc ægro & infecto homine sequere, ore te experire contraria. Mansuetudine irritas. Efficax fortè seueritas fuerit, odiúmque potentius amore, quem blandientem spernit, horrebit ex professo inimicitias exercentem. Moribus aduersum meis, sed consentaneum rebus consilium dedi. Quid enim illi facias, qui amorem vocet insidias, humànitatem putet esse formidinem? Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI ANCHISEO, S. Epiſt. X.

Qua cauſa potiùs Ciſalpinam Galliam, quàm Florentiam petierit.

LIteræ tuæ plenæ gratiſſimis atque dulciſſimis reprehenſionibus, inuenerunt me circa Padi ripam. IX. Cal. Aprilis ad veſperam. Confer aduentus diem cum illarum miſſione, & vide ſi eo temporis ſpatio venire debuiſſent ex Ægypto. Venerunt cum eis & amicorum literæ, & duorum facie mihi non notorum, ſed vtique illuſtrium (vt dicis) Iuuenum, vt ſcripta teſtantur ſenum, quales vtinam multos haberet ciuitas veſtra, ſi tamẽ non eſſet in exilium miſſura, imò etiam ſi miſſura, quorum diſperſio reliquas ſaltem ciuitates Italicas adornaret: Sed omitto hanc inexhauſtam ſemper, & veterem querelam, & reuertor ad literas. Omnium ferè vna ſententia eſt. Arguor poſt propoſitum veniendi Florentiam iter in Ciſalpinam Galliam deflexiſſe, quaſi natalis patriæ contemptor, & ſpes ac vota multorum me illic expectantium eluſiſſe. Poſſum ad hæc multifariam reſpondere, & quid aliorum reſpõſurus ſim literis nec dum ſcio, reſpondebo tamen aliquid licet occupatiſſimus: rogas enim. Sequar impetum, dum calamus erit in manibus, ille mihi quò ſe duci velit, oſtendet. Certè cum illis, vt ſtylo ſcribentium ſatisfiat, muſarum mihi præſidio opus erit: tibi autem, cui ſine vllo artificio aperta & nuda omnia eſſe debent, vnum hoc minimè tacuerim, quod neque viarum labor, neque peſtis anni huius vniuerſum orbem, ſed cuncta præſertim littora proterens atque conſumens, neque animi mei dolor, neque mala (niſi fallor) & iniqua patriæ tractatio me à ſuſcepto itinere detorſiſſet, præſertim cum maiore laboris parte confecta iam Ianuam peruenissem. Hæc igitur verior & potior cauſa fuit, quod ſecundum ſpem, quam mente conceperam, imò verò (vt euentus docuit) ſomniaueram, fieri non poſſe videbatur, quin aliquem tibi rerum noſtrarum lætiorem exitum afferrem. Itaque dulce erat expectare, donec in locum ſpei res ipſa ſuccederet: & iam non curſum modò, ſed volatum meditabar, videbárque mihi ſine vllo laboris ſen-

su alpes Bononiæ transiturus(Apenninum vulgariter alpes dixi) Inde enim improuisus licet, non inexpectatus tuis & amicorum oculis adesse decreueram. Accedebat quòd hinc potissimè cœpti operis adminicula sperabantur, quibus mora omnis inimica erat, quippe cùm nec celeritas exacta suffecerit: Quid dicam? Scio res solidas esse, spes inanes, scio quòd qui spem prodit, nihil perdit. minus dixi, multum verò lucratur, & tamen expertus loquor, vt nulla minor iactura, quàm spei, sic nulla molestior causa est, quia sæpe pluris fiunt sperata quàm possessa, & sæpe quantum nos spes rerum blanda fefellerit, adipiscendo cognoscimus. Hinc est, vt quotiens ante experimentum spes interiit, graui nos incommodo affectos extimemus. Præuertit ergo consilium meum Deus, & curas, quas pias arbitrabar, superuacuas declarauit, vt vel sic edoctus agnoscerem, cogitationes hominum vanas esse. Et de hoc quidem hactenus. Super negotio litis nostræ nil aliud dico? Res in curia vertitur, spero fore vt illius prædonis insidiæ detegantur. In omnes tamen casus paratus est animus. Victor gaudebo, victus victa cum iustitia me solabor. Non nunc primùm fortunæ ludis exerceor: didici quibus artibus caducæ spei vulnus eluditur. Eant igitur res vtcunque modo, ego non moueor, neque hercle quo moueri debeam intelligo. Nempe æquo animo possum vel assequi, quod meum est, vel dimittere quod nunquam assequi potui, Compendiaria ad diuitias Philosophorum via est, quæ monstrat non addendum diuitiis, sed cupiditatibus detrahendum. Hanc sequi disposui, ne in illud durum ac laboriosum negotiorum inextricabilium iter incidam, à quo me Deus & & ipsa naturæ meæ conditio manu (vt ita dixerim) retraxerunt. De lite igitur sit quicquid esse potest, mihi paupertas mea non molesta, nec sordida, sed plus etiam quàm vellem, inuidiosa sufficiet, cum qua si bene mihi conuenit(vt videtur Senecæ) diues sum. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI ANCHISEO, S. Epist. XI.

Aduentui amici gratulatur.

CRedi non posset, quantum mihi curarum decesserit, quantúm-ve lætitiæ accesserit recenti quodam nuncio, quod tecum, quamuis multa loqui locus tempúsque prohibeât, partiri quantalibet breuitate disposui. Franciscum nostrum aduentare audio, & iam esse Massiliæ, multis quidem iactatum casibus, & terrestribus maritimísque periculis saluum tamen. Et ad me primùm ille nunc recto, vt aiunt, calle festinat, & de viarum, vt certus sum, prolixitate conqueritur, sæpe Virgilianum illud in ore habens:

Italiam sequimur fugientem, & voluimur vndis.

Nec immeritò: putabat enim me in Gallia reperire. Sed illam curiæ sentinam tolerare nequiueram. Proximus illi saltus in patriam. Tui eum desiderio ardere certè scio, sed mihi crede, (quod non scriberem, si propositum meum præuertere posses vlla prouidentia) crede, inquam, mihi, de consiliis hominum fortuna iudicat. Inter cogitatus atque actus magnus quidam (vt vulgò dicitur) mons est, quando hic erit, quem iamiam affuturum spero, iniiciam manus. Imperiosa res est amor, nihil non licere sibi extimat. Videbor iure meo vti, si quasi reinuentum thesaurum domi recondidero, curámque sumpsero, ne tam facilè rursus eo caream. Id tibi prænunciatum velim, quò patientius feras cùm acciderit. Neque enim vt aduentus sui famam tecum modò partitus sum, sic ipsum quoque partiar amicũ. Multo rarior, multóque pretiosior res est amicitia, quàm aurum, in qua si quid auidius egero, excuset vtcunque possessæ rei pretium duritiem possessoris. Ego quidem te cõsortem non reiicio, ita tamen vt præsentem partiamur. Vt partem igitur tuam feras, imò verò vt pro vno duos habeas, venire te amor agat. Vale.

FRAN-

FRAN. PETRARCHA IOANNI ANCHISEO, S. Epist. XII.

Amici sui mortem immaturam dolet.

HEu quid hoc est? Quid audio? O spes mortalium fallax! ô curæ superuacuæ! ô labilis status, nihil homini tranquillum, nihil stabile nihil tutum! Hinc fortunæ vis, hinc mortis insidiæ, hinc fugacis mundi blandiciæ. Vndique circunuallamur miseri, & inter tot laqueos, spondere nobis iucundum aliquid audemus? Totiens frustrati, totiens ludibrio habiti, sperandi consuetudinem & millies elusam credulitatẽ nescimus exuere: tanta fœlicitatis licet falsæ dulcedo est. Heu demens, heu cæce, rerúmque oblite tuarum, quotiens mecum dixi: Vide hic, nota, attende, subsiste, recogita, imprime signum fixum, mansurum, indelebile, memento fraudis huius & illius, nihil vnquam speraueris, nihil credideris fortunæ, mendax est, varia, leuis, infida, priora eius blanda & mitia, posteriora acerbissima, nosti iam hoc ferale prodigium, expertus à nemine iam docendus. Tuis igitur exemplis tibi consule, & vllum cum hac inire commercium caueto, æquè promittententem, ac negantem despice, æquè rapientem, largientémque contemne. Hoc decreueram, hoc mente firmaueram: at post tam virile propositum, ecce rursus quàm muliebriter, quàm ineptè decidi, ridiculosè dixerim, an verò flebiliter? Ridiculosè aliis fortasse, mihi quidem prorsus mirabiliter ac miserrimè. Post tot rerum speratarum inopinos casus, induxi in animum sperare iterum atque huic momentaneo, & velut hybernæ serenæ noctis credere, & ex euentu crastini pendere præceps, temerarius, inconsultus, interblandiri curis mordacibus ausus sum. Ecce iam dilectus meus aderit Franciscus meus, non minus mihi iunctus voluntate, quàm nomine, non minus amore quàm sanguine. Ecce aderit, & fortè iam adest: tam vehementi enim meditatione in eum incubueram, vt sæpe velut ante oculos aspicerẽ tanto maris ac terrarum spatio distantem, & heu, nunquam amplius in huius mihi peregrinationis exilio reuiuendũ. Sed ego iure quodam meo (quod amantium omnium est

commune) fictis congressibus, atque colloquiis, inuisæ moras solabar absentiæ, mecúmque ipse (vt fit) quadam cum voluptate fabellabar. Quotiens aliqui ex pueris meis, quibus ille se fecerat multa morum suauitate charissimum, ad me aliquid nunciaturus intrauerat, ita erã, quasi ille iam afforet. Quotiens, quisnam fores impulerit fluctuabam, & pastorium illud in primis occurrebat animo:

Nescio quis certe est: & Hylas in limine latrat
Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Hæc miser amans somnia fingebam, his angebar curis, his æstuabam sollicitudinibus, pascebárque tenui quadam spe, non aliter quàm opimis per quietem dapibus sopitus, esuriens. Et latratus canum, & seruorum voces, & moti stridor cardinis, & pauimentum proterens vngula cornipedis, & omnis omnino strepitus excitabat. Quotiens vel libellos, quibus inhiabam, vel cui inhærebam, calamum festinabundus abieci? Quotiens surrexi? Quotiens prosilui, videndi auidus, tenendíque dilectum meũ, & curarum mearum prædulcissimum participem. Neque fratrem solum (vt Tullij, quibus hoc loco possum, propriè verbis vtar) sed suauitate fratrem propè æqualem, obsequio filium, consilio parentem, quem nescio an nimis sero cognouerim, an veriùs nimis citò: nisi enim amare hominem cœpissem, nequaquam morte eius in has lachrymas incidissem. Biennio vix integro illius conuictu, & amicitia fretus sum, tempus heu! vix alloquij, ne dicam amicitiæ satis patẽs. Sed hoc vno solor orbitatem meam, quod ambo certatim illius temporis breuitatem ardentissima hinc illinc charitate laxauimus, & quicquid in amicitia dulce vel sanctum est (quod in spatioso æuo alij solent) nos explicuimus in angusto, vt iam delectatio nostra diuturnior, amicitiæ verò fides certè neque syncerior, neque familiaritas arctior esse posset. Inuidit gustatam mihi vitæ dulcedinem fortuna plurima & magna fidei suæ pignora sanus ægérque suscepi, quæ in animi mei penetralibus adamantina sede recondita: spero itidem de me ille sentiret, eòque propensius, quò & humaniorem illum, & amantiorem natura protulerat,

tulerat. Nunc autem illius temporis memoria, & amara mihi simul & dulcis est, hinc mulcet, hinc cruciat, nec satis expedio, malím-ne fuisse illi homini notus an incognitus. Amicum enim talem fœlix & dulce quidem habuisse, sed amisisse miserrimum atque amarissimum. Nunquam ferè aliàs meipsum, vt nunc, excusseram, quòd non sine pudore fateor, & affectuum in me plus, & virium minus quàm opinabar, inuenio. Putabam enim me (& dignum erat) multa lectione longáque rerum experientia obduruisse aduersus omnes ictus, & iniurias fortunæ. Fallebar infœlix: nihil me mollius, nihil eneruatius. Putabam, imò equidem certus eram, me Franciscum meum amare tenerrimè, hoc enim illius erga me charitas, & obsequia merebantur. Quantum tamẽ amauerim, heu serò, nec aliter quàm perdendo cognoui, ideóque nunc intractabiliùs vlcerosa mens dolet, plus se cernens amisisse quàm crederet. Qua in re nihil magis obfuit, quam impræmeditatio eius, quod euenire necesse erat. Non cogitaueram moriturum, & profectò, si quis in hoc torrente rerum humanarum ordo esset, antè me mori non debuit, post me natus. Accessit feruens atque anxia eius expectatio, de qua multa iam dixi. Sic enim ipse mihi supremo lachrymans digressu, sic deinde per literas pollicitus: sic Socrates meus non futurum iam, sed præsentem eius nunciauerat aduentum, digressum ex Gallia recto ad me tramite in Italiã properare. Heu mihi, nunc recolo, velut adhuc fœlix atque integer, proximam abscisionem, & instantes miserias præsagirẽ, méque cõfestim scirem optima mei ipsius parte cariturum. Breuissimam fœlicitatem meam nitebar expendere, quid fata mecum agerent ignorans. Veniet, dicebã priùs me grandæuum patrem, quàm dulces fratres ac sorores visere. Iniiciam manus, ac tenebo. Hîc magnis viribus opus erit. Opitulatorem ex aduerso inueniam. Amor qui cum illo habitat, partes mecũ faciet. Iam ille crebrò mihi dicere consueuerat Horatianum illud:

Tecum viuere amem, tecum obeam libens.

Sed ecce manus, quas ego sibi iniicere cogitabam, mors iniecit, & (quod ad te pridie breui quadam epistola dixeram, de consiliis hominum iudicare fortunam) longè

aliter atque ego senseram interpretata est. Nunc erepta spe, geminatóque desiderio, quid agam? Lachrimís-ne atque suspiriis alar, & in amissi locum memorem meum indesinenter amplectar? An verò serenare animum nitar, & circumstrepentibus fortunae minis in arcem rationis euadere? Hoc praestat, illud placet, hinc virtus erigit, hinc affectus incuruant: & quo me vertam, quíd-ve potissimũ sequar incertus sum, & malè mihi est saepissime cadenti, saepissimè resurgenti Saona nocens, atque impia, quae me his anxietatibus inuoluisti. Quid tibi pro meritis imprecer? Abstulisti animae meae dimidium, ac florentissima aetate crescentéque iuuenem virtute, dum adhuc ordiretur, inexorabiliter succidisti, & nunc illi pectori, in quo Franciscus meus hospitabatur, violenter incumbis. Ipse enim abiit, te licet inuita. Nihil in illum iuris habes: corpus tantum illius, & spem meam simul obruis, pro quo quid aliud optem tibi? curuati in arcum colles extendãtur, vt in faciem directi & importuosi littoris redacta iniquam praebeas classibus stationem. Corruant moenia, & manufacta praesidia, quę ventis ac fluctibus obiecisti. Huc vis Syrtium, & Eurypi feruor, huc Scyllea rabies, huc Charybdeus impetus, & quaecunque vasti maris pericula trãsferantur. Laxet Aeolus inquietos fratres, Austrum & reliquos, qui tuis finibus insultare sunt soliti, vt toto orbe tranquillo, te vnam perpetuae quatiant procellae, quicquid vel mortium, vel morborum per omnes terras ac maria pestifer hic annus effudit, in te solam confluat, quaéque aliis annuatim, tibi pestis aeterna sit. Purgetur insula Sardinia, & quicquid coeli crassióris vsquam est, purgentur stagna, & sulphurei lacus, limosaeque penitus paludes, tepescat arctus, refrigeretur Aethiopia, vacuetur serpentibus suis Africa, tigribus Hyrcania, quicquid monstrorum, & immanium belluarum orbis habet, in te ex omni terrarũ parte conueniat. In te tristes nebulae, in te latices funesti, & inclementes aurae, in te frigora, aestúsque desaeuiant. Denique cum summa humani generis salute tu sola depereas, tu locus mortis, tu formidinis ac terrorum regio, tu luctus ac miseriae domus esto, te peregrinus, te mercator, postremùm te ciues tui fugiant, te viator pallidus à

summis

summis montium despiciat iugis, te nauta trepidus ex alto prospectet, & infamem scopulum declinans opem velorum remis adiiciat. Heu, quò me dolor perpulit, quid loquor, aut vbi sum? Mortalis mortalis tam grauiter fleo, & insontem terram, quæ suum ius recipit, execror, incertus vbinam ipse moriturus, atque hunc puluerem terræ redditurus sim. Itaque iam lamentis, & gemitibus abstinendum est, & pro fratre præmisso, dum supersumus, orãdum, id potius viros decet. Tibi verò, ciuitas pulcherrima, quæ depositum meum seruas, ad meum seruas. ad me tandem reuersus gratiam habeo, quod in terra forsan barbarica iaciturum ipsa complecteris. Vitæ quidem breuitas fatalis fuerat: tuum est, quod amico meo iuueni licet, fesso tamen iam curarum, contigit Italici saltem requies sepulchri, leue solamẽ, sed multis iam viris illustribus optatum. Te nimirũ hactenus, vt cupidè viderẽ, ipse terrarum situs, amœnitásque præstabant: deinceps charissimi mihi cineris seruatricem amara quadam dulcedine multo libentius videbo. Si enim amantissimę olim coniugi Põpeij sui mors, & truncatum impiè cadauer arenas Niliacas commendabat, vsque adeò, vt inde nollet auelli, cur nõ ego dilecti mei perpetuam sedem littus Italicum amabo? Salue tellus egregia, fraternarum reliquiarũ custos fidelissima, tu me largiùs flere, tu parciùs sperare docuisti. Tu autem, ante tempus erepte mihi frater, qui hæc in me lamenta præcipitas, æternum vale. Ego quidem ex te gaudium ac solamen, quod in his, quibus assiduè morimur, terris expectabam, vbi neque gaudij, neque solatij locus est, multò certius præstãte Deo, multóque cumulatiùs deinceps in terra viuentium expecto. Sed ecce nunc experior quod apud Statium legi:

Dulce loqui miseris.

Profectò sic est. Quàm multa enim non sentiens, impetu magis quàm animi iudicio dolenter effudi, nec loquendo satior, sed accẽdor, nec desinere quidem scio. Abrumpam igitur. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI COLVMNAE, S. Epist. XLII.

Forti animo fratrum, & nepotum obitum ferendum esse.

FAtebor ingenuè, etsi enim soluendo non sim, bonæ fidei debitor sum: fatebor tibi, me omnia debere, ingenium scilicet, & corpusculum hoc, quod peregrinus inhabito, & siquid externorum obtigit bonorum. Neque enim minus aula tua animo meo cõtulit quàm corpori, quàm fortunis. Sub te nutritus à iuuentute mea, sub te auctus atque eruditus sum, quantum vel intercurrentium casuum malignitas, vel ingenij mediocritas passa est. Vt ex merito teneat, & hunc calamum, & hanc dexteram, & hoc quantulumcunque est animi lumen, ad animi tui solamen refrigeriúmque conuertere. Id me in aliis malis, nostris pro viribus, obseruasse memini, nec vt reor, oblitus es. In hoc verò tam graui támque intractabili & funesto vulnere, quod nobis nondum flentibus nostris satiata mors intulit, quid agerem, quid loquerer, vel omnino quid hiscerem, non inueni. Corrui miser ad primam rei famam, & velut repentino fulminis fragore dirigui. Deinde vbi primum sparsa rationis arma colligere, & prostratum ac iacentem animum attollere posse cœpi, literas infœlicissimi rumoris, quem prius ab egregio viro Paganino, Mediolanensi, qui hanc vrbẽ regit, dolẽter narrãte, mœstus audierã, poposci, & ostẽsas nõ sine lachrymis legi. Enimuerò illic ambagibus perplexa omnia, & nil penitus certum legebatur, ab vrbe veteri fama surrexerat, mox perlata Florẽtiã, & per quorundã religiosorum literas Apenninum transgressa Bononiam primò, inde ad nos semper, vt fit, crescendo ac variãdo peruenerat. In re igitur dubia (quia natura hoc habet, vt audita quæ displicent, vix totis præcordiis admittantur) malui mihi interim fœliciora promittere. Sic ægra mens ad melioris spei dulcedinem recurrebat: ea tamen euanida, & velut somniantis miseri fugitiua fœlicitas erat. Quid multa? Quamuis assiduè superuentu nouorum nunciorum spes illa decresceret, nihil tamen

prius

prius planè compertum sciui, quàm ad me Socratis nostri lachrymabiles literæ peruenirent: ita mirum Tybernas ærumnas ex alio orbe mihi Rhodanus nunciauit. Ille verò mihi literæ ancipitis spei refugium præcluserant, quo effectum est, vt ad modicum intellectus, vnde nonnunquam animi medelam mihi atque aliis elicui, fletus & questuum pondus opprimeret, non cessi tamen nec cessaui? Quotiens assurgere nisus, scribere aliquid volui? Quotiens libellos euolui rubiginem ingenij tabescentis abstersi, & in intimas memoriæ meæ cellulas mœstus scrutator introij? Denique omnia feci, incassùm tamen. Venerunt ad manus meas epistolæ quædam, quas visitante nos sæpius fortuna per hos annos vtroque stylo ad te miseram; in quibus nihil omnino meis, ne dicam tuis angoribus, non solùm curandis, sed etiam leniendis satis efficax visum est. Et pudebat toties vulgata repetere: noua autem cudere exhausto in primis ingenio non valebam: ordiri tamen & tentare non destiti, si fortè supra spem orsa succederet. Possē tria vel quatuor literarū ostētare primordia diuerso charactere, modísque ferè omnibus, quibus pro varietate rerū grauidæ mentis affectus cōceptúsque parturio. Sanè quantū mihi illa placuerint, cōditor idē & castigator calamus trāsuerso liturarum vulnere indicat. His ego difficultatibus implicitus silere firmaueram, & præsentē gemitum CHRISTO consolatori optimo solandum finiendúmque committere. Hæc pro excusatione silentij mei dixerim, & nūc quod te post tantum tempus alloquor, non mutati propositi, sed insperati gaudij est, quod pectori meo nuper obstinatiùs dolenti, & (qui miseris mos est) mœrorem proprium amanti, eiusdem Socratis recentiores inuexerunt literæ, quibus animi tui inter tot fortunæ impetus, inconcussam magnitudinem, eminentiámque perdidici, & qui dolorem meum tacitus tuleram, superaduenientem gaudium ferre nō potui, quò minus pias simul in lachrymas, & in verba prorumperē. Quod me friuolis ne quicquam tentare sermunculis, pudor & dolor, & reuerentia vetuerant, & id ab illo cœlesti artifice factum videns, cui cùm pro aliis multis, tum pro hoc præcipuè gratias age-

re, dignum est, quod sibi tot rerum bellis exercito fortitudinem tribuit, & constantiam exemplarem. Itaque decus meum, & iam quasi sola spei meæ & multorum anchora, composito tandem statu fatigati pectoris, & sedatis imbribus lachrymarum, qui vbi vehementius ingruerint, serenitatem mentis offuscant, & conspectum præripiunt veritatis: Quid aliud suadeam? Quid aliud rogem? nisi insistendum cœpto, & inuicto animo fortunæ minacis insultibus occurrendum, respiciendum sobriè ad naturæ nostræ violentas ac superbas leges. Quid sumus? vbi sumus? quandiu vel hoc ipsum, vel hic futuri sumus? vnde funem soluimus? quem petimus portum? quos inter scopulos nauigamus? quantum maris emensi sumus? quantulum est quod restat? quantum sub fine periculum? quam multi per tumidum æquor incolumes, in faucibus portus & in littore perierunt? Postremò quam graue iugum super filios Adam, non vt super colla boum, æternis horis, ac diebus, sed prorsus omnibus nulla est immanitas, nulla quies à die exitus de ventre matris eorum (vt scriptum est) vsque in diem sepulturæ, ac reditus in matrem omnium. Hoc nos omnes, non magis graui, quàm continuo iugo præmimur mortales, quod non genus, non forma, non diuitiæ, non ingenium, non facundia, non vires excutiunt, non arma, non satellites, non amici, non denique legiones, & classes, & exercitus, sed patientia, longanimitas, constantia. Cogitandum quid non liceat fortunæ, in eos dico, qui caduca & fugacia ista complexi, sese illius imperio submiserunt. Reliquos enim territat quidem, vrget, & vellicat, sed non sternit. Reuocanda sub oculis omnis æui exempla. Quas seu præpotentium populorum opes effuderit, seu super illustrium regum regna calcauerit, seu quid vsquam ab origine mundi intactū furibunda reliquerit. Non vacat historias euoluere, quod in aliis consolatoriis epistolis ad te feci, & quæcunque possem studio conquirere, nota sunt tibi. Non demissè, neque muliebriter agam: non enim vel fœminam alloquor, vel puerum, vel vnum è plebe multiuola, sed virum fortem, & natura semper excelsum, nunc spero fortiorem solito, & ipsis calamitati-

bus

bus abiectum spiritum crebris significatum fortunæ vulneribus, duratóque iam virtutis callo, minas hostilius, & prælia contemnentem. Non itaque delinimenta blanditiarum asperitatibus tantis interferam, neque ingeram spem nescio quam, quamuis & illa Deo casus nostros miserante non desit, tibi ostendam. Orabo luctus tuos numerare, iacturas extimare, desine in ea quæ restant, lumina iam tersa converte. Circumspice familiæ tuæ statum, Columniensium domos: solito pauciores habeant columnas, quid ad rem, modò fundamentum stabile solidúmque permaneat? Vnus erat Iul. Cæsar, Fratrem nō habuit, nec filios, & patris nomen occultum est. Quid tamen vnus egerit norunt omnes. Persuade tibi quæso, quod verissimum est, quò plus sæuiit eò minus metuendam esse fortunam, quod potuit, fecit, breui tempore, & fratres tibi, & nepotes, & propinquos abstulit, fl rentissimámque prosapiam redegit ad paucos. Securus generosǽque plenus contumaciæ illam intuêre, præter magnanimum genitorem propè iam nihil est, in quod arietare possit: & illi quidem, vt humani nihil vnquam intolerandum fuit, sic nihil deinceps intempestiuum accidet, mortalis æui metas longè post tergum liquit. Quem vero senum mihi dabis, qui tot vitæ annos numeret, quot hic noster fœlicitatis, & gloriæ numerat? Omnium profectò fortunatissimus, quos nostra ætas habuit, si aliquanto citiùs abiisset. Cæterùm sollicitudo ac metus non nisi expectātis animi esse solet. Qui iam suum recepit, in tuto est. Quantum verò solatium fortitudo tua sibi tribuet inter seniles angustias, quibus eum sub vitæ finē ferox implicuit fortuna, & vnde illum explicare, non nisi vel propria, vel superstitis filij virtus potest. Hæc & his similia præsētis mali remedia tibi sunto: reliqua enim quæ remedia vidētur, stimuli sunt, nō leniunt, sed acerbāt: mors nec lachrymis redimitur, nec lamētis vincitur, vitari non potest, sperni potest. Hęc insuperabilis, & ineuitabilis mali huius victoria sola est. Pluribus agerē nisi scirē quod erectus, & sui memor animus loquaci cōsolatore non eget. Deiectum verò, & propriæ nobilitatis oblitum verba non erigunt. Perge modò, quæ cœpisti, & bona fidę quod mōstras ex-

terius, intus age, ne forte sub tranquilla fronte, morbida mens lateat, quod periculosissimum multis fuit dum dissimulatis vlceribus, in publico velut laeti, in cubilibus suis moesti latenti moerore tabuerunt. Parum sani capitis, & in perniciem propriam laborantis est ista calliditas: aegritudinem profiteri, & palam flere securius est. Denique quod saepe dixisse memor sum, & dicendum saepius existimo, alto loco situs es, vnde aspectum, & iudicia sermonesque hominum effugere non potes: quo accuratius tibi decoris ac famae studium esse debet. Inter multas quidem iniurias, vnum hoc de te bene meruit fortuna, magnam laudis obtulit materiam. Habent qui nobiscum viuunt, habebunt, qui nascentur posteà, quid in te suspiciant, quod laudent, quod efferant, quod mirentur: infractum malis animi robur, & generosam verè Romani spiritus maiestatem. Vale.

FRAN. PETRARCHA BRVNONI FLORENTINO, S. Epist. XIV.

Amantium caeca esse iudicia.

SOlum, seu solis comitatum curis, epistola tua me reperit, laudum mearum onusta praeconiis: & quanquam testis afforet, erubui tamen inter legendum fateor. Quia verò non proprium, aut alterius non amantis, sed illius amicissimi senis testimonium secuta in eam narrationem venerat, minus attulit negotij. Illud enim omnibus, quae vel dicta sunt, vel in eandem sententiam dici possunt, respondisse sufficerit. Solere amantium caeca esse iudicia. Hinc & apud Flaccum *Balbinus Agnae polypo delectatur*, & apud vulgus, amatoria fabella est eius, qui monoculae mulieris amore correptus, à parentibus tandem morbo consulentibus in alias oras missus, & post aliquot annos, amore deposito, in patriam reuersus, fortè illi, quam vehementer amauerat, obuius, ac repentè tristi concitus spectaculo, quaesiuit, quónam illa casu oculum amisisset. Minimè illa, oculum amisi, sed tu oculos inuenisti. Grauiter quidē ac praeclarè. Sed ne plura. Siquis vsquam est amans senex noster est amantissimus suorum. In reliquis igitur deinceps (si quid mihi fidei est) sibi, non vt Dodo-

neo

nec Ioui, vel Delphico Apollini, sed vt viro vnicè veridico adhibe aures, animúmque quotiens ad me, quem paternè amat, eius mellifluus & suauis sermo descenderit, parcius crede, nisi fortè, quod nescio an in sapientem cadat, errare nonnunquam, & decipi dulce est. Sanè carmen egregium, quod insertum erat epistolæ, sine responso mansisset tacitaq; pectoris admiratione contentum, nisi obstitisset ingenij tui meritum, in tanta præsertim vulgaris ignorantiæ nube radiantis. Accipies igitur seorsum, & qualecunque est boni consules, carmen breue, quod in lachrymosa materia occupato nunc animo vix extorsi, non tam vt id responsum esset, quàm ne nihil. Vale.

FR. PETRARCHA LVCHINO VICECOMITI MEDIOLANENSI S. Epist. XV.

Veterum Principum & recentiorum collatio.

QVales speraueram, imò quidem quales nec sperauеram, literas tuas legi. Gratulor inter excellentiam tuam, & humilitatem meam hoc saltem interuenisse comercium, talémque mihi ad notitiam tui aditum aperuisse fortunam. In eo sanè, quòd literarum ipsarum vltima pars iubet, diligentiæ meæ cura non deerit, eóque promptiùs enitar, quò plus delectationis labor afferet, dum hortulanus herbis, & arboribus, ego verbis, & carminibus incumbam, inuitante riui murmure, qui querulus fugit, & dextera læuáque prominentem pomiferam syluam secat, cuius studij primitias iam nunc degustabis. Et fortassè animum altissimis intentum curis, ista non tangant, vt temporum mos est, scio tamen, illos tam magnos rerum Dominos, Iulium & Augustum Cæsares, sæpe à Reip. negotiis, bellorúmque laboribus, in nostri tranquillitate ocij quieuisse, & rigentes gladiis dexteras ab hostibus feriendis, ad syllabas numerandas, ac voces aduersis agminibus intonare, intérque tubarum clangorem, & militarem strepitum exaudiri solitas, ad Pierij modulaminis dulcedinem transtulisse. Neronem transeo, ne præclarũ studio, gloriosáque nomine illius monstri cõmemoratione cõmaculem. Quàm deditũ musis Hadrianũ credim⁹ cuius

intentio tam vehemens fuit, vt ne vicina quidem morte lentesceret. Prorsus mirũ dictu, sub extremũ vitæ spiritũ de animæ discessu versiculos edidit, quos insererem, nisi quia vel tibi, vel tuorum alicui notos esse confido. Quid Marcum Antoninum loquar, qui cùm non ambitione, sed meritis ad imperium ascendisset, vetus Philosophiæ cognomen tenuit, nouum spreuit, aliquantò maius existimans Philosophum esse, quam principem? Huius generis exemplorum copia ingens est vixque aliquis principum sine hac literarum supellectili, se principem, imò verò se hominem esse censebat. Sed mutata sunt tempora, reges terræ bellum literis indixerunt, aurum credo & gemmas atramentis inquinare metuunt, animum ignorantia cæcum ac sordidum, habere non metuunt. Sed grauis & periculosa materia est, viuum potentem verbis offendere, nec ad offensionem longo sermone opus est. Quisquis malè viuit, nuda læditur veritate: mortui autem securiùs reprehenduntur.

Nulli grauis est percussus Achilles,

Vt ait Satyricus. Itaque hostes literarum reges nostri temporis non nominare consilium est. Non est enim tutum, in eum scribere, qui potest proscribere (vt ait Asinius Pollio egregius orator, in Cæsarem Augustum iocans) cuius ego nunc exemplo suppressis reorum nominibus, accusationem publicam perago. Propè enim omnes idem error agit, & cùm nullus eos, quos suprà retuli, literarum amicos principes sequi velit, certatim Licinium Cæsarem imitantur, qui rusticanæ vir originis ita literas oderat, vt eas virus, ac pestem publicam appellaret. Vox non quidem imperatore digna, sed rustico. At non sic Marius, & ipse quoque rusticanus vir, sed (vt ait Cicero verè vir) quem licet vel occupatio, vel natura literarum ad studia tardiorẽ faceret, literatos tamen homines amabat præcipuè Poëtas, quorũ speraret ingenio suarũ rerum gestarũ gloriã celebrari posse. Et nimirum, quis est hominũ, nisi sit idẽ prorsus agresti duritie, qui etsi non valdè literis delectetur, clarũ saltẽ non cupiat nomen. Quod profectò sicut sine virtute non quæritur, sic sine literis non seruatur. Fluxa est hominũ memoria, picturæ

ctura labiles, caducæ statuæ, intérque mortalium inuenta nihil literis stabilius. Quisquis illas, non metuit, oportet vt diligat, omninóque verum est illud Claudiani:

Gaudet enim virtus, si testes iungere causas.

Carmen amat quisquis carmine digna facit.

Nostri verò, qui nihil nisi Satyrico carmine dignum gerunt, quas metuunt, literas oderunt. Itaque cum Licinio sentiunt omnes, nemo cum Mario, nec cum aliis dicam, &, qua nulla turpior desidia vnquam fuit, id quod pretiosissimum habebant, surripi sibi per plebeios homines passi eò sensim peruenere, vt iam inter diuitias suas grauissima premantur inopia. Ita qui pro exiguo censu, pro paruo regni angulo in aciem descendissent, relictum sibi à proauis thesaurum inextimabilem proiecerunt, inque ipsam animi regiam permiserunt alienigenas ingredi, qui eos non purpureis, sed sydereis vestibus spoliatos inde depellerent. Vnde illud regale dedecus? videre plebem doctam, regésque asinos coronatos licet (sic enim eos vocat Romani imperatoris epistola quædam ad Francorum regem) Tu ergo hac ætate vir maxime, & cui ad regnum nihil præter regium nomen desit, è duabus principum sententiis cui potissimum te applices ignoro, sed meliora omnia de te spero. Itaque (ne in longum exeam) breue carmen, quod ex tempore occurrit, inter arbores illas, de quibus tibi admodum familiariter partem poscis, excellentiæ tuæ misi. Quod si placuisse tibi sensero, (in eo genere posse enim videor) quàm putas, & quam occupatio mea spondet, liberalior apparebo. Vale.

FRAN. PETRARCHA IACOBO FLORENTINO, S. Epist. XVI.

Adulationem vitandam esse.

VEris vtinam laudibus meis plenæ tuæ nuper ad me literæ venêre, & dulcedine mira permulsere animũ, sic in eis affectum potiùs, quàm effectum metiebar: si enim ab alio mitterentur, illud crederem. Nunc de purissima quidem animi tui parte prodeuntes scio non fallũt: vtinam non fallantur proinde vera tibi videri omnia,

quæ scribis, certus sum. Amori tuo gratulor, compatior errori, nec tamen hîc te parcius errare voluerim. adeò delectat, quod non sum videri tibi, mallem esse quod videor. Quid si ab alto negatum est, tu tamen ne amicus tibi error excidat caueto equidem ego, quamuis mihi temperare nequiuerim quominus ad literas tuas iterum atque iterum reuerterer, sensi tamen lectionem ipsam non vacare periculo, sic enim grauitea, sic ornatè, sic dulciter, sic denique ad persuadendum apposite in proposito versaris, vt valde metuendum sit, ne legentem ad credendum quidlibet facile possis impellere. Quod si efficis, habebis opinionis tuæ comitem, nisi quod cum tuus generosus & ingenuus error sit, me implicueris errore ridiculo. Itaque consilium fuerit etsi cum labore fiat, ab illa deinceps literarum tuarum parte oculos auertere, & si posthac rerum me tuarum iugem ac sedulum lectorem vis efficere, vide quæso, vt Satyricè potius quàm Lyricè mecum agas: larga enim materia est si intendere cœperis, videbis in me multa amicis licet oculis grauia, & fauentis etiam linguæ non euasura censuram. Hîc precor incumbe, huc facundissimum tuum calamum verte. Ostende me mihi, iniice linguæ manum, arripe, liga, feri, vre, seca, tumida comprime, superuacua rescinde. nec ruborem mihi fecisse timueris, nec pallorem. Tristis potio tristes pellit ægritudines. Æger sum, quis nescit? Acriore tibi sum curandus antidoto non cedunt amara dulcibus, sed amara inuicem sese trudunt Si prodesse vis, scribe quod doleam. Milonianam Ciceronis cum reliquis accepi. Gratias ago: nō mihi nunc primum tuæ mentis indulgentia nota est: describi faciam, & remittam. Comœdiam, quam petis, me admodum tenera ætate dictasse non inficior, sub Philologiæ nomine. Illa quidem procul abest, & si adesset, quanti eam modò faciam, quámue doctorum hominum auribus dignam rear, ex communi hoc intelliges amico. Vale.

FRAN-

FRAN. PETRARCHA GILBERTO GRAMMATICO PARMENSI, S. Epist. XVII.

De scholastica disciplina.

ADolescentulum nostrum consilij inopem, & ætatis agitatum stimulis, paternæ sollicitudinis ope complectere. Iam, vt vides, ad biuium Pythagoricum viuendo peruenit, nusquam prudentiæ minus, nusquam periculi magis est. Læua quidem ad inferos fert, ad cœlum dextera: sed illa facilis, prona, latissima, & multarum gentium trita cõcursibus; hæc ardua, angusta, difficilis, & paucorum hominum signata vestigiis. Non ergo hoc dico, dixit Dominus omnium & magister: Spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: Arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Puerum sanè nostrum, si hic sibi dimiseris, quid acturum putas? Nempe vel cæci more, vulgarem strepitum sequetur, vel ferrato (vt aiunt) ibit itinere, &, quæ grauium corporum natura est, deorsum suis ponderibus feretur. Nunc tu, oro, vir optime, succurre, & incautum ac nutantem adiuua, rege, sustenta. Discat te magistro dextrum sequi callem, discat ascendere. Quod promptius faciet, si peculiariter in eum oculos defixeris, & adolescentiæ suæ morbis singularis quædam tuæ prouidentiæ medicina subuenerit. Scis quam in partem pendeat, vnde sit ruinæ proximus, illic opportuno præsidio fulciatur. Vetus medicorum regula est, contraria contrariis curari. In lætitiam effuso, triste quidlibet, mœstitia contracto lætum aliquid obiicito. Intensione nimia si obtusum erit ingenium, more solertis agricolæ, alterna intermissione reparabitur: si rubiginem situ traxerit, exercitio enitescet. Atque ita fiet, vt labor quietem condiat, laborem quies, vicissimque nunc ocio, nũc negotio recreetur animus. Innumerabiles præterea sunt morũ differentiæ, & tam diuersa remedia non magis morborũ corporis, quàm animi passionũ, vt quod vni pestiferũ est, alteri sit salubre: in hoc tota discretio præceptoris vertitur. Iuuenilis pauor familiaritate ac blãditiis mulcetur. Insolentia minis & seueritate cõprimitur, nec

Vna scholasticæ censura militiæ est leuia verbis, grauia verberibus castiganda. Hic laudibus erigendus, hic coercendus infantia, hic opere fatigandus, hic domandus est ferula. Generoso animo perseuerantiæ studium, affecto solatium, desperanti subsidium, feruor algenti, præcipiti frenum, lento calcar addendum. Notissima scienti ingero, vt attritu memoria recalescat, & de communibus magna pars artium constat, & aliquando iucundius assueta loca reuisimus, sæpe non tam nouis, quam nouis cantibus delectamur. Puero huic, vt ad rem redeam, vel inuito manum iniice, ne corruat, ne deuiet ad sinistram. Doce quanto periculo processurus, quanto inde labore, quantóque dispendio regressurus sit. Ostende illi, quanto tutius iam hic rectum iter sequi, quàm spe relictus, quę multos in abruptum egit, vltrò diuertere. Facilem casum esse, paratúmque omnibus, in assurgendo autem magnis viribus, magno nisu, magno auxilio opus esse. Monstra ei vana esse vulgi somnia, falsam de omnibus, sed præsertim de voluptate sententiam, nihil ad læuam viæ huius, nisi fœdum, fuscum, fragile, caducum; nihil ad dexteram, nisi pulchrum, lucidum, validum, immortale. Et quàm propriè illam sequentibus conueniat, quod scriptum est: Derelinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas. Atque illud: Viæ eorum & tenebræ, & lubricum. Et illud, Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant. Hanc verò alteram sectantibus illud potius conuenire: Viæ illorum pulchræ. Et illud Via iustorum sine offendiculo. De vtraque autem simul dictum. Vias quæ à dextris sunt nouit dominus, peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Neque solum vni dictum populo: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Fac ista consideret, fac videat, quã reprehensibilis post tot duces, quamque error ambiguus per inextricabiles vitæ anfractus, vnde sæpe redeuntibus seu redire meditantibus mors occurrit. Denique dum res integra, dúmque ipse suus est, nec dum peccati iugum subiit, doce, quantò facilius iugum illud declinare quàm excutere, & Poëticum illud teneris auribus frequenter inculca:

----hac itur ad astra. Et illud:

Hac

Hac iter Elysium nobis, at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

In quo Poëtæ nostro sapientum Hebræorum vnus consonat. Sic enim ait: Via peccantium conculcata lapidibus & in finem illorum inferi & tenebræ, & pœnæ. His hac ætate consuescat moniteis: has hauriat disciplinas. Facilè quamuis formam recens excipit materia, facilè quiuis habitus nondum duratis mentibus imprimitur. Vbi falsis opinionibus aditum præbueris, operosius excluduntur. Instat ergo dum votiui spem successus tractabile tempus præfert, & sic habeto, plus te illi puero hoc beneficio collaturum, quàm si omnes simul ingenuas artes in pectus suũ sedulo ore transfuderis. Magna quędã res est, fateor, sciẽtia literarũ, sed maior virtus animi. Etsi vtramque ex te discipulus docilis sperare queat, nosti ingenium quid possit, nosti melius expertus. Ego id vnũ noui, paucorũ esse vt literati fiant, omnium vt boni modò se bonis ducibus exhibeant obsequentes. Fastidiosior quidem est scientia, quàm virtus: cùm sit illa nobilior, paucorum dignatur ingenia, illa nullius animum contemnit, nisi à quo prius contempta est. Vale.

FRAN. PETRARCHA LANCELOTO EQVITI PLACENTINO, S. Epist. XVIII.

De remedijs amoris.

HÆrebat calamo dextera scribendi auida, sed incerta quid scriberet, tam multis, & tam variis vno propè tempore nuntiis pulsabar. Interpellabat hinc Tyberis, hinc Arnus, hinc Rhodanus. Ille mihi infœlicis & de me optimè meritæ vrbis statum, imò veriùs ruinam, quam sine lachrymis audire non possum, nunciauerat. Ille quorundam ingeniosorum adolescentium querelas ad me diuerso quidem stylo, sed vna eademque sententia transmiserat, indignantium grauitérque tolerantium, quid illic expectatus huc diuerterim, seu quid ita natali solo habitaculum istud antetulerim, quæ crebra multorum admiratio est. Ille autem curialium literis amicorum silentio meo, in tanto excellentis amici gemitu, quòd in leuioribus malis minimè solebam, quódque non tam in-

dicio, quàm stupore cadétis illustrissimæ familiæ ac mœrore suscepi, calcar blandæ, sed validæ reprehensionis incusserat. Quóniam ergo primùm vertereà Romanis amicis miseratio, Florentinis excusatio, Transalpinis consolatio debebatur. In hoc triuio hæsitanti quartus rumor accesserat, quidá & nomine mihi iunctus, & sanguine (quódque super omnia est) & amore & obsequiis animo meo probatissimus atque charissimus, dum ex Galliis ad me visendi cupidus accelerat, morbo, seu laboribus viarum, seu cœli inclementia contracto, Saonæ subsistere coactus, acerba mihi morte subtrahitur. Qua in re, quibus longæui parentis, ac miseræ matris orbitatem, fratrúmque solitudinem ac sororum lachrymas consolarer, qui meas proprias lenire non possem? Itaque, turba rerum circumuentus, feci quod in talibus soleo, quiq; mos peculiaris inertiæ meæ est, statui ex æquo vniuersa negligere, vel si possem etiam obliuisci. Sic affecto tua incidens epistola torporem abstulit, & destitutum atque abiectum calamum restituit tam dulcis grauitas, & tam grauis dulcedo inerat. Sanè quòd inter cætera scriptum erat Africæ meæ nomen, suspirare vel inuitum compulit: neque enim solus cœpti illius exitum expectas. Mihi verò promptius sit arenas maris, & cœli astra numerare, quàm cuncta fortunæ laboribus meis inuidentis obstacula. Finem & ipse incertus operior, prorsus ne frustra vigilauerim, an mihi saltem studij mei voluptas aliqua, quãuis sera seruetur. Quòd si ritè successerit, ad hoc qualecunque spectaculum ingenij curabo, ne quis te præueniat in orchestra. Vltimã literarũ tuarũ particulã subridẽs legi. Iuuat enim morbi mei veteris tales nosse participes, & arbitrari cogor, nõ ignobile accidẽs, ꝙ in tali cõsederit subiecto. Solamẽ verò vulgaris eloquij, quod ex me iocose (nisi fallor) exigis, ego ex te, si fortè animi vulnꝰ fido lẽtesceret, & poscẽdũ dicerẽ, & sperãdũ. Hiscíne versiculis sperás tibi posse doloresatq; æstꝰ, curásq; graues è pectore pelli? Augẽtur potiꝰ, alũturq;. Alia est igitur huiꝰ ægritudinis medicina cuius, quidẽ, ꝙ fateri veritas iubet, noster Æsculapiꝰ auctor est. Herbæ autẽ, quibꝰ illa conficitur, vel in hortulo tuo certè nõ sunt, vel incognitæ tibi.

tæ tibi sunt, vel inamœno gustu efficiunt, ne tangantur. Vale, & quod optimum aduersus omnia vitæ nostræ mala remedium reor, quicquid se ad mouendam loco animum obtulerit, diligenter examina, & si principio delectaris, finem cogita.



FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILIARIBUS,

LIBER VIII.

FRAN. PETRARCHA STEPHANO COLVMNAE, S. Epist. I.

Fortitudinem animi laudat.



HEV Miserande senex, heu viuacissimum caput, quo piaculi genere cœlum offendisti? Quid fecisti, vt tam longæ vitæ supplicio punireris? Metellus alter dicebaris, nec immeritò. Omnia conuenerant, patria, genus, forma, diuitiæ, aliæque corporis atque animi singulares & admirabiles dotes, vxor quoque clarissima, & vxoris generosa fœcunditas, & Cos. dignitas, & in Romanis exercitibus imperij fastigium, & victoriarum ac triumphorum tituli, senectus longæua, & inconcussa vsque sub vltimum fortuna. Si quid enim aduersi intermiscere hactenus ausa

est, qualia multa famosis persecutionibus pertulisti, fecit hoc vt asperitate insigni abstergeretur, & enitesceret gloriæ tuæ decus. Hanc tibi fidem prope centesimum vitæ annum fortuna seruauerat, & tu similiter in orbe terrarum, & in orbis regina Vrbe princeps natus, poteras vbi de fœlicitate agitur, ea scilicet quæ sperari potest, in hac vita rarissimis exemplis tuum nomẽ inserere. non vt Sophidius inops & inglorius arator, mendaci fœlix dictus oraculo, sed vt gloriosissimus omnium nostræ ætatis Romanorum ducum, & quod prorsus difficillimum ac penè impossibile dixerim, in altissima fortuna fœlicissimus, poteras excluso Archade peregrino, sedere fidentius Romanus cum Romano, princeps cum principe, Stephanus cum Metello, nisi quod præter religionis eminentiã, cuius inter paganum Christianúmque hominem comparatio nulla est, cedere illum tibi saltem fratrum ac liberorum numero dignum erat. Fratrem ille nullum habuisse legitur, tibi quinque contigerant, summi viri, &, vt breuiter dicam, nec sanguine, nec fortuna, quàm virtutibus & gloria clariores. Quatuor ille filios habuit, prætorios, consulares, censorios, triumphales: tibi septem fuerunt. Vnus R.E. Cardinalis, alius vel Cardinali maior futurus, si ad legitimam peruenisset ætatem, tres Episcopi, duo bellorum duces, & bellica gloria patenti, vt omnia simul expediam, propè pares illi tres, tibi verò sex filiæ, de quarum moribus silentium breuiloquio præferendum puto Et quænam Deus bone, quàm flores ex vtroque sexu, nepotum ac pronepotum acies, quàm dulcis turba, quàm iucunda societas? Quis ille, ne infinita sequar, ex primogenito filio primogenitus nepos, Ioannes diuinus quidam & plenus priscæ veræque Romanæ indolis adolescens, cui iure optimo Columnæ cognomen obtigisse diceres? Neque enim de Columna vt cæteri, sed ipsa columna dicebatur, in quam scilicet amicorũ spes, in quam domus ingens, & antiqua recumberet. Alter iam Marcellinus euaserat, eadem ætas erat, eadem vis animi, par corporis vigor, idem & amor armorum, & equorũ studium, & equitandi peritia, alter quoque Marcellus in dies, vel si quid Marcello clarius fiebat. Quæ cùm ita essent, qua-

quauersum Romanum resonat nomen, vulgò iam foelicissimus, si duci potest, foelicior ac summis sublimior videbaris, sed sapientes expectare finem iubent, quod ille fortunatissimus olim rex Lydorum Solonis consilio monetur. Re enim vera de mortali foelicitate mors iudicat, & quod mirabilius, de æterna. Nemo ergo confidat: lubrica foelicitas est. Vis te foelicem fatear? Morere, veri testes vitæ, sunt cinis ac sepulchrum: aliter enim, quò altior es, eò grauiori subiaces ruinæ. Vnicum foelicitatis exemplum eras nostri temporis, si qualis vitæ cursus, talis exitus fuisset. Nihil mali est, quòd non secum afferat longa ætas. Vt multorum dierum nauigatio, sic multorum annorum vita est. Non vnum coelo sydus, non vna tempestas pelago: sæpe flectendus clauus, sæpe contrahenda sunt carbasa, & sæpe, quo nihil periculosius habet ars nautica, pro ventorum varietate flectenda sunt. Nunquam expectes, vt diu sit immota tranquillitas, aut maris, aut vitæ; mutantur assiduè rerum facies, & sæpe serenissimus mane dies, nubilo fine concluditur:

Me-ne salis placidi vultum, fluctúsque quietos,
Ignorare iubes? Me-ne huic confidere monstro?

Hoc apud Virgilium ille famosus nauta in mari dicit; hoc apud seipsum sapiens vir dicet in vita. Nihil metuit armatus, & iugi meditatione præparatus animus. Improuidum & sibi læta omnia promittentem, quælibet aduersa deiiciunt. Sed ad fortunæ tuæ varietatem redeo. Quinque germanos fratres iampridem sepelieras. Quem non tantarum columnarum ruina prosterneret? Mansisti tamen inconcussus, & , quod proprium magni inuictique animi fuit , in te vnum vniuersam domus sarcinam transtulisti. Ex illo quidem damnum irreparabile immortali compensabas fama, rerúmque prægrandium memoria solabaris, ínque tot fratrum locum nepotum longus ordo successerat. Dilecta tibi interim & amantissima vxor eripitur, foelix morte sua, nec in hunc seruata dolorem, multò quidem sua morte foelicior quàm vxor Euādria, de qua id dictum est. Illi enim ne vnius, huic ne plurimorum filiorum acerbum interitum videret, tempestiua morte consultum est. Eripitur & natorum maxi-

mus, cui singulariter incumbebas, geminum graue vulnus tam multa perpesso: mansisti iam ruentibus fundamentis. Inde aliis vsque ad inuidiosam magnitudinẽ auctis, & mira luce fulgentibus fortunæ peperceras, & miscens amara cum dulcibus, desiderium defunctorum superstitum solatio leniebas. Iam sensim obliteratus primorum vulnerum dolor erat; fœlix adhuc, & (vt dixi) Metello fœliciori mori poteras; longa vita præstitit, vt fieres Priamo similior, quàm Metello Metellum quippe sepelierunt sui, suos Priamus sepeliuit. Multum diuersa conditio. Trux fortuna pauca-ne inconstãtiæ tuæ argumenta præbueras, nisi veteribus etiam nunc exemplis Stephanus noster accederet, quem breuissimo tempore, vario genere moriendi, filiorum ac nepotum multitudine spoliatum, de fœlicissimo patre miserandus orbitatis spectaculum posuisti? O magnanime vir, ô memorabilis Stephane, iam fœlicior apparebas quàm qui fieri posses infœlix, iam comitatior eras quàm qui solitudinem formidares, iã morti proximior, quàm cui esset mors filiorum adolescentium metuenda: extra teli iactum constitisse videbaris. Sed impotens illa, & immitis Dea est, seu verius Dei ministra, & diuinarum voluntatum executrix impigerrima, sed occulta, miris & incomprehensibilibus modis agens, cuius vt clandestini semper & varij, sic sæpè mœsti, & flebiles ludi sunt. Et certè nullũ hac ætate clarius suæ varietatis indicium dederat. Ideò insidiatam esse, & ascensui glorioso fauisse crediderim, quo se mundo notiorem faceret, & post tãtum fauoris insignior clades, & ex tam alto terribilior casus esset. Neque enim poteras esse tam infœlix. Talium filiorum numerus efficit, vt spectabilis sit orbitas tua. Heu dulcedo amarissima, heu laboriosa requies, heu funestæ blandiciæ! Quid metuendum? Quid optandum? Quid tenendum, vitandúmue homini est? Importunum nihil habuisse quod placeat, durum, dulcia tot habuisse quæ perderes. Vixisti nimiũ fateor, sed sic oportuit, vt doctior morereris. Putasses solidum aliquid esse fortunam, si eius alteram tantummodò faciem aspexisses. O multis iactate casibus, quid nunc expectas vt dicam? Nolo speres, nolo desperes, alterum vani,

ni, alterum infirmi animi est. Quid enim, oro te, speres? Nouos filios? Noua coniugia? Intempestiua est ætas, tam senectus apta nuptiis quàm bruma messibus. Ridiculum ioci genus, sponsus senex. Contrà autem quid desperes? De tot filiis nullum habes. Si habes teipsum, satis est: nullæ diuitiæ maiores, nulla clarior possessio, quàm in potestate animum habere. Inuenimus, qui centum quindecim filios habuerit. Herotimus quidam rex Arabum, mirum dictu, septingentos habuisse traditur. Seipsum habere paucis contigit. Amisisti colloquia filiorum, tecum loquere: cum aliis enim omnium, secum loqui paucorum est. Multa sunt quæ loquaris, multa quæ respōdeas, multa enim in tam longa vita fecisti, quorum vel meminisse iucundissimum esse potest. Non possunt (vt apud Ciceronē ait Cato) omnes esse Scipiones aut Maximi, vt vrbium expugnationes, vt pedestres naualésque pugnas, vt bella à se gesta, vt triumphos recordentur. Tu verò de illorum es acie, quibus rerum suarū recordatio gloriosa est. Recordare, quæ gesseris domi militiæq; quæ terra pelagóque sis passus, quos labores, quæ pericula obieris, quæ tibi clarissima contigerunt. Fateberis, credo, te, etsi semper sine liberis fuisses, magnum virum, & non otiosa quidem fœlicitate, sed fœlicem tamen. Nunc verò hec sine liberis fuisti, & tales habuisti, quales vt amisisse durū, sic habuisse suauissimum sit. Adde quod nihil incauto accidit. Ea sapientia tua est, vt non modò quæ tibi euenerunt, sed & omnia quæ possunt euenire, præuideris. Possibile enim nihil est inopinabile sapienti, stultorum impræmeditata sūt omnia. Nō hoc dicere volo, maius quiddam in animo est, cuius tibi vno verbo memoriam renouare satis erat: sed ne quid eorum, quæ ex te audierim, effluere mihi putes, dicam expressius. Memento ergo (mihi enim imago illius temporis ante oculos est) dum ante annos decem Romæ tecum agerem, & fortè soli hora diei iam sera essemus, deambulantes in via lata, quæ à domibus tuis ad Capitolij arcem ducit, constitimus tādem illic, vbi transuersa illam secat via, quæ à mōtibus ad Camilli arcum, atque inde ad Tyberim descendit, dúmque in illo quadriuio, nullo interpellante multa colloquere-

mur, de statu domus ac familiæ tuæ, quæ tunc vt sæpe aliis externis clarior periculis, ciuili bello grauissimo agitabatur, incidit (vt fit) vnius ex filiis tuis mētio, quo cum suggestu maleuolorum reor, eo tempore plusquàm paterna iracundia diffidebas, sed tribuit mihi benignitas tua (quod multis ante negaueras vt me auctore ille tunc rediret in gratiam. Cæterùm cum de eo multa mecū familiariter questus esses, mutata fronte, tandem adiecisti hæc ferè (non enim rerum modò, sed verborū mihi suppetit memoria): Filius meus, amicus tuus, de quo me cogis, vt paternè sim affectus, in senectutem meam, quę honestius continuisset, euomuit: sed quoniam negare tibi hoc non possum, præteritorum omnium obliuio, & (vt aiunt) abolitio sit, post hanc diem nullum mihi in verbo iræ vestigium videbis. Vnum non silebo, cuius te tempus in omne testem facio, mihi quidem obiicitur in primis, qui contra ætatis meæ decus pluribus me bellis implicem quàm oportet, hanc filiis odiorum atque discriminum hæreditatem relicturus: ego verò Deum testor, nullam me aliam ab causam nisi amore pacis bella suscipere. Quietis auidum me vel senectus vltima, & in hoc iam terreo pectore frigescens animus, vel longa humanorum casuum reddit obseruatio. Verum ita fixum atque firmatum habeo, labori terga non vertere, mallem tranquilliora, sed si ita sors tulerit, ad sepulchrum potiùs pugnando perueniam quàm discam seruire senex. Ad id sanè, quod de hæreditate dicitur, hoc vnum respondisse velim, & hic fige in me oculos, animúmque: Vtinam hæreditatem aliquam filiis dimitterem, sed aliud voto meo debitum, aliud fato visum, quod mœstus dico, siquidem confuso naturæ ordine filiorum meorum omnium hæres ero. Hæc dicens, vndantes lachrymis oculos auertisti. Id quonam seu animi præsagio, seu Dei monitu dixeris, incertum, quàmuis vaticinari aliqua de natorum euentibus principes solere, testis est diuus Vespasianus, qui alterius natorum mortis genus, amborúmque prænunciauit imperium. Ego quidem die illo, tanquam vel casu tibi elapsum, vel ab indignatione profectum verbum contempsi, fateor, neque tantarum fore virium suspicatus sum,

sum;post longum verò tempus dum crebris filiorũ mortibus quæri fidem vaticinio viderem, rem inter amicos retulit: inde in vulgus effusa est. Itaque sacræ memoriæ Ioannes, Romani decus Cardinis, & familiæ tuæ princeps, tribus iam fratribus defunctis, euicit precibus extorsitque vt sibi rem totam ordine narrarẽ. Quod cùm inuitus fecissem, ille suspirans ait: Vtinam genitor noster nõ tam veridicus vates esset. Eodem anno, ferali illo primo geniti tui ac nepotum casu magis ac magis horrere præsagium tuum cœpit, donec ipse dolore confectus, vt arbitror, nouissimè moriendo, dictum patris tristi quidem, sed plena fide compleuit. Quæ res cunctis, qui eam audiuêre, mirabilis, mihi verò magis in dies horribilis ac stupenda est. Meministi omnium non dubito; ego certè sic memini, vt adhuc sepulchrum illud marmoreum antiquum, quod in angulo est, & cui vterque nostrum cubito insistebat. Ad hæc & vultus tui habitum spectare, vocésque illas tuas his auribus audire mihi videar. Quæ cum ita sint, non debet intolerabile damnum esse, quod tanto ante præuisum est: armat enim meditatio animum. Quid pateris, quod non te passurum scires? nemo plorat filium se genuisse mortalem, nisi sit idem amẽs & propriæ mortalitatis oblitus. Amamus nostri similes filios habere; nihil verò magis est nostrũ, quàm insita atque indicta nascentibus conditio moriendi, sola omnium inseparabilis inhæréńsque ossibus ac medullis. Quid ergo dolent homines in funeribus filiorum? Profectò non certum & publicum naturæ debitum, sed mortis insperatũ ordinem. Hic tibi (quantum intelligi datur) nec improuisus, nec ignoratus fuit: Prima lugendi causa sublata est, inopini dolor vulneris. Aut igitur affectus tuos diuino subdis imperio, quod docti omnes & bene instituti faciunt, & quęcunque tibi acciderunt, tam præuidisti æquanimiter quàm tulisti. Aut si fortè (quoniam suum naturæ ius eripere difficile est) gemitum reluctanti paternus amor vi expressit, tantum tamen tempus effluxerit, ex quo lugere primum cœperis, vt iam verisimile sit lachrymas aruisse. Lentescit enim tractu dolor, lẽtescit & gaudiũ, quódque vnum habent bonum, humanarum passionum nulla

perpetua est. Sed quoniam magnas res agentibus oratio longior inuisa, finem faciam. Vt verò non inhumani patris fuerit epistolæ principium, si id pietas coëgerit, humentibus oculis legisse, sic siccis finem luminibus perlegere viri fortis erit & indomiti. Itaque totum animum collige obsecro, & ingēti nisu fortunæ ruentis incursum excipe. Quisquis primum impetum pertulerit, victor erit: Plures enim terrore, quàm vi superat. Sed quid ago? Quod suadeo, implesse te spero. Id duntaxat obtestor ac deprecor, ne vnquam fortè, vt est animus sæpe curiosior, eorum in quibus nullum iam nisi memoriæ ius habet, vetera memorando in nouas miserias relabaris, ac nimis indulgens patrio dolori rescindas hærentium vulnerũ cicatrices, Sine abiisse, quæ vt redeant, impetrari nequeunt. An cruciēt, an delectent, in tua potestate situ est. Vulgus te orbum, senem, miserum appellet; tu vulgus, vt solet, insanire & te fœlicem credito: de vtroque fortunæ dolio gustasti. Scis quid sapiant, lætum te dulcia fecerunt, amara cautum faciunt, vt intelligas quorsum fidendum sit secundis. Videbas & olim credo, sed hoc non negabis, nunquam te clariùs vidisse. Nullæ sunt certiores scholæ, quàm in quibus experientia magistra est, quod à multis audieras vidisti, & aurium disciplinam oculis approbasti. Vides eam, de qua omnis ferè mortalium sermo est, nihil esse fortunam, vides fabulam esse, quæ vulgò dicitur fœlicitas, illámque amisisti, inuenisti aliam certiorem, atque solidiorem. Et quam, inquies, inter tot dolores mihi fœlicitatem ostentas? Quam putas, nisi quam nemo tibi vnquam, si nolis, eripiat? Monstro tibi fœlicitatem contrariam primæ, bonis tuis esse contentum, scire quibus ornatus videbaris, tua non fuisse, discussis demum erroribus, veras opiniones executũ, licet serò, ante omnia formidatum gentibus fortunæ imperium nõ timere. Quid dicam amplius? In hoc desino, nudus intrasti, nudus ingredere, & illam humanarum, vt aiunt, rerum dominam celso animo contemne? Nocuit vsque adeò, nocere iam non possit. Quid nunc etiam cogitat, quid minatur? Exhausit pharetram, exarmata est, nec habet illa quod iaculetur, nec tu habes, vbi de cætero feriaris. Vale.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA OLYMPIO SVO, S. Epist. II.

Quod se domi non repererit dolet.

NIhil omni ex parte fœlix, aut dulce dum viuimus. Sentio quàm impropriè locutus sim: imò verò dum non viuimus. Cum enim viuere cœperimus, nihil nisi dulcissimum ac fœlicissimum erit. Ecce dum eo lætus, ac redeo, exoptatissimum mihi tuum & illius amici optimi conspectum colloquiúmque perdidi, vix lachrymas continui, domum hodie reuersus, vbi comperi vos simul hic fuisse, mei visendi desiderio, superatis alpibus, atque omni viarum asperitate calcata, méque non inuento, magna, velut destitutos spe dolentes abiisse. Hæc enim & famulorum vocibus perdidici, & literis vestris, quas inter libellos meos, tanquam eximiæ dilectionis obsides reliquistis, & arrabonem moræ breuis, & pignora redeundi. Sed quoniam dura leniorem in partem flectere sapientis est, cogitemus id cœlitus actum, ne me, vt optabatis, inuento, congressu amici feruor ille tepesceret & animorum, quo nunc, vt reor, per absentiam irritato, pro paucorum forte dierum gaudio prærepto multorum nobis annorum iucunditas compensetur. De hoc tamen illa viderit, cuius adamantina duritie sæpe humani concilij acies infirma retunditur. Certè ego sic mihi fingo, sic cogito, sic spero, & in hac spe multis obsessus laboribus conquiesco. De quo quid sentiam, quid ve tibi suasurus sim quod & magna res est, & nuncius hic festinat, in diem alium differre coactus sum. Vale.

FRAN. PETRARCHA AD OLYMPIVM, S. Epist. III.

Quanto fontis Sorgiæ amore teneatur.

EXpectaui anxiè, nec dum aut patiens nuncius, aut otiosus dies affuit. Itaque simul concepta carptim explico, non quidem ex animi mei sententia, noui enim orationis perpetuæ quanta vis. Ille orientalium fluuiorum maximus, multis distinctus alueis, vides quàm non

modò permeabilis, sed etiam contemptibilis factus est. Sed pareamus tempori, sit libitum quod licet, quando quod est libitum non licet. Et quoniã nuncij huius haud sat explorata fides erat, vnam duntaxat epistolæ tuæ partem exequar, vbi reditum ad fontem Sorgiæ dissuades, vt illam tibi sollicitudinem eripiam. Videris enim mihi de hac re non mediocriter curare: nec immeritò, quod eò sæpius vocantem Socratem nostrum non audire non potui. Itaque victus tandem precibus spoponderam, si tractata succederent, quibus & honestus illic manendi color, & vitæ necessaria quærerentur: vitæ (inquam) sodalium & multorum ad me illic de more conuenientium. Mea enim vita non modò necessariis instructa, sed vereor, ne superuacuis impedita sit, quò sibi libuisset secuturum, non ignarus quidem rerum harum, & illarum, sed magnum ibi hactenus ducem nostrum, & vos omnes esse cogitans, quos mihi reliquos mors fecisset, amoris vestri, velut vncis quibusdã validissimis retrahebar. Nunc mutata sunt omnia, & amicorum turba abiit, & dux noster obiit, & Socrates meus, qui solus ibi est, quamuis vnus in me possit omnia, quamuis inueteratæ consuetudinis vi, & ipse ibi esse, & omnes suos, méque ante alios secum esse desideret: nunquam tamen audebit, omni spe abscissa, in eas nos terras accersere, vbi omnes prorsus alienigenæ atque hospites futuri simus. Neque enim ludus est, hominibus mortalia & caduca corpuscula trahentibus dicere, quod animæ fœlices corpore resolutę apud Virgilium loquuntur:

Nulla certa domus, lucis habitamus opacis,
Riparúmque thoros & prata recentia riuis
Incolimus:

Si enim ista sufficerent: Posset vtique Clausa vallis, vnde Sorgiæ fons erumpit, nobis omnibus abundè riuulos nitentes, & frondosas domos, & herbosa cubilia ministrare. Sed plus aliquid exigit natura. Philosophos quidem, & poëtas duros ac saxeos vulgus existimat: sed in hoc fallitur, vt in multis. Carnei enim sunt, humanitatem retinent. abiiciunt voluptates. Est autem certa, vel philosophicæ, vel poëticæ meta necessitatis, quam præterire suspectum

pectum sit. Non est per se sufficiens (vt ait Aristoteles) natura adspeculari, sed oportet & corpus sanum esse, & cibum & reliquum famulatum existere. Neq; enim cantare sub antro Pierio. Thyrsúm-ve potest cõtingere sçua paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque corpus eget (vt Satyricus ait) magno ac perpetuo apud doctos philosophici poëticíque dogmatis consensu rerum, sed verborum varietate multiplici. Igitur Clausa vallis (vt cœptum sequar) ad aliquid breue tẽpus, vrbanarum voluptatum tædio affectis, vt olim diuerticula, nõ inamœna sufficeret, in longum certè nec promitteret necessaria, nec præstaret. Nobis sanè si sapimus, non in longum modò, sed in finem quoque prospiciendum est vt vitem illud Senecæ, quod humano generi facit improprium, vbi ait: De partibus vitæ cogitare omnes, neminem de tota. Verè sic est enim, & hoc est, quod consilia nostra præcipitat, vt inter occupationes tam varias, miserandum simul & ridiculum ignoremus, quonam fluctuantis vitæ gubernacula dirigamus. Scio Clausæ vallis optabilem æstiuo præsertim tempore stationem, & si illi vnquam secessus ille gratus fuit, mihi fuisse gratissimum. Decennis indicio est mora, quod si apud te, imò verò apud alterum me sine iactantia gloriari licet, pace montium ac fõtium, syluarúm-ve, quid vsque nunc loco illi non dicam clarius, sed certè notius incolatu meo accidit: opinari ausim apud multos, non minùs illum meo nomine, quàm suo miro licet fonte cognosci. Quod idcircò dixerim, ne quis dubitet, me illius rus non spernere, quod mihi, meísque rebus aptissimum semper inueni, vbi sæpe curas vrbanas rustica requie permutaui, quod non tantùm electione ipsa, sed agrestibus muris, & (vt spero (solidiore cemento, verbis atque carminibus illustrare pro viribus studui. Illic, iuuat enim meminisse, Africam meam cœpi, tanto impetu, tantóque nisu animi, vt nunc limam per eadem referens vestigia. ipse meam audaciam, & magna operis fundamenta, quodammodo perhorrescam. Illic & epistolarum vtriusque styli partem non exiguam, & pene totum Bucolicum carmen absolui, quàm breui dierum spatio, si noris, stupeas. Nullus locus aut plus otij præbuit

aut stimulos acriores ex omnibus terris ac seculis illustres viros in vnum contrahendi, illa mihi solitudo dedit animum solitariam vitam, religiosúmque otium, singula ibi, singulis voluminibus perstringenda, & laudanda suscepi. Denique iuuenilem æstum, qui me multos annos torruit (vt nosti) sperans, illis vmbraculis lenire, eo iam inde ab adolescentia sæpe confugére, velut in arcem munitissimam solebam. Sed heu mihi incauto, ipsa nempe remedia in exitium vertebantur. Nam & his, quas mecum aduexeram curis incendentibus, & in tanta solitudine nullo prorsus ad incendium accurrente, desperatius vrebar. Itaque per os meum flamma cordis erumpens, miserabili, sed (vt quidam dixerunt) dulci murmure, valles cœlúmque complebat. Hinc illa vulgaria iuuenilium laborum meorum cantica, quorum hodie pudet, ac pœnitet, sed eódem morbo affectis, (vt videmus) acceptissima. Quid multa? Si quæcunque alibi, cum his quæ ibi scripsi conferantur, loca omnia locus ille, me iudice, hactenus superet. Est igitur, erítque dum vixero, sedes illa mihi gratissima commemoratione iuuenilium curarum, quarum vsque ad hanc ætatem in reliquis elaboro. Verumtamen nisi nosmetipsos fallimus, alia quædam sunt viro tractanda, quàm puero, & ego aliud illa ætate non videram; obstabat tamen recto iudicio cæcus amor, obstabat ætatis imbecillitas, paupertásque consilij obstabat reuerentia ducis nostri, sub quo esse pluris erat, quàm libertas, imò sine quo, nec libertas, nec vitæ iucunditas plena erat. Nunc & illum, & quicquid dulce superat vno pene naufragio amisimus, quódque sine suspirio dici nequit, virentissima olim laurus mea, vi repentinæ tempestatis exaruit, quæ vna mihi, non Sorgiam modò, sed Druentiam Ticino fecerat clariorem, velúmque, quo oculi mei tegebantur ablatum est, vt videam quid inter Vallem-clausam, Venesini, & alias Italiæ valles, collésque pulcherrimos, & vrbes amœnissimas, ac florentissimas inter sit. Intérque vnicum Sorgiæ fluuium ac fontem, & tot lucidos fontes, tot vaga flumina, tot piscosos lacus, duo longè clarissima maria, Italiam, curuis & speciosis anfractibus hinc inde vallantia, vt reliquas naturæ præ-

stantissimas dotes sileam, atque in primis ingenia, moresque hominum, non hic dicendi locus est. Et tamen vide, quantum primæ impressiones animis hæreant, quantúmve consuetudo longior possit in rebus omnibus. Vt enim iuxta perfectæ legem amicitiæ omnes tibi pectoris mei fluctus aperiam, sensum hac in parte rationi rebellantem sentio, & fateor vallem illam nunc vel maximè repudians suspiro, méque vel inuitum nescio, quis locorum amor vellicat. Ibam verò nunc longiùs, sed expectantis murmure nuncij admoneor, vt dicam. Vale.

FRAN. PETRARCHA OLYMPIO SVO, S. Epist. IV.

Illum iterum, ceterósque amicos ad vitam solitariam inuitat.

OMnis amor impatiens moræ, festinationis appetens: nec vlla tanta celeritas est, quæ non tarditas sit amanti. Multa tibi hesterno die scrisperam. Sed quoniam & multa supererant, & exonerari animus ardebat, cum fortuitus nuncius non adesset, ad domesticos me conuerti, & singulorum quidem obsequia trutinanti, vt intelligas, quàm ventri deditus sim: coquus primus occurrit, quo sine incommodo, imò verò non sine commodo carerem. Coquus (inquam) quod non te latet, apud maiores olim nostros vilissimum mancipium, victa demum Asia in pretio haberi cœptum. Nunquam vtinam armis Asiam vicissemus, ne vnquam suis illa deliciis nos vicisset. Sed ad nostra festino. Coquus ergo nunc mihi pro viatore fuerit, villicus pro coquo. Scis me rustico apparatu, & cibis agrestibus delectari, & in tenui victu solum cum Epicuro sentire, cui in hortulis, & oleribus illius à se laudatæ voluptatis summa reponitur. Sæpe quidem rusticitati meæ gratulor, quæ mihi perpetuum fecit, quod his delicatis ac lautis vicissitudo facit alternum. Quis est enim tam fastidiosè arrogās cui non semel in anno dulce sit, vel in herbosis aggeribus sub diuo, vel in amici pastoris tugurio discumbere, quamuis auratæ trabes non impendeāt, quam

uis mensas argentum graue non oneret, muróſque marmoreos purpurea aulea non veſtiant, cuius tam ambitioſa ſitis eſt, vt præter patulam gemmam, ſeu leones aureo nemore decertantes, Polycleti opus poculum omne faſtidiat? Aut cuius tam ſuperba fames, quæ non interdum ruſtico conuiuio ſedari queat, quamuis peregrinæ Colchorum volucres non aſſint, nec ignotis littoribus iactatus rhombus, intérque duos pontes captus Tyberinus lupus, cui veterum opinio palmam inter piſces tribuit? Hæc ergo, quæ his nauſeatoribus nonnunquam raritatis lenocinio temptantur, mihi naturæ beneficio ſemper accepta ſunt. Et ſi quando forſitan alternare libuerit, hic mihi iugis viuendi tenor placeat. Lautiora non reſpuam, ſed quæ rariſſimè, & magno redeant interuallo. Né-ne me fruſtrà loqui putes, cum longè aliud ſim dicturus, iſta ſic accipies, ne fortaſſis incommodo meo conſuleris, coquum meum mihi antè remiſeris, quàm plenè conſilium ceperitis de ſumma rerum noſtrarum, quæ nunc agitur. In quam quæſo, aperite aures & non repugnantes animos adhibete. Quod enim vni dico, omnibus dico, & cupio has literas (ſi fieri poſſit) per ora amicorum omnium circumferri, & ſi quis ibit iſtinc ad occidentem nuncius, Socrate noſtro nominatim dirigi, vt omnes agnoſcant, vel ſenſus meos, vel ineptias. Multa quidem altius dici poſſunt, at non multa (niſi fallor) vtilius: de hoc tamen vos videritis, ego inſtitutum ſequar. Equidem aut omnino nihil calleo, aut niſi iam viri ſumus, nũquam erimus. Nemo nobis blandiatur, nemo nos iuuentutis appellatione decipiat, non ſumus decrepiti, eſto ne ſenes ſimus, at profectò nec pueri. Tempus eſt puerilia relinquendi, tempus eſt (inquam) eſſet vtinam, nec tranſiſſet, ſed mihi crede tranſiuit, & magna iam ex parte poſt tergum eſt. Sed & aliquid reliqui eſſe non inficior, id ne pari ſegnitie dilabatur, celeriter occurrendum eſt. Alioquin eueniet nobis (quod vulgò ferè omnibus) vt adoleſcentiam reſpectantes, & in illam oculis ac mente conuerſi, ſenectutis in foueam incidamus, atque ita demũ iacentes illuſiq; de naturæ fragilitate, déq; æui breuitate lamẽtemur. Et veræ querimoniæ Theophraſtũ proferam auct-

auctorem, Cicerone ac Salustio, & Seneca resistentibus magnificè superandum. Quum arripimus hoc quantulumcunque quod restat, inq; ie vsus nostros vertimus, ita vt secundum ipsius Senecæ sententiam, quæ Ciceronis antè fuerat quod facere solent, qui serius exeunt, & volunt tempus celeritate reparare, calcar addamus, cuius ope veras opiniones, & fugientem hactenus beatam vitam, vel sub ipsum viæ terminum consequamur. Nunquam enim serò fit, quòd salutariter fit. Nam etsi reprehensionem dilatio mereatur, emendatio tamen laude digna est: certè quod bonum est, intempestiuum esse non potest, alioquin bonum vtique non est, si tempestiuum esse desiit. Qualem esse credamus pœnitentiam defunctorum, ad nihil iam, nisi ad miseriæ cumulum valituram, cùm contrà non inefficax pœnitẽtia senum sit. Nos verò non pudeat, quod multò antè decuit fecisse, vel nũc aggredi pudeat, potiús-ne nunc quidem variante capillo, turpe est, variantia nõ firmare consilia. Aggrediamur itaque iam tandem & cogitemus acriter, quo in statu res nostræ sint, nec nostræ solum res, sed quorumcunque mortalium. Quid enim, quæso, vita hominis flatus exiguus, & tenuis fumi vapor? Sentit in se quisque quàm putre, quàm debile, quàm caducum corpus inhabitet: sed errore iam publico dissimulamus, & imbecillitatis nostræ conscij, diuturnitati proxima cupida mente concepimus. Sic est. Nemo est, qui se moriturum credat, imò verò nemo est, qui non se mortalem sciat, sed diẽ mortis, qui forsan hodiernus est, in longum pro se quisque reiicit: ita cuius maximè præsentiam timemus, eius absentiæ maximè fidimus, cùm nihil tam ambiguè absit, nihil tam subitò præsens fiat. Fallit miseros Aristotelicum illud, ait enim: Quæ longè, valde nõ timentur. Sciunt enim omnes quod morientur, sed quia non propè, nihil curant. Hæc ille vir tantus in Rhetoricis. Ego autem & nihil curare mortem homines fateor, & esse quam idem dicit incuriæ causam, non nego, sed eam ipsam falsam esse concedo. Nam quid falsius quàm lõgè valdè mortem credere, quæ ne vnquam longè sit, vitæ breuitas facit, vt semper impendeat, suprâque caput sit? Facit humanorum casuũ mira vis, ineluctabilis euentus, infinita varietas. Nihil ergo

homines mortem curant, non quia est, sed quia creditur longinqua. Si enim scirent quàm propè est (quod necessariò scirent, nisi vltrò oculos auerterent) puto vel timere mortem inciperent, vel ita se virtutibus armarent, vt eam ceu melioris vitæ principium, meritò non timerent. Nunc verò quē inuenies, qui non virtute abiecta longæ vitæ spē arripiat? Quæ vt non fallat, & vt sit vita lōgissima, breuis erit, & in finē vitæ spes viuendi, quāuis rarius, quāuis nihil mentita fefellerit. Quem (inquā) mihi reperies, qui non coëtaneis suis se superuicturum speret? Ita cogitatus nostros, actúsque disponimus, quasi nullus noster, omnium hæredes futuri simus, cùm interim nostra suos expectatores habeat hæreditas, & haud dubiè falli alterutros sit necesse. Eripiamus nos huic ludibrio, & si ratio non mouet, moueant nos exempla, quæ vndique, vel nolentibus oculis se offerunt, & vel exclusa se ingerunt, vel admissa præcordiis insident, nec facilè nisi contemptu impio, & obliuione mortifera differuntur. Delectat scire quid scimus, & quò imus, quis cunctantes tergiuersantésque manet exitus. Intueamur alios; non lynceis oculis est opus, aut illius acie, qui à Lilybei specula digredientem portu Carthaginis classem Punicam numerabat. Iuxta respicere iubeo, vicina ostia, contiguas domos, vrbes ipsas, quas incolimus, nimis vagi ad proprios lares ac limina redeamus, videbimus, quàm repentè velut somnium ac vmbra præteriit, atque ab oculis nostris euanuit, quicquid in terris charius habeamus. Amici qui pro nostra vita ituri ad mortem, si res posceret, videbantur, mœstam nobis, & nimis solitariam sorte sua vitam effecerunt. Non illi nos hic perpetuos reliquêre, sed eodem properantes præuenêre, & sorte sua in tempore vsi sunt, vtemur nostra nos. Nā vt ait Flaccus: Omnes eodem cogimur, omnium versatur vrna serius, ocyus sors exitura, exiuit ocyus sors illorum, exibit nostra serius, sed confestim. Nulla mora est, quātulū enim refert, senex an iuuenis moriare? Si ad finē vitæ respicis, quæ vltima & communis omnium est senectus, verum est illud;

Nemo non senex moritur.

Si ad vitæ spatiū nemo nō iuuenis: si ad opiniones, nemo

non

nō puer. Verū ista prætereo, tā multa enim occurſant, vt vix propoſitum ſequi poſſim, piget & impedior gemitu ſtringere numeris, quos affectus intimos, quæ dulcia pignora mœſtus, ac peſtilens, & ex omni ſeculorum ſerie eradendus nobis annus hic abſtulit. Pauci fateor, ex omni grege hominum, pauci admodum ſupereſtis, cum quibus & viuere eligam & mori. Non quod ego plures alios ab hac acie ſecludam, niſi quos à nobis vel coniugium, vel occupatio, vel ętas, vel difficultates aliæ diſiungunt, amaríque iubente longinquo. Neque verò nūnc de ſuperioribus agitur, quorum beneuolentia fortaſſe aliqua conuerſatio nulla eſt, obſtat enim mutuo conuictui, diſparitas fortunarum, & amicitiarum virus inſolentia, dum vileſcere metuentes, adorari expetunt, non amari. Nos verò quid impedit, quominus has vitæ reliquias, quantulæcunque ſunt, ſimul in pace animi, bonarúmque artium ſtudiis tranſigamus? Etſi in freto viximus (vt ait Seneca) moriamur in portu: an quod vni quondam domino obſequentes fecimus, id nobis viuētes non audebimus? Pluſque in nobis potuit ſeruitutis ſtudium, quàm libertatis amor potuerit? Et ſi enim nobis ea ſeruitus libertate qualibet gratior foret, quod illius viri optimi, & in eo ſtatu minimè inſolentis affectio merebatur. Tamen eſſe ſub altero, parêre alteri, alieno viuere videri poſſunt ſeruitutis honeſtioris, veræ autem libertatis vtique non ſunt. En inuiſa licet contigit libertas, aliquantóque citiùs quàm optauimus noſtri ſumus. & animos quidem noſſe omnium videor, an fallor? Impedimenta rerum fors omnia non nouit, & ſi mihi nihil in vobis occultum reat. Non ſumus principes maris & terræ (vt Ariſtoteles ait) nec oportet ad beatam vitam. Habemus autem quod ſufficere poſſit animis moleſtis, ſéque cōponentibus ad naturā, quod ſi ſingulis ſat eſt, quid omnib⁹ euēturū ſuſpicemur, vbi viciſſim alter alteri manū dabit, & quicquid neceſſitatis inciderit, alterna ope ſupplebitur? Abūdabimus, mihi crede, magíſque forſā inuidia nobis, quàm inopia metuēda eſt. Quid igitur expectamus? Quid mari & mōtib⁹, fluminibúſq; diſtrahimur? Cur non tandē dom⁹ vna cōiūgit, quos olim iūxit vnitas volūtatū

nisi quia noua quælibet, & insueta refugimus, multáque pollicitam spem dimittere, vocantémque nos altius fortunam non audire stultum credimus, cum multò sit stultius, contemptis rebus certis ac solidis, in vmbris inanibus spem habere? Ego quidem non conscientiæ meæ, sed præsentis epistolæ testimonio, in vos culpam omnem retorqueo, quicunque fueritis ad salubre consilium tardiores: quin huc solutis seu præsectis occupationum laqueis festinate. Neque mihi detur arrogantiæ, quod trahere videar, non sequi: ad vtrumlibet ex æquo paratus est animus. Siquis vsquam vitæ nostræ locus est aptior, raptim adero. Non sum enim, qui fidele consilium spernere soleam, nulli credo mortalium maior est vel fides, vel authoritas amicorum sin hic vestro iudicio prælatus est, quod nostræ fatentur literæ, quod vos nunc etiam tenet? Nolite cupiditati aurem dare nunquam dictura est, sufficit, semper nescio quid deerit. Habet hoc auaritia proprium ac pessimum, insatiabilis est, & dum promittit absentia, præsentibus vti vetat. Hæc habendi sitis nunquam plura quærendo, sed pauciora concupiscendo sedabitur. Crede non mihi, sed Philosophis, quorum hæc ad veras diuitias via est: quod ad me attinet, cupiditatibus metam fixi, & oraculi loco Poëticum illud accipiens:

Semper auarus eget.

Ne ipse quoque semper egeam, quod sequitur feci. Certum voto finem petij, eúmque iampridem licet reflantibus fortunæ ventis attigit. Nec verebor, ne mihi segnitiem meus hæres obiiciat. Mihi viuo, non sibi, & rerum mearum cum amicis dominus non negotiorum, eius, qui nondum certè mihi noscitur, sum gestor: pro me autem, quid mihi tantoperè laborandum? Expedit expeditum esse impedito itinere gradientem. Quid nunc etiam inutiles, & funestas sarcinulas cogitamus? Eleganter ait Flaccus:

Spatio breui spem longam reseces.

Id ne autem de breui aliqua vitæ particula dictũ putes, & non de tota vita, alio loco ait idem

Vitæ summa breuis spem nos vetat inchoare longam.

Ita est. Non fallitur, nihil est verius. Etsi enim vitæ hu-

tas angustias, quo possumus modo, aetatum scilicet operosa distinctione, laxemus, & in quantaslibet minutias diuidamus, redue tamen in vnam cuncta congeriem, & curiosius scissa reintegrans, à primo ad vltimum, quamuis longissimae vitae diem, totum simul mēte complectere, fateberis summam huius rapidissimi tēporis esse breuissimam, huius ipsius, si retrò circúmque respicimus, bona pars nobis exacta est. Colligamus nos igitur ad extremum viarum, quódque non ambigitur, duriora abiectísque superuacuis necessaria teneamus. Quid procrastinamus? Quid differimus? Dies diem, mensis mensem sequitur, atque in se sua per vestigia voluitur annus (vt praeclarè ait Maro) desinendóque reincipit, & nunquam sic desinit vt quiescat. Quis igitur expectandi modus? Aut quis finis? Canos iam comites senectutis, & nuncios mortis aspeximus. Quid amplius praestolamur? An vt oculi senio caligent? Tremant poplites? Terga curuentur? Primùm quis Mathematicus tam longae nobis sponsor est vitae. Esto, sit Petosyris, sit Neclepsus, sit Nigidius ex nostris, sit Veritas demum ipsa, quanta tamen amentia est, quod iustis in spatiis, & ex commodo fieri potest inter angustias differre, praesertim quia, vt vini & olei, sic temporis & vitae fex in fundo iacet: ad illam te, cùm superiora neglexeris, reseruare ridiculum. Votum solet esse viatoribus ante noctem hospitari. Accingamur, obsecro, & post multos itinerum labores, illi nos aeterno tandem hospitio praeparemus, in hoc vobis luce clariores fratres, si quid in me opis, aut consilij est, si quid oblectationis, aut gratiae, ex me sperari potest, si quid subsidij ex his rebus, quas impropriè meas dicunt, cùm fortunę sint: denique meipsum, quod sine arrogantia possum, libellos atque hortulos meos offero, & si quid est aliud. Sunt autem non pauca, quorum indiget inops haec & mortalis vita, quae nominatim stylo inseri decor vetat. Ad extremum, vt in vota precésque desinam, inspiret vtinam nobis consolator spiritus, in hoc saltem conspirare, vt dum spiramus adhuc, ad requiem aspiremus, & qui tota die suspirauimus, respiremus ad vesperam. Vale.

FRAN. PETRARCHA OLYMPIO suo. S. Epist. VI.

Solitudinem suadet ad capessendum Sorgiae fontem.

IAm superiori epistolæ annulum impresseram, cum ecce nondum satiato animo quædam venturi dulcedo temporis, quam mente & cogitatione percipio, fatigatum mihi restituit calamum, & cunctante nuncio, ne occasionem perderem, sed vltrò moræ causas exquirerem, admonuit. Iuuat enim diu colloqui, iuuat fateri tuo, quos ipse experior stimulos incutere. Si omnes igitur beatam quærimus vitam, neque ab hoc fine vlla vsquam mortalium secta dissentit (quanquam, quibus ad illam tramitibus peruenitur multùm soleat humana curiositas altercari) Si, inquam, nobis est illa, quam licet perdimus, nec perdere possumus, si velimus, nec perdere si possimus, velle possumus. ipsa cum anima fœlicitatis inseparabiliter adiuncta cupiditas, si fœlicitatem ipsam scimus, sine amicorum solatio, plenam hic non posse contingere, quo gaudiis nostris obstamus? Quid-ve omnium bonum impedit tarditas singulorum? Venit equidem ad nos (vt ait Seneca) ex his, quos amamus, etiam absentibus gaudium, sed id leue & euanidum. Conspectus & præsentiæ, & conuersatio habent aliquid viuæ voluptatis. Ea ergo, quàm primum nobis arripienda est. Etenim si obscœnæ voluptatis Philosophorum aliqui adeò appetentes fuerunt, vt ibi summam boni ponerent, & illam humanorum actuum dominam statuentes, ipsius quoque virtutis sibi tribuerent famulatum: quis erit tam ferrei pectoris, qui honestæ voluptatis non capiatur illecebris, quam virtutis comes amicitia præstare potest? Nam quæ, oro te, vita fœlicior, aut lætior, quàm cum illis degere, cum quibus te perfectus amor, & mutua charitas vnum fecerint, indissolubili quodam nodo, consensu vnanimi rerum adhibito. Cum quibus tibi nil dissonum, nil occultum, sed concordes animi, serenæ frontes, sermo verax & inelaboratus, apertique etiam cogitatus. Hæc si nobis vita contigerit, nil amplius optabo, & siculum fenerator, aut hæredipetam alieno tumidum videbo, nullus mihi mouebit inuidiam, me quidem extimatore pauperrimus, licet

cet (vt Satyricus ait)

Poßideat, quantum rapuit Nero, montibus aurum
Exaequet nec amet quenquam, nec ametur ab vllo.

Vbi sanè vnum in locum conuenerimus (quid enim & venturo prohibet gaudere? Siquidem hoc meum habitaculum approbare videmini, nec immeritò etenim, & si non quale habet apud Virgilium rex Latinus,

Augustum, ingens, centum sublime columnis,

At certè iucundum, solitarium, salubre, & profectò paucorum tam bene concordium hospitum latè capax) Siquidem ergo vos huc fata contraxerint, iaciemus anchoram, portum inuenisse videbimur, & si forsan ad quietis nostræ famam confluentium amicorum turba successerit, non deerit vrbe media domus angustior, quã sub hac spe vacuam sino. Ego enim partem eius exiguam nõ implerem cũ omni familia, quæ mihi solitudinis auido turba ingens est. Ne vt tibi his verbis iniectas compedes, téque vni domicilio ascriptum putes. Erit nobis in vicinitate Bononia studiorum nutrix, in qua primùm adolescentiæ tempus expendimus, & dulce erit, mutatis iã non solum animis, sed capillis antiqua reuisere, & firmiore iudicio ciuitatis illius, simulque nostrorum animorum habitum, & ex collatione temporum, quantulum viuẽdo processerimus contemplatio. Erit inde Plato imminens Placentiæ, & Antonini tui venerabilis domus, cui tu præsides mediocritatem loci non aspernatus, multis opulentioribus neglectis, quoniam, vt dicere solebas, vicinitatem meam in prouentibus numerasti. Illic tu omnium hospes eris. Occurrent, si paulò longius proficisci libeat, hinc Mediolanum, illinc Ianua, illa terrestrium, hæc maritimarum decus vrbium: ille tractus lacus habet & fluuios, hic æquor vndisonum, tumidum, veliuolum. Illic Larium videbimus vberem lacum, cui Comum adiacet, vnde Abdua amnis egreditur. Videbimus Verbanum, qui lacus Maior ab incolis dicitur, quem Ticinus intersecat. Videbimus vnde Ollius prodit, nec procul inde Benacum, vnde Mincius erumpit, vulgò lacus notissimos; doctis etiam incognita nomina. Videbimus

impendentes lacubus alpes, aëreas, ac niuosas æstate, gratissimum spectaculum, & sylua astra tangentes atque inter concaua rupium querulos riuos, summísque de montibus magno cum sonitu cadentia flumina, & quocunque te verteris, auium murmur ac sonitum. In hoc autem tractu altero, Apenninus supra verticem erit, mare sub pedibus, Tritones in oculis, & pelagi monstra, Neptuníque fragor in auribus & saxorum fletus, & Nereidum querelæ: ibimus per eos, quibus vltra quàm credi possit oblector, Tyrrheni sinus æquoris, vacui mordacium atque pungentium curarum, & optatum semper otium, quod nobile illud amicorum par Scipio ac Lælius post labores bellicos, in Caietæ olim, nos Ianuæ littoribus post labores Pyerios sortiemur. Si quando autem hac terrarum parte pleni erimus, alia nobis Pataui, nec minus tranquilla, nec minus idonea sedes est, vbi non vltima portio bonorum fueris? Talis illius viri meruisse conuictum, sub quo ciuitas illa nunc multorum serie laborum fessa, respirat, ipsum honoris causa nomino, Iacobum Carrariensem, quem amare & colere in animum vt inducas velim. Nam cùm omni ætate virtus amabilis fuerit, nostra eò amabilior, quò rarior. Eritque nobis ad latus, omnium quas ego viderim (& vidi cũctas ferè quibus Europæ regio superbit) miraculosissima Venetiarum ciuitas, eiúsque dux illustris, honoris quoque causa nominandus, Andreas, non minus bonarum artium studiis quàm tanti magistratus insignibus vir clarus, erit & Taruisium, fontibus, fluminibúsque circumfluum, domus, emporiúmque lætitiæ. Itaque quotiens identitas tædij mater offenderit, aderit optima fastidij medicina varietas, & quicquid molestiæ obrepserit, alterno colloquio, & & locorum talium mutatione purgabitur. Vides, non dubito, quibus te armis aggredior, quibus artibus vrgeo vt virilibus monitis blandicias muliebres misceo, omnia facio, vt persuadeam, quàm fideliter, ipse mihi sum testis, quàm efficaciter, exitus arguet. Quod in me erat, præstitisse videor. Poteram fortè, si vellem, hoc ipsum comptius eloqui, sed affectus immodicus sæpe facundiæ officit. Dixi vtcunque quod in animo erat; dixi quod intel-

intelligeres, atque vtinam probares. Noli, quæso, qualiter, sed quid dicam extimare. Meliùs consulit balbutiens amicus, quàm disertus hostis. Nescio finem inuenire, & sentio me animi calore longiùs, quàm destinaram, processisse. Vnum hoc identidem, quod sine hortatu meo tibi in animo esse perpendi, inculcare non desinam. Conueniamus, oro, impigrè in hunc locum omnes, si locus hic omnibus placet: alioquin è toto orbe terrarum (nullum enim mundi latus, nullam barbariem recuso) eligite, vbi vobis placeat locum, ego affectus meos exuo, vestros induo, modò simul esse liceat, bene erit. Eligite vbi quod restat pacificè viuamus, vbi æquanimiter moriamur. Tu interim cura, ne sanum consilium corrumpat mora. Vale.

FRAN. PETRARCHA BARTHOLOMAEO HAEREMITAE, S. Epist. VI.

Carmina quæ petierat amico mittit.

QVod professionem tuam decuit, ex Augustini dictis volumen ingens, per alphabeti literas collegisti, rem maioris operis, quàm gloriæ. In quo ipso animum tuum miro, qui studio vtilitatis publicæ maiora (*nisi fallor*) ausurum ingenium inclinasti, cuius vt votiuus exitus, sic prosper euentus, sicut decuit, fuit. Siquidem cùm ob eam causam Clementi Rom. Pont. literatissimo, sed occupatissimo homini, atque ob id talium compendiorum auidissimo placuisses, patriæ tuæ Pontifex factus, & altiora sperare iussus, quamuis, vt est animi modestia & religionis humilitas, natalis soli iuncta dulcedini, nescio an nihil non dico altius, sed gratius inter hæc rerum prætereuntium fastigia sperare queas, & de labore in laborem missus, quod de Augustino fecisti, de Ambrosio facere iuberis. Parebis iam (cœpisti enim & perficies spero, pari vtinam facilitate & fœlicitate) parebis (inquam) si te noui, non vt altior fias, sed vt gratior. Etsi enim sorte tua lætum te, altioris status cupido non tangeret, æquum tamen animum decet, tam

se gratum præbere vltrò oblatis, quàm optatis petitísque. Nihil enim æquè in omni munere librandum ac donantis intentio. Sed ad Augustinum tuum redeo, & ad te. Petiisti equidem, vt in fine illius magni operis, quod sudore tuo de illius opulentissimi patrisfamilias lapidibus & calce compactum Pontifici præsenti, sed multò maximè posteris præparasti, aliquot tibi versiculos subscribendos mitterem: parui & ipse tibi, cui nil negare volens, & quamuis iamdudum musis indignantibus, longéque aliis curis exercētibus animum ab eo studio distractum, reuocarunt preces tuæ. Mitto igitur paucos Elegos, eiusdémque sententiæ totidem, si malis, hexametros. Vtere vel vtrisque, vel vtrislibet. Vtrósque raptim, & ex temporali impetu dictatos noueris, nuncio tuo mecum syllabas metiēte, ita vt nulla tam breuis fuerit, quæ sibi non longissima videretur. Vale.

FRAN. PETRARCHA SOCRATI SVO, S. Epist. VII.

Quod annus pestilens, & coniunctos & amicos eripuerit, conqueritur.

MI frater, mi frater, mi frater, nouum epistolæ principium, imò antiquum, & ante mille ferè quadringentos annos, Marco Tullio vsurpatum. Heu, mi, frater amantissime, quid dicam? Vnde ordiar? Quónam vertar? Vndique dolor, terror vndique in me vno videas, quod de tanta vrbe apud Virgilium legisti.

---- nam crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Vtinam, frater, aut nunquam natus, aut prius extinctus forem. Quod si nunc optare cogor, quid dicturum putas, si ad extremam senectutem venero? Ad quam ô vtinam non venirem, sed veniam, timeo, non vt diutiùs viuam, sed vt diu moriar. Nosco etenim fatum meum & sensim intelligo ad quid in hanc ærumnosam & infœlicem vitam sim proiectus. Heu mi frater optime, piget ex intimis, ac miseret me mei. Quid enim dicent, qui hæc audient? Tu qui solamen, auxiliúmque aliis laturus videbare, qui de te nobis nil mediocre promiseras, qui malorum vsu obduxisse iam callum aduersus omnes fortunæ

tribu-

tribulos, omnémque duritiem, seu magis in silicem obriguisse debueras, ecce quam molliter sarcinas tuas fers? ecce quàm crebris eiulatibus aures nostras percutis? vbi nunc maximè professioni tuæ debita celsitudo animi? Vbi verba magnifica? Quæ si ad ingenij laudem, non ad vitæ consilium referantur, quid nisi sonitus inanis. & curiosarum delinimenta sunt aurium? Præstolabamur ex te carmen Heroicum, elegos legimus, historias virorum illustrium sperabamus, vnam cernimus proprij doloris historiam: quas putabamus epistolas, sunt lamenta; vbi artificiosas iuncturas verborum, noua incude percussorum, & dulciter intermicantes colores Rhetoricos quærebamus, nil nisi dolentis interiectiones, atque indignantis accentus, & lituras aspicimus lachrymarum. Et quis erit modus, aut quis finis, si omnium fata mortalium deplorare volueris? Vnum tibi pectus, & vna lingua, non sufficit. Ingens, miser, molestúmque negotium suscepisti, supernacuum, inexplebile alio de fonte petendæ sunt lachrymæ, semper nempe recentibus, assiduéque nascentibus dolorum causis, duo fessi, iámque exhausti, & arentes oculi parum mœsti humoris infuderint. Quid agis igitur, tui oblite, & propria non contente miseria ac morbo, in quem sciens, voléńsque incideris, nisi amicis insuper venenum porrigas pollicitus medicinam? Quin potius vel fle solus, vel disce mortalis æquo animo ferre mortalia, téque non solum, neque cum amicis solis, sed cum omnibus rapi videns, iam tandem inutilibus quærimoniis modum pone. Erit aliquis indignantior natura, qui mœstos apices prorsus abiiciat, aut conculcet cum irrisione mordaci: Abi, inquiet, in malum sydus, an si tu muliebriter victus es, nos saltem viros esse non sines? Cuncta præsentio, nílque me horum, frater, fallit. Scio viri esse, primum quidem dolorem propellere, proximum extinguere, tertium moderari, vltimum abscondere. Sed quid agam? Moriar nisi dolorem in fletum ac verba profudero. Illud me solatur, quod quicquid scripsero, molle quãuis ac friuolum, cũ ad tuas venerit, nõ ad alienas peruenisse sed ad proprias manus meas rediisse videbitur. Quãobrẽ nõ magis erubescam,

dum hæc à te legentur, quàm dum à me scriberentur, erubui. Nec me tamen erubuisse negauerim. Sensi enim animum ac stylum excusso rationis freno, extra destinatum iter, affectibus iuncto trahi, quo nil molestius pati possum id pudori meo grauius insultat, quod iam annus integer, iámque alterius bona pars abiit, ex quo nihil viro dignum non dicam facere, sed ne loqui quidem contigit, tonante vndique ac fulminante ferocitet fortuna. Qua in re, benigno sub iudice forsàn excuser, si ad examen venerit. Illud quoque non leue aliquid, sed M. CCC. XLVIII. sextæ ætatis annum esse, quem lugeo, qui non solum nos amicis, sed mundum omnem gentibus spoliauit. Cui si quid defuit, sequens ecce annus illius reliquias demetit, & quicquid illi procellæ superfuerat, mortifera falce prosequitur. Quando hoc posteritas credet, fuisse tempus sine cœli aut telluris incendio, sine bellis, aut alia clade visibili, quo non hæc pars aut illa terrarum, sed vniuersus ferè orbis, sine habitatore remanserit? Quando vnquam tale aliquid visum, aut fando auditum, quibus hoc vnquam annalibus lectum est, vacuas domos, derelictas vrbes, squalida rura, arua cadaueribus angusta, horrendam, vastámque toto orbe solitudinem? Consule historicos, silent: interroga physicos, obstupescunt: quære à Philosophis, humeros contrahunt, frontem rugant, & digitulo labris impresso silentium iubent. Credet ista posteritas, cum ipsi, qui vidimus, vix credamus, somnia credituri, nisi experrecti apertis hæc oculis cerneremus. & lustrata vrbe funeribus suis plena, domū reuersi ex optatis pignoribus vacuā illā reperientes, sciremus vtique vera esse, quæ gemimus? O fœlicē populum pronepotum, qui has miserias nō agnouit, & fortassis testimoniū nostrū inter fabulas numerabit. Meremur hæc quidem, & grauiora, non inficior, sed & maiores nostri meriti sunt, atque vtinam non & posteri mererentur. Quid est ergo iudicum, iustissime, quid est quod insigniter adeò in nostrū tempus vltionis tuæ feruor incubuit? Quid est, quod cum culpæ non desint, desunt exempla supplicij? Cum omnibus peccauimus, flagellamur soli. Soli, inquam, audeo enim affirmare, quod si omnium

secu-

seculorum flagella post arcam illam famosissimam, reliquias mortalium informi pelago circumferentem, cum præsentibus extimentur, deliciæ fuerint,& ludus ,& requies. Neque enim cum his malis conferri decet bella quantalibet, in quibus & remediorum multa sunt genera, & (quod vltimum est) viris saltem mori licet. Est autem solamen mortis eximium , bene mori. Hic remedij nihil prorsus,nihílque solatij est,cumulóque cladis additum,mali causas principiúmque nescire. Nam nec ignorantia , nec ipsa quidem pestis odiosior nugis ac fabulis quorundam hominum , qui professi omnia,sciunt nihil, quorum tamen ora licet assuefacta mendaciis, tandem silent, & quæ impudentia primum ex more laxauerat,ad vltimum clausit stupor.Sed ad inquisitionem meam redeo.An verò sicut longum iter agentibus euenit, vt aliæ viæ pars fatigationē faciat, alia fatigetur, sic nobis accidit,vt lenitas tua Deus. humanis paulatim lassata criminibus , & iugi accessione prægrauata , nunc potissimum victa subsederit , túque nos vector optime, tolerare amplius non valens,in terga proieceris , atque à nobis misericordiæ tuæ oculos iratus auerteris. Quod si est,non nostrorum modò,sed paternorum simul criminum pœnas damus:an peiores illis nescio,sed certè miseriores.An illud fortasse verius,quod magna quædam ingenia suspicata sunt,Deum mortalia non curare?Sed absit à mentibus nostris hæc amentia. Si non curares , illa non subsisterent: nam de his,qui nostri curam non Deo tribuunt, sed naturæ , quid sentiendum nobis sit veritatis tuæ studio deditis, cùm Seneca ingratissimos omnium appellet, qui mutato nomine , dissimulent Dei munus , & cauillando impiè , supernæ debitum abnegent maiestatis? Curas profectò nos,& nostra Deus,sed aliquid latitantis, & ignotæ nobis causæ est , cur ex omnibus seculis dignissimi visi sumus , qui acerrimè plecterentur , non idcirco minore iustitia,quòd occulta est. Namque iudiciorum tuorum imperscrutabilis,& humanis sensibus inaccessa profunditas. Vel ergo pessimi omniū verè sumus, quod negare velim potius,quàm ausim,vel ad futura bona præsentibus malis exercitatiores purgatioréfque ser-

uamur, vel omnino aliquid est, quod ne cogitare sufficimus. Cæterùm quæcunque sint causæ quantumlibet abditæ, effectus apertissimi sunt. Sed vt à publicis ad priuatas lachrimas reuertamur. Anni equidem secundi vix dum prima pars acta est, ex quo Italiam repetens, te procul ad fontem Sorgiæ lachrymans dimisi. Non iubeo in longum oculos reflectere, hos pauculos dies numera, & cogita, quid eramus, & quid sumus. Vbi dulces nunc amici? Vbi sunt amati vultus? Vbi verba mulcentia? Vbi mitis & iucunda conuersatio? Quod fulmen ista consumsit? Quis terræmotus euertit? Quæ tempestas demersit? Quæ abyssus absorbuit? Stipati eramus, propè iam soli sumus, nouæ amicitiæ contrahendæ sunt. Vnde autem, siue ad quid humano genere pene extincto, & proximo (vt auguror) rerum fine? Sumus, quid dissimulem, verè soli: ergo id agente Deo, vt vitæ huius illecebris, impedimentísque suauibus spoliati, liberius iam ad alteram suspiremus. En quo subita rerum mutatione peruenimus, vt experiri liceat in nobis, an præclaram illam Epicuri vocem iure possimus dicere: Satis magnū alter alteri theatrum sumus, quod vt verè dici possit à nobis, quamdiù tamen dici poterit? Aut quis augur statuat, quorsum nobis datum sit, de huius mutui theatri stabilitate confidere alteri, secus nutantibus iam columnis: Quid enim ego de tua vita certior hæc scribens, quàm tu hæc perlegens de mea? Nimis caducum simul ac superbum animal est homo, nimis altè fragilibus superædificat fundamentis. E tanta sodalium turba ad quem redacti numerum sumus, vides & ecce dum loquimur ipsi etiam, fugimus atque vmbrarum morem euanescimus, momentóque temporis abiisse alter alterum accipiet, & ipse mox præuium secuturus. Quid ergo sumus, frater optime, quid sumus, nec desinimus superbire? Suis angoribus consternatus Cicero in epistola quadam ad Atticum: Ipsi (inquit) quid sumus, aut quamdiu hæc curaturi sumus? Breuis quidem, sed bona (ni fallor) quæstio & salutaris, & grauida, atque vtilibus plena sententiis, sub qua multum veræ humilitatis ac modestiæ multúmque contemptus rerum fugitiuarum vigil fossor inueniet. Quid sumus inquam?

Quam

Quàm graui, quàm tardo, quàm fragili corpore, quam cæco, quàm turbido, quàm inquieto animo, quàm variæ, quámque incertæ, volubilisque fortuna: aut quamdiu hæc curaturi sumus? Profectò perbreuiter, nempe non aliud sonat, quàm si diceret: Ipsi quid sumus: & hoc ipsum quandiu futuri sumus? Vtique hercle non diu, cùm hoc idem nostrum esse, vt diuturnum esse non potest, sic nunc possit inter verba desinere, neque si accidat, miri aliquid acciderit. Vtrunque igitur bene & grauiter quæris, M. Tulli, sed quæso te, vbi nam tertium reliquisti, & euentu periculosius, & quæsitu dignius? Postquam hîc esse desierimus, quid futuri sumus? O rem magnam & ambiguam, sed neglectam! Supererat hic mihi paululum de fragmentis anni præteriti, ante alios vir clarissimus, & (siquid mihi credis) magni animi consiliíque Paganinus Mediolanensis, qui mihi post plurima experimenta virtutis acceptissimus, nec me modò, sed nobis dignissimus visus erat. Itaque iam hic mihi Socrates alter esse ceperat, fides, familiaritásque propè eadem quódque dulcissimum habet amicitia participatio vtriusque fortunæ, apertísque animi latebris fida communicatio secretorum. Quantum verò te amabat quantum videre cupiebat quem internis oculis iam videbat, quantum vitæ tuæ sollicitus erat in illo publico naufragio, vt mirarer ipse hominem incognitum sic amari posse? Nunquam tristiorem solito me vidit. Quid, amice, trepidus inquirens quid rei est? quid amicus noster agit? Cùm verò bene te valentem audiuisset, metu posito, perfundebatur alacritate mirabili. Et hic quidem (quod sine multis lachrymis nō dico, & cum pluribus dicerem, nisi præcedentibus malis exhaustos hosce oculos atque omnes, si quæ sunt, lachrymarum reliquias instātibus reseruarem) hic, inquam, pestilenti morbo, qui nunc orbem populatur, repentè correptus, ad vesperam, postquam, cœnam cum amicis, & quod occidui temporis restabat in nostro tantùm sermone, & amicitiæ, rerúmque nostrarum commemoratione consumpserat, noctem illam, inter dolores vltimos imperterrito animo transegit: mane autē rapida morte subtractus. Ac ne quid de

funesta consuetudine laxaretur, triduo inexpleto, illum filij, omnísque familia consecuti sunt. Ite nunc mortales, aestuate, anhelate, laborate, circumite terras ac maria, vt non secuturas opes, nec mansuram gloriam cumuletis. Somnus est vita, quam degimus, & quicquid in ea geritur, somnio simillimum: sola mors somnum, & somnia discutit. O si prius expergisci datum sit: sed de hoc alias. Nunc inexhaustam seriem gemituum meorum prosequor. Nondum satisfeceram fortunae, nisi acutiore me cuspide impeteret, & ad iram Dei malignorum furor accederet. Hei mihi, iam deficere, iam tremere incipio, illorum more, quos primus torpor gelidae febris inuadit, iam toto corpore cohorresco, & libenter valdè ab his curis, & ab hoc sermone diuerterem, sed impellit ac praecipitat animum dolor, quem frenare non valeo. Duos nobis amicos fortuna reliquerat, & licet alios reliquisset, ij tamen erant: tempus vitae nostrae, quod restat, ea non prohibente posse traducere videbamur. Quid enim ex omnibus obstabat? Non paupertas, non diuitiae, nõ disparitas voluntatum: animus in quatuor vnus erat. Itaque gloriabar antiquitatem pertaris, & in diuersis seculis vno vel altero, aetatem verò nostram esse, & domum vnam breui fore duobus simul amicorum paribus adornatam. Minus propriè paria nominaui: vnum erat, imò verò nullum par, sed vna omnium mens vt dixi. Quid (heu mihi) Luca nostro benignius? Quid Maynardo suauius? In quorum iudicio nos errare, diuturnior experientia non sinebat. Primus quidem sic animo compositus, vt praeter dulcissimum, iucundissimúmque conuictum, etiam nostrorum studiorum particeps, & comes esset. Alter autem, etsi huiuscemodi rerum expers, abundè tamen ornatus iis, per quae studiis talibus peruenitur, humanitate scilicet, fide, liberalitate, cõstantia. Quid multa? Liberalium disciplinarum nescius, sed vir bonus, & amicus esse didicerat, & in coetu nostro talis vnus aptior erat, quàm si omnes studio deditos, caeterarum rerum omnium incuriositas habuisset. Itaque ad opportunitates varias cõmodè admodum, & pene diuinitus ille nobis quartus accesserat. Nimis foelices visi sumus: inuidit crudelissi-

ma fortuna, & indignata est, quod nos nondũ totos tantorum comitũ perditione prostrasset. Mouerant ambo simul, & te, frater, apud Auinionẽ, vt certus sum, nõ sine suspiriis dimisso, meo alteram animi sui partem cupidissime petebant. Mœstam nimis, & miseram historiam aggressus sum. Sed est, quædam & lugendi dulcedo, qua sæpe nimium pascor infœlix. Veniebat pariter optimo animo, fato pessimo, miserabili euentu; ille Romam petiturus, ille Florentiam. Quò ergo diuertitis, amici? Ite rectiùs, ite securiùs: non hoc vestrum iter: quid vobis cum Alpibus niuibúsque?

Omnia vincit amor, & vos cessistis amori.

Veniebatis me visuri: Hic erat inimicus, hac cathena trahebamini: non ibatis, sed trahebamini ab illo, cui cœlum ipsum obsequitur, cui discordantia inuicem obediunt elementa, amor omnipotens vos trahebat. Agnosco insidias fortunæ, hoc egit vt incōsolabilius dolerem, quin & illud impiè molita est vt qui iam recurso anni spatio pedem Parma non moueram, nunc abessem sub obtentu magni nescio cuius boni, quo scilicet & nos aspectu mutuo priuaret, & vos animo consternatos, raptímque ac properè fugientes, faciliùs in laqueum præparatæ mortis impelleret. Heu dolor insatiabilis, heu vulnus æternum. Festinabitis obliti laborum & periculorum omnium: cæteras enim curas spes, ac desiderium oppresserat. Naturale est, vt minorem passionem maior absorbeat. Ardebat animus, me coram cernere, & mecum de vitæ totius ordinatione disserere, Inde susceptum iter agere, & rebus in patria dispositis, huc reuerti. Hoc eis nempe propositum erat, mi frater, ac meorum dolorum comes vnice, vt te illuc accersito, simul vsque ad exitum viueremus. Quod si me Parmæ reperissent, poterat mora longior fortunæ duritiem fortassis inflectere, mutassent forte consilium, & per nuncios actis, quæ acturi erant in patria, ipsi amoris dulcedine compediti, mecum inseparabiliter resedissent. Et nunc quid prohiberet, quò minus simul omnes essemus in quiete illa animi diutius exoptata? Sed adamantinis fatorum vinculis tenebamur, & vt abessem ferox fortuna prouiderat. Itaque cùm Parmam

venissent, percunctando per obuios, re comperta, tristes ad domum nostram, deiectis animis ac vultibus descenderunt. Quid singula prosequar? Omnem domus atque orti angulum, omnes herbosos cespites (cœperat enim iam ad arietis aduentum bruma mitescere) dulci accubitu compresserunt implentes cuncta suspiriis. Deinde cum possent alibi, ambo per noctem in lectulo meo iacuerunt: credo ut quem ad quietem necessariam humana fragilitas meditata est, ad laborem mihi perpetuum consecrarent. Postero autem circa horam diei sextam abierunt literis domi relictis, quibus mihi, & eorum tristitia, redeundi propositum, multaque praeter haec alia, nota sunt. Quas ego literas, dum viuam, inter delicias habebo dolorum stimulos, ac lachrymarum materiam immortalem. Mensis abhinc integer lapsus erat, cum ego ignarus horum omnium domum redij, literas reperi, famulósque meos cum earum tenore concordes audiui admirans. Sed quid agerem? Illi tanto ante discesserant, vt iam demens expectarem reditum ac negligentiam accusarem. Quae postquam mihi debito longior visa est, vnum ex famulis Florentiam misi, Maynardum literis excitans ad obseruantiam promissorum, atque illud adiiciens vt eundem nuntium Lucae nostro mitteret, seu ille Romae moras ageret, seu Theani, cui ingentem quoque epistolam scripsi exhortatoriam ad votorum modestiam & ad huius vel alterius loci electionem, quicunque rebus nostris appareret opportunior, nec non ad morem studiosae solitariaeque vitae, quae quoniam omnes aequaliter tangebat, vt per eum ad te etiam mitteretur, inserui. Praeclarè quidem, vt multa, illud à Virgilio dictum est,

Nescia mens hominum fati sortisque futurae.

Literarum portitor abscesserat, & ego, qui Romam secundam, multa mihi dulcia fingebam, haec quidem ab ortu aderunt, illa autem ab occasu. Quis me foelicior congressu talium amicorum? Quorum vsquam tranquilliora studia? Quorum vita quietior? Has inter curas, quae infausti rumoris amaritudinem geminarant, nuncius meus, die octauo, postquam hinc discesserat, per intempestiuissimum imbrem non expectatus affuit, & pluuia, & lachrymis madens, & fronte vulnus animi visibiliter praeferente diri-

gitur,& excusso manu calamo (scribentem enim fortè cöpererat) Quid noui affers?dic ocyus,exclamo.At ille gemitu verba frangente:Infœlix (inquit) nuncius aduenio. Amici tui super Apennini verticem in sæuas latronũ manus inciderunt.Hei mihi,Quid mali est?Prosequitur ille singultiens: Maynardum, qui casu quodam nil tale metuens substiterat,in insidias lapsum, & repentè conpressum inter carnificum gladios procubuisse; Lucam clamore permotũ adacto calcaribus equo, aduolasse viriliter, solúmque inter decem aut amplius sicarios, stricto mucrone constitisse, multísque vulneribus datis & acceptis, vix tandem viuum euasisse: Prędones sublata occisi pręda,impio gressu abiisse:ita tamen,vt labore simul & conscientia defessi, facilè capi potuerint excitatis agrestibus ad tumultũ,nisi quidã falso & indigno nobilitatis nomine superbi,quos nominare non est necesse,accurrentes è montibus & cohibuissent iustum impetũ insequentium, & cruentam prædonum cateruam suis mœnibus excepissent. Lucam adhuc gladium in manibus habentem,procul inde visum inter rupes ac nemora,nil de eo deinceps aliud auditum. O frater, quid mihi tunc animi fuisse arbitraris?duobus vnà mortiferis ictibus in corde transfigor:hîc scilicet desperato,& irreparabili dolore;inde sollicito , ancipitíque metu. Auertat Deus omen malum: quodãmodo æquanimius audiuissem ambos extinctos. Scirem nempe quid agerem, clauderem fores, consolatores excluderem , solus essem , & dolori meo totus incumberem,ita vel exonerarem mœrore animum,vel opprimerem,vel lenirem fletu desiderium,vel implerem,& amicos duris vulneribus ablatos lachrymando conquererer.Nunc verò non vna,sed tribus simul acerrimis passionibus indesinenter afficior,dolore,metu,spe. Et miserabilem in modum fluctuantibus atque inter sese certãtibus curis laceror,atque discerpor, quæ mihi vita nihil morte securior est, & finẽ eius supplicibus,atque assiduis votis expecto.Aliquanto enim lõgior est,quàm vellẽ adhuc quidem iuuenes videbamur;ecce biennio plusquàm oportuit,viximus.Misi nuncios ac literas,per diuersa terrarum,inprimis Placentiam,Florentiam ac Romam,. Ex his enim præcipuè ciuitatib⁹ de eo, qui superstes dicitur,

aliquid expectabam. Ita iam intentus atque inhians, & omne iter circumspiciens, & ad omnem strepitum contremiscens, quintumdecimum diem ago, quod tempus, si cum multorum annorum calamitatibus trutinetur, facile praeponderet. Fuit mihi impetus interdum ire, nec subsistere, donec praesens Lucae nostri statum, quicunque esset, agnoscerem, & Maynardi (ô ineuitabilis sors hominũ) alpinum & rude cernerem sepulchrum. Fuit enim, vt fama est, ingenti non modò circumstãtium castrorum, sed ciuitatis etiam concursu, summáque omnium misericordia tumulatus, indignantibus & exclamantibus multa rusticolis, grauitérque ferentibus, non modò defuncti casum, sed propriam quoque fortunam, quod animo praesagirent id, quod illico consecutum est, interrupto scilicet itinere pro hospitibus ac lucris, damnosa sibi bella succedere. Issem profectò iampridem, in easdem fortè manus simul fato impellente venturus, nisi me & anni tempus aduersum, & valetudo corporis imbecillior tenuisset, & tamen, an sibi animo contrarium suggerenti potius obtemperem, hactenus, frater, incertus sum. Transibat hâc, sextus hodie, vt reor, aut septimus dies est, nobilis quidam vir Florentinus ciuis, è curia veniens, cui cum fortè in via publica equos suos currẽti occurrisset vnus ex pueris meis secretorum mihi conscius dolorum & ex sermone hominis, vt fit, etiam patriam cognouisset, vltrò verbis eũ aggressus inquirere coepit: An de hoc amicorũ nostrorũ casu noscat aliquid? Et cùm nosse omnia videretur, hortatus est, vt mecum loqui, & infestum dubietatis meae nodum vellet absoluere. At ille, audito nomine meo, alioquin licet mihi incognitus, benignè admodum multis comitantibus ad me venit, quem de omnibus diligentissimè percunctatus, in summa didici Lucam nostrum viuere, sic & apud nos literas Florẽtia transmissas, sic publicam famam loqui. Ita ego, quòd mirari & indignari soleo, in media positus Italia, rumores Italicos ignoro, donec ex Gallia nuncientur. Illius ergo digressu, sic remansi, quasi inter densas animi mei nubes quidam insperati gaudij radius penetrasset. Heri autem, cùm iam aduesperasceret, sacerdos quidam senex, familiaris meus,

ad me lachrymabundus accessit, narrans nuncium quendam de Tuscia venientem dicere Maynardum non solum, sed cum aliis periisse, quod audienti mihi de pectore statim, alterius iniecta sagitta, serenitas omnis ablata est. Sed vix dum sacerdos verba compleuerat, & ecce mercator quidam Mediolanensis, notus meus, locum, in quo mœstus eram, ingreditur, salute data & reddita. Cum (inquit) hac transitum facerem, audiens quod hîc esses, licere mihi non credidi, sine conspectu & colloquio tuo progredi. Vrbanè, inquam, sed vnde nunc te reuehis? Quartus (inquit) dies est, ex quo Florentia discessi. Et Deus bone, inquam, quæso quibus itineribus trāsiuisti? Rectum (inquit) iter sequi non potui. Audisti enim, vt arbitror, illius boni viri mortem, pro cuius vltione populus Florentinus ad arma consurgens, multa iam in illis montibus castra combussit. Itaque deuio quodam, & syluestri calle profectus sum. Dic age, inquam, viri an virorum mortem memoras. Hic enim (& sacerdotem illum digito signaui) plures narrat occisos. Minimè verò (inquit) vnus profectò solus occubuit, reliqui euaserunt. Et cùm intentum me atque anxium videret adiecit. De hac re, præter voces populi, nihil habeo. Illic enim in omnium ciuium conuentu, non nisi de vnius nece audiuntur indignationes hominum & querelæ. Credibile est autem, quod si plures essent, de pluribus loquerentur. Placuit coniectura, sed quia nihil certi afferebat, serenare animum, frontémque non potuit, & qualem inuenerat dimisit. Hæc singula frater, tam scrupulosè exequor, vt particulariter intelligas, quod in summa scrire te non dubito, pessimè mihi esse, alternantibus his curarum fluctibus, & fragilem spei cymbam hac illac æstu reciprocantem iactātibus. Accedit ad ærumnarum cumulum, quòd dum numerare dies incipio, quod curiose faciunt amantes, miror & stupeo, quid est quod ad literas meas Toruisij, inde Patauij, mox Veronæ datas, tantō lapsu temporis, nil omnino rescripseris, præsertim cū per fidos nuncios missæ, & de rebus non paruis scriptæ essent. Nescio quid nunc mihi nouæ suspicionis oboritur. Audio enim pestē illam anni alterius, quæ abscessisse videbatur

aliquid expectabam. Ita iam intentus atque inhians, & omne iter circumspiciens, & ad omnem strepitum contremiscens, quintumdecimum diem ago, quod tempus, si cum multorum annorum calamitatibus trutinetur, facile præponderet. Fuit mihi impetus interdum ire, nec subsistere, donec præsens Lucæ nostri statum, quicunque esset, agnoscerem, & Maynardi (ô ineuitabilis sors hominū) alpinum & rude cernerem sepulchrum. Fuit enim, vt fama est, ingenti non modò circumstātium castrorum, sed ciuitatis etiam concursu, summáque omnium misericordia tumulatus, indignantibus & exclamantibus multa rusticolis, grauitérque ferentibus, non modò defuncti casum, sed propriam quoque fortunam, quod animo præsagirent id, quod illico consecutum est, interrupto scilicet itinere pro hospitibus ac lucris, damnosa sibi bella succedere. Issem profectò iampridem, in easdem fortè manus simul fato impellente venturus, nisi me & anni tempus aduersum, & valetudo corporis imbecillior tenuisset, & tamen, an sibi animo contrarium suggerenti potius obtemperem, hactenus, frater, incertus sum. Transibat hâc, sextus hodie, vt reor, aut septimus dies est, nobilis quidam vir Florentinus ciuis, è curia veniens, cui cum fortè in via publica equos suos currenti occurrisset vnus ex pueris meis secretorum mihi conscius dolorum, & ex sermone hominis, vt fit, etiam patriam cognouisset, vltrò verbis eū aggressus inquirere cœpit: An de hoc amicorū nostrorū casu noscat aliquid? Et cùm nosse omnia videretur, hortatus est, vt mecum loqui, & infestum dubietatis meæ nodum vellet absoluere. At ille, audito nomine meo, alioquin licet mihi incognitus, benignè admodum multis comitantibus ad me venit, quem de omnibus diligentissimè percunctatus, in summa didici Lucam nostrum viuere, sic & apud nos literas Florētiæ transmissas, sic publicam famam loqui. Ita ego, quòd mirari & indignari soleo, in media positus Italia, rumores Italicos ignoro, donec ex Gallia nuncientur. Illius ergo digressu, sic remansi, quasi inter densas animi mei nubes quidam insperati gaudij radius penetrasset. Heri autem, cùm iam aduesperasceret, sacerdos quidam senex, familiaris meus,

ad me lachrymabundus accessit, narrans nuncium quendam de Tuscia venientem dicere Maynardum non solum, sed cum aliis periisse, quod audienti mihi de pectore statim, alterius iniecta sagitta, serenitas omnis ablata est. Sed vix dum sacerdos verba compleuerat, & ecce mercator quidam Mediolanensis, notus meus, locum, in quo mœstus eram, ingreditur, salute data & reddita. Cum (inquit) hac transitum facerem, audiens quod hic esses, licere mihi non credidi, sine conspectu & colloquio tuo progredi. Vrbanè, inquam, sed vnde nunc te reuehis? Quartus (inquit) dies est, ex quo Florentia discessi. Et Deus bone, inquam, quæso quibus itineribus trãsiuisti? Rectum (inquit) iter sequi non potui. Audisti enim, vt arbitror, illius boni viri mortem, pro cuius vltione populus Florentinus ad arma consurgens, multa iam in illis montibus castra combussit. Itaque deuio quodam, & syluestri calle profectus sum. Dic age, inquam, viri an virorum mortem memoras. Hic enim (& sacerdotem illum digito signaui) plures narrat occisos. Minimè verò (inquit) vnus profectò solus occubuit, reliqui euaserunt. Et cum intentum me atque anxium videret adiecit. De hac re, præter voces populi, nihil habeo. Illic enim in omnium ciuium conuentu, non nisi de vnius nece audiuntur indignationes hominum & querelæ. Credibile est autem, quod si plures essent, de pluribus loquerentur. Placuit coniectura, sed quia nihil certi afferebat, serenare animum, frontémque non potuit, & qualem inuenerat dimisit. Hæc singula frater, tam scrupulosè exequor, vt particulariter intelligas, quod in summa scrire te non dubito, pessimè mihi esse, alternantibus his curarum fluctibus, & fragilem spei cymbam hac illac æstu reciprocantem iactãtibus. Accedit ad ærumnarum cumulum, quòd dum numerare dies incipio, quod curiosè faciunt amantes, miror & stupeo, quid est quod ad literas meas Taruisij, inde Patauij, mox Veronæ datas, tanto lapsu temporis, nil omnino rescripseris, præsertim cũ per fidos nuncios missæ, & de rebus non paruis scriptæ essent. Nescio quid nunc mihi nouæ suspicionis oboritur. Audio enim pestẽ illam anni alterius, quæ abscessisse videbatur

ex integro, rursus inuasisse Mutinam ripas, à quibus vel-
niam abesses. Sed quid ago infœlix? An non satis mihi ve-
ra, & præsentia mala sufficiant, nisi & ficto, & futuro in-
super miser fiam? Vertat hæc Deus in melius. Vt qui falsa
spe tóties deceptus sum, semel saltem decipiar falso me-
tu. Quod si acciderit, vt te cum pauculis qui supersunt,
adhuc semel aspiciam, antequàm moriar, vixisse me satis
arbitrabor. Cæterùm epistola texi cœperat, in libelli mo-
dum euasit, cuius me illud præcipuè delectat in malis
meis, quod scribentis animo nubilo & inquieto, non so-
lum stylus ipse, sed forma etiam literarum & papyrus, &
atramenta conueniunt, quæ nisi proiecero, & vim dolori
fecero, nullus erit modus. Alia enim ex aliis erumpunt.
Sed forte nec adhuc nobis sol dierum omniũ occubuit,
& aliquid in crastinum reseruandum est. Literæ exem-
plum, quam Florentinis misi super hac tanta eorum i-
gnominia, quia te iuuet lecturum auguror, præsentibus
innexui. Vale frater, & temetipsum rebus lectioribus
præseruare studeas, vt nos, si tamen ex alto permissum
est, in terris iterum videamus. Parmæ Iunij xx. Recom-
mendo me domino meo, domino Theatē participi do-
lorum meorum. Item domino Archidiacono. Leoden-
si similiter domino meo, domino Cauillensi, & domino
Senescallo, si propè sunt. Dominum Guidonem Septem,
& Romanellum, & Leonem saluto. Hei mihi, Maynar-
dum amplius more solito non saluto, sed saluto eum si-
cut possum & pro eo tantus peccator, indesinenter oro,
quatenus cuius corpus mei videndi desiderio in perni-
ciem & in mortem incidit, anima saltem euadat de ma-
nibus impiorum, liberante & saluante liberatore, &
saluatore nostro DOMINO IESV CHRISTO; qui pro-
pter peccata mea multa & grauia, me nunc in amici cor-
pore vulnerari tam grauiter passus est. Benedictum sit
tamen in sæcula nomen eius. Vale iterum & semper mei
memor, & rescribe, quæso, si viuis, & si vales. Hæc frater,
vt facile perpendi potest, scripsi inter molestias & tumul-
tus animi varios, & cum multa festinantia, licet nuncius
aliquis nō adesset, sed aderit fortè, dum nō sperabitur, vel
me absēte, qui pferat. Ego enim quotidie per rura nostra
discur-

discurro non tam rei familiaris cura, quæ mihi nulla est, quàm amore solitudinis, vt si quomodo fieri possit, meipsum obliuiscar, & languores meos. Vale.

FRAN. PETRARCHA LOBARDO DE SCIRICO, S. Epist. VIII.

Vitam quam degimus describit.

QVid mihi de hac vita quam degimus videatur, interrogas: Neque immeritò. Multæ enim & variæ de hac ipsa opiniones hominum sunt: meam breuibus accipe. Videtur mihi vita hæc dura quædam area laborum, palestra discriminum, scena fallaciarum, labyrinthus errorum, circulatorum ludus, desertum horribile, limosa palus, senticulosa regio, vallis hispida, mons præruptus, caligantes speluncæ, habitatio ferarum, terra infœlix, campus lapidosus, vepricosum nemus, pratum herbidum plenúmque serpentibus, florens hortus ac sterilis, fons curarum, fluuius lachrymarum, mare miseriarum, quies anxia, labor inefficax, conatus irritus, grata phrenesis, pondus infaustum, dulce virus, degener metus, inconsulta securitas, vana spes, ficta, fabulosa, falsa lætitia, verus dolor, risus inconditus, fletus inutilis, inane suspirium, confusus ordo, tumultuosa confusio, trepidatio turbulenta, sollicitudo perpetua, insomnoris inertia, inops copia, diues inopia, imbecilla potentia, tremulæ vires, ægra sanitas, iugis morbus, gemina ægritudo, pulchra deformitas, honor inglorius, infames tituli, ridiculus ambitus, ima elatio, excellentia fictilis, humilis altitudo, fusca claritas, ignota nobilitas, pertusus sacculus, vas rimosum, specus inexplebile, cupiditas infinita, damnosum desiderium, luxus hydropicus, sitis insatiabilis, aridum fastidium, famelica nausea, ventosa prosperitas, querula semper aduersitas, viror transitorius; flos caducus, amœnitas labilis, fugax forma, mœstum gaudium, amara dulcedo, voluntas aculeosa, stulta sapientia, cæca prudentia, tetra domus, breue diuersorium, fœdus carcer, sine gubernaculo nauigatio, sine baculo senectus, sine freno iuuentus, sine duce cæcitas, iter

lubricum, tecta fouea, latens præcipitium, silens lima, tenax viscus, operti laquei, abdita retia, inescati hami, sentes asperi, lappæ hærentes, tribuli acuti, scopuli rigentes, venti rapidi, fluctus impetuosi, atri turbines, horrisonæ tempestates, procellosum pelagus, vadosa littora, anceps portus, exarmata nauis, immane naufragium, officina scelerum, sentina libidinum. caminus irarum, puteus odiorum, catena consuetudinum, sirenus cantus, circea pocula, mundi vincula, rerum vnci, cõscientiæ morsus, pœnitentiæ stimuli, peccatorum incendia, putre ædificiũ, fundamentum fragile, muri hiantes, tecta labentia, prolixa breuitas, latæ angustię, calles inexplicabiles, passus impliciti, circulorum motus, statio instabilis, rota volubilis, manens cursus, scabra leuitas, scrupulosa suauitas, blanda crudelitas, dolosæ blanditiæ, fallax amicitia, concors discordia, fidifragæ inducię, bellum inexorabile, pax infida, simulata virtus, excusata nequitia, laudata fraus, honoratum dedecus, irrisa simplicitas & contempta fides, nugæ seriæ, ingeniosa demẽtia, loquax torpor, velata ignorantia, opinio scientiæ tumida, scientia verò nulla, querelarum suspiria, contentionum strepitus, vulgi fragor, obliuiosa peregrinatio, patriæ odium, amor exilij, lemurum ciuitas atque laruarum, dæmonũ regnum, luciferi principatus (sic enim Principem mundi huius Veritas vocat) vita dæmonum mendax & exanimis spirãs mors, segnis incuriositas suiipsius, inutilium cura, apparendi studium, superuacui appetitus, operosus vermiũ apparatus, viuentium infernus, & viuorum corporum diuites exequiæ, longũ funus, põposa vanitas, laboriosa militia, periculosa tẽtatio, superba, miseria, miserãda fœlicitas. En amice, qualis mihi hæc videtur, quæ tam multis exoptatissima, ac gratissima vita est: nec dum tamen conceptum omnem meæ mẽtis expressi: Peior enim est, multò miserior, quàm à me, seu quocunque hominum dici possit. Sed quo ex ingenio, ex his paucis totum, reor, animum loquentis introspicis. Vnũ tot in malis habe bonum, quod ad bonam & æternam vitam, nisi dexter trames deseratur, via est. Vale. Inter colles Euganeos III. Calend. Decemb.

FRAN-



FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILIARIBUS,

LIBER IX.

Ad Caroli quarti literas dilationis excusatorias responsio, & excusationum infirmatio.



ÆSAREOS apices triennio ferè, postquam à te discesserant, ad me peruenisse miraberis: sic est tamen. Non iam soli tuisque relegionibus, sed nunciis etuoq; & epistolis tuis, Cęsar, impermeabiles alpes sunt: ego quidem, vt vehemẽter id doleo, sic, fateor gaudeo & mihi clam gratulor, id tacito me non fieri. Clamaui equidem, sed frustra, nec duabus epistolis auditus sum, quarum etsi stilus auribus forte tuis incomptior, profectò & sententia verax & pura scribentis fides est, quod Romanus orbis totus attestabitur: agendæ rei oportunissimum tempus erat Clamo nũc etiam, quod tibi frustrá-ne an efficaciter faciam, tu videris: mihi frustrà non erit, quicquid fideliter egero. Etsi aliis namque non proderit, mihi certè profuerit satisfecisse officio, implesse quod debeo. Equidem ego ingens & quo nullum inter homines maius possum, affectus mei præmium tuli testimonium maiestatis tuæ, quæ fidem meam laudibus multis accumulat: consilium verò non amplectitur. Malo mihi fidem sine prudentia constare,

quàm sine fide prudentiam. Dum tibi mea fides ac deuotio probetur, non magnopere solertiæ titulum aucupabor, consiliumq; meum æquo animo feram vel respui vel differri: quin etiam gaudebo, & haud meritò gloriabor, te nō modò me, sed omnes mortales vt Imperij dignitate sic consilij viuacitate præcellere. Suasi quidem, & persuasisse credideram celeritatem tuis conatibus oportunam. Ita enim mihi, tibi verò aliter videtur: tu frenū terris, tu clauum pelago regis: tuo stabitur iudicio, ego fideliter locutus dicar. Satis est mihi prudentia inter professores prudentiæ requiratur. Si tamen interpretari dictum meum non prohibeor, Ita ego tibi celeritatem suasi, vt segnitiem excuterem, non vt in aliud extremorū te impellerem: sciebam enim quòd precipitatio cùm in rebus omnibus turpis sit, tum in summi Imperij administratione turpissima est. Suasi ergo celeritatem non præcipitem, sed maturam. *Maturate fugam* inquit Maro. Quē locum Macrobius exponens: & contraria, inquit, videtur fuga maturitati. Et post pauca: Maturate, inquit, quod neque citius neque serius, sed medium quiddam & temperatum est. Quam sententiam Cæsar Augustus sequens monebat, vt ad rem gerendam simul adhiberetur & industriæ celeritas, & tarditas diligentiæ: ex quibus duobus contrariis fit maturitas. Multa ibi similia. Sed redeo ad rem. Si ergo tibi, Cæsar, hoc consilium non placet, placeat fides vt facit. Me autem quid dicturum putas? Nempe mihi consilium aliud nullum est: sed optabo, vt quicquid elegeris secundet omnipotens Deus, & moram tuam mundo vtilem, tibi gloriosam velit, vt ait Psalmista, tribuat tibi secundum cor tuum & omne consilium tuum confirmet. Verùm quia nondum functus officio sum, nisi omne, quod mens parturit & lingua pepererit, sic iam, Cæsar, epistolæ tuæ respondebo, vt intelligas me de sentētia non tam rationibus literarum tuarum, quàm tui nominis maiestate depositum. Quis enim sani capitis contra Cæsarem sentire audeat, & præsertim in rebus Imperij? Si de poëtica, aut si omnino de literis sermo esset, vterer fortè libertate Lucij poëtæ, quem Iulio Cæsari in poetarum consilium venienti non assurgere solitum

acce-

accepimus, non contemptu principis, sed professionis propriæ fiducia: Nunc cum de Imperio agitur quis tibi non assurgat? quis non cedat nisi amens oblitúsq; rerum omnium. Loquor itaque non vt te refellam, sed vt exerceam, non vt aduerser, sed vt me tibi penitus aperiam audémque quicquid animus latebris suis tegit. Primum quidem tarditati meæ clipeum pretendis mutationem temporum, quam multiplicibus verbis exaggeras vt aliquanto magis dictantis ingenium, quàm Imperatoris animum mirari cogar ac laudare. Quid enim, quæso, est, quod aliquando non fuerit, imò verò quid par maiorum nostrorum laboribus periculísque perpetimur, dum Brennus Italiam dum Pirrhus, dū Hānibal vastabat? quæ nam comparatio rerum est? vt verò nobis omne mortiferum vulnus sit, non rerum natura, sed mollities nostra facit, Quod ridebant proaui, nos lugemus, & ad omnem difficultatis occursum cohorrescimus ac torpemus: cum nulla interim in conquirendis excusationibus nulla ætas & nulla gens promptior. Olim, inquis, Romana Respublica diues fuit. Quis, pro te, diuitem illam fecit, nisi ciuium suorum virtus ac modestiæ studium & iustitiæ cultus, & rei bellicæ disciplina? Quid autem maius censes inter tot gentes indomitas, inter tot populos prohibentes euexisse in siluis dumosis, & in collibus impervijs inauditū illis tēporibus, & inuisum nomen an adhuc stātibus fundamentis & reuerentia nominis toto orbe diffusa senectute collapsum restituere? Hic mihi mutationem si quis obiiciat, non audiam, vel si audiam, ridebo. Crede enim mihi, Cæsar mundus idem est qui fuit, idem sol, eadem elementa: virtus sola decreuit ciuitatum nempe manúque congestarum molium aliæ creuerunt, decreuere aliæ, quædam funditus corruerunt, nostris quædam surrexere temporibus. Vetus est vicissitudo rerum humanarum, quid hanc elicis? Iterum quæso, crede mihi, Si Roma illa vnde titulum trahis & si Cæsar ille, cuius nomen atque vt sperare solebamus, animum habes, hodie viuerent, multò citius quàm tunc ad arcem rerum atque Imperij fastigium peruenie-

rent. Tunc enim repugnantiæ multum fuit graue nostris periculum, ingens labor: nunc plana & facilis via est: sed viator deest, luxus & mercis latè regnant. Ignauia orbem terrarum possidet armato Cæsar: mox cessura, imò vel pro te partes actura nouem. Etenim tuum nomen paucis bonis & amatoribus virtutis atque imperij adiutum aduersus mercem luxum inermémque superbiam facilè bellum omne conficeret. Vis non modo probem, sed ostendam tibi ista esse vt dico, ecce, Nudiustertius caput extulit quidã è plebe humili non Romanus Rex, nõ consul, non patricius, & vix bene cognitus Romanus ciuis, nullis titulis suorum, nullis maiorum imaginibus, denique nullis id tempus virtutibus suis clarus, qui vindicẽ se Romanæ libertatis assereret. Obscuri hominis clara professio. Illico, vt scis, Tuscia cupidè manus dedit, imperia excepit. Iã sensim omnis Italia sequebatur, iam Europa, iã totus orbis in motu erat. Quid multis est opus? non legimus ista sed vidimus. Iam rediisse iustitia & pax & harum comites alma fides, tranquilla securitas, ad postremum aurei seculi vestigia videbantur. Ille tamen in ipso rerum flore paruit alteri: nolo sibi culpam dare, nec alteri: nõ condẽno hominem, immo absoluo, non sum iudex: quid opiner scio. Et sumpserat ille titulũ tribuni, quod inter Romuleas dignitates humillimum nomen fuit. Si tantum ergo tribunicium potuit, quid Cæsareum nomen posset? At si differs, si heres, & quam tibi sub oculis posui fugam temporis non attendis, actum est, ruit Imperium, perit libertas. Noli, oro te, Cæsar hoc cum stomacho legere quæ forsan gustui minus dulcia sunt quàm velles. Nescis quia bilem concretam remedia nisi amara non penetrant. Ego tibi verum dicere non metuo, quoniam amare te verum noui, odisse blandicias prudenter, optime, magnifice: aconita regum sunt, irrisio potentum, mors principum, arma fallentium. Sed enim nescimus quanta belua sit Imperium. Hic enim alter excusationum tuarum color fuit. Quod dictum miror cur Augusto tribueris, cùm Tiberij sit, nisi fortè vel rerum cura præsentium memoriam vetustatis obnubilat, vel communicato vocabulo quemlibet Imperatorem vt

rem vt Cæsarem, sic Augustum vocas. Fecisti forsan id sciens vt ab insigni auctore dicto, quo vti decreueras, auctoritas quereretur, nõ ignarus inter Augustum & Tiberium quid intersit. Ille principium sapientissimus atque optimus fuit, hic obscœnus ac ferox, & vt de se propriè dixit, quietum lutum à sanguine maceratum. Hoc tamen idem dicto quo tempore sit vsus nosti. vel si quid obliuionis inter tot maiores curas obreperit, apud Tranquillum leges. Eo quidem tempore hoc dixit, quo exempto iam rebus humanis Augusto successor longè inpar impudentissimè arreptum rebus ipsis imperium, verbis tamen ambiguis fallacique & varia dissimulatione renuebat, falsum modestiæ nomen quærens vsque adeo vt tergiuersanti quidam in faciem elegantissimè cauillatus illuderet cæteros homines, quod promittant serò implere: illum verò quod impleat, serius polliceri. Sed esto, sit dictum boni principis, sic non ficto animo prolatum, ipse sit autor Augustus, quid ad rem? Nescitis, inquit, quanta belua sit imperium. Imò scimus eximiè belua potētissima est quia frenum docte manus excipiat belua ingens, eò tractabilis quid ni tractetur indomita. Aude, age, frenum manu arripe, solúmque tibi debitum conscende, si metuis sessorem inueniet. Iulius Cæsar, cuius, vt modò dicebam hæreditarium nomen habes, equum apud se ortum & alterius, impartientem ascendit, & in deliciis habuit: tu solium non alterius sessoris impartiēs sed à tot retrò principibus insessū & tuæ sessionis auidissimū solus fugis? Verùm enim verò cuncta prius tentanda, quàm ferrum. Hæc inter excusationes tuas vltima est, vbi nescio an illud gloriosi militis apud Terentium esses oblitus: omnia prius experiri consilio, quam armis sapientem decet. Nihil enim aliud ad patrocinium sententiæ huius affers, nisi quod hoc & medicos docuisse ais, & Cæsares didicisse: bene quidem multum disparia coequasti. Nam & Cæsares ægro orbi mederi solitos accepimus, nunc & ipsi cùm reliquis ægrotant & mundus æger medico caret, & mors vniuersalis in foribus est. Dic autem mihi Cæsar, quid ex omnibus intentatum est: verba, preces, nunc blanditiæ apparatus. Quid restat nisi

vt hostibus imperij supplex ad genua prouoluaris? Si id auditu fœdum & indignum est, ferrum super est vltima veternosorum vlcerum medicina. Nam quid amplius expectas? Padus vt ad fontem Redeat? Ibit ille quà solitus est & cum amne fluent anni, quodque non nunc nouiter ex me audis, iuuentam senectus excipiet senectutem mors. Nihil prorsus hinc auferes, nisi quod bene seu quod malè gesseris: nihil hîc dimittes tuum præter nominis memoriam & exangue corpusculum. Illud quoque non iam tuum, sed terræ, parentis ac vermium non magis Cęsaribus quam plebeis parcentium, imò quidem auidius corpora nobiliora rodentium. Quid de aliis fiet quæ videtur tua? Certè opes & imperiũ linquas alteri necesse est, & ignoras cui. Hæc humana conditio est cui nec Cæsar nec pontifex Romanus, denique nec regum nec omnino hominum vllus eximitur. Nunc igitur nunc cura quod semper non poteris, qualia scilicet esse velis, quæ propria & irreuocabiliter tua sũt animam & famam. Inter temeritatem & inertiam nescio quid eligam: sæpe temeritas fœlicior fuit: non delector extremis, medium quęro. Sed heu vereor (quod pace sit dictũ) tua omniumque, qui Imperio vlli præsunt quique gerẽdarum rerum officia susceperunt, ne penitus verum sit, quod in ore semper habeo: singula vitia singulas excusationes habere, inertiam solam omnes. Si diu deliberasset Africanus, Italia deserebatur à suis & Afrorum erat. Si diu deliberasset Nasica, libertas Romana Gracchi conatibus & audaciæ succumbebat. Si Claudius Nero (non dicã superuacua multa & longa, sed vnum quod necessariũ videbatur & breue erat) senatus consultum expectasset coniunctus fratri, Hasdrubal Romanum proculcabat nomen. Quid inter minores hæreo? ipse, quem sæpe nomino, Iulius Cæsar si procrastinator fuisset, nunquam in tam paruo tempore hanc tantam, quæ vix omnium studio sustinetur, fundasset erexissetque rerum molem, cui Imperij nomen est. Tu si cuncta deliberas & singulis immoraris, prædicam tibi, & si forte non animo tuo gratum, at certe fidei meæ debitum, falsus vtinam sim aruspex, nullus erit rerum finis, alij ex aliis erumpent laqueis

nunquam te Italia nunquam tu Italiam videbis, extra quam vbi Imperij caput quæras nescio. Proinde quod scribis, te nō ambitione tractum ad imperium aspirasse, sed difficultatis haud nescium diuinæ iussioni paruisse, credo. Nam & prudentiam & modestiam tuam noui. Sed vide ne hoc tibi primum calcar & maximum esse debuerit, quo diuini certus auxilij properares. Tu quidem patrij regni finibus contentus Imperatorij oneris & honoris sarcinam vltrò aliis linquebas. Hanc infallibilis ille rerum sator, rector & cognitor multis cupientibus ereptam humeris tuis imposuit, paruisti. Nō acceptare Imperium forte magnum fuerit: de hoc tamen docti viderint. Certè sine scelere poterat non recipi; receptum negligi sine scelere non potest. Deus enim tibi (sicut ipse non dissimulas) Deus, inquam nō tuus labor aut ambitio Imperij auctor est. Times illo duce proficisci, quo iubente & Abraham vnicum filium mactare & Moyses pastor incomitatus faciem superbi & obstinati Regis adire nō timuit. Scio multa te velle cant, quibus cōpositis alia atque alia emergerent. Credis-ne tu, Cæsar in imperio sine curis vitam agere, quam pastor in tugurio non agit? Nam illa qualia sunt, quibus inniteris? nonne quot publicæ mūdi clades, tot priuatim famæ tuæ vulnera, quotque hinc excusationes efficere vbi vis, tot in te conficis argumenta? Cuius enim pudorem, nisi regis pregrauant Regni mala? Diruta est, inquis, Imperij libertas. Tu pater Imperij, dirutam restaurabis. Sumpta Latinis seruitus, tu illam suorum ceruicibus excuties, Ad auaritiæ lupanar prostituta iustitia, tu illam ad sua sacra penetralia reuocabis: paxè mentibus lapsa mortalium, tu illam in sua sede restitues. Ad hoc enim natus, huic officio destinatus es, vt Reipub. deformitates aboleas & pristinam faciem mundo reddas. Tunc verus mihi Cæsar verúsque videberis imperator, cum officium tuum impleueris, sine quo nedum princeps sed ne priuatus quispiam iure laudabitur. Addis autem (stupeo auditu) nesciam tunc secessionis Italiam. Quando, obsecro, id fuit? Ego enim in annalibus vix aut vllum tale tempus inuenerim, aut inueniri posse crediderim. Sileo illa vetustiora ipsius vrbis origi-

ne, & primos muros fraterna cæde madētes & impio scelere quæsita diademata: Quotiens parta iam libertate plebs indignans secessit à patribus? testes sunt mons sacer, ianiculum, auentinus. Pyrrhus in Italiam traiecit opem nempe laturus rebellantibus Tarentinis. Eodem tempore & Brutij defecerant & Lucani aliæque gentes Italicæ, quas omnes bello contundi & nolentes in fidem redigi oportuit. Secutus est Annibal, de fecit Capua magnis Romanorum obstricta beneficiis & vt propriè dicam, populi Romani liberta, sed infidelis & ingrata. Imò verò quis ea tempestate non defecit? Relege historias. Decem octo coloniæ per omnem Italiam in fide manserunt, quarum subsidio, vt Liuij summi historici verbis vtar, tūc Imperiū populi Romani stetit, iisque gratiæ in senatu & apud populum actæ. Quid totiens Hernicos rebellantes, quid perpetuos hostes Volscos Æduosq; commemorem? Quot cum Latinis bella prope ciuilia (vnum enim corpus Imperij videbatur) Quot vrbes euersæ atque inprimis ipsa Romani imperij parens Alba? quod vt fieret quid nisi defectionum metus ac memoria hortabatur? Quotiens cum Sabinis ancipiti acie decertatum, cum Vmbris cum Samnitibus cum Etruscis cum Liguribus ac Boiis & Gallis Insubribus, vbi Mediolanum Ticinumque vrbes sunt? Sed quid longius feror? Tibur ac Tusculum & Præneste triaque suburbia vrbis Romæ bellorum causas ac materiam præbuere, cùm non suis tātùm viribus insultarent, sed externis hostibus auxilium ac receptacula præbuissent. Ad hæc Veij vix decēnio diruti, exustæ Sidenæ sanctitatis admiratione, Phalerij subacti, vi capta Neapolis captumque Brundusium & Conoli & Fregellæ & Sora & Algidum & Corniculū ac Satricum & Bouillæ & Venilæ & Fesulæ, vnde patriæ meæ fundamēta fluxerūt. Piget, fateor, maximis parua cōnectere. Sed vt iā præualidæ robustæque ciuitati nihil arduum sit tenere ac vix dum pubescēti Reipub. nullus aculeus paruus erat. Adde Siracusanam obsidionem longam atque difficilem clarissimæque vrbis interitum, qui Duces quoque hostium ad commiserationem lachrymasque compelleret: Addę Firmium atque Esculum & Picenum omne per domi-

domitum, Vescinosque & Marsos & Pelignos, interque tot externos tumultus intestinas domi seditiones, & senatus insolentiam,& tribuniciam rabiem,& turbulentissimos Agrariæ legis motus vt reliquos sileam, quos enumerare non sufficio. Adde postquam res ad vnius imperium rediit, coniurationes innumeras & totiens, licet frustra, petitū insidiis Augustum caput, vt omittam qui veneno vel gladio periere: Adde famē Perusinam,& obsidionem Mutinensem & defectionem coloniæ Cremonensium, quæ vna fuerat inter paucas fidelissima, quarum paulò antè memineram. Longum nimiò historiæ iter arripui, sed subsistam. Omnis enim ætas secessionibus Italicis ac defectionibus plena est, vt forti animo & veterum memori nihil possit insoliti terroris occurrere, vt que nimis propriè dictum & ex ipso naturæ gremio sumtus videatur, quod Virgilius ait:

Grauidam imperiis bellisque frementem, Italiam.

Talis enim ab initio fuit, talis est hodie; talis ad extremū erit. Illa verò quam valida paupertas remoratur. Quid habet paupertas commune cum Cæsare? aut quo modo pauper est, qui alios ditat? animus pauperem facit,& diuitem: pauper sum, & Iulius ante Imperium pauper fuit, post imperium non diues: nemo enim liberalius victoria vsus est, vt ait Annæus Seneca nihil sibi retinuit præter dispensandi potestatē. Postremò, pauper sum, multos in bellū impulit paupertas, multis animos dedit, præsertim si aduersarius diues sit. Diuitias nempe viris fortibus bellum facit. At monet paucitas meorū comites, bellum parat, terret fama vulgaris. Quarundam minimarum rerum aliquando magnum est nomen & sæpe fama terribilior quàm conspectus. Opinio rem non mutat, quod tui nequeunt oculi, tuorum vident, non quia vegetiores, sed quia propinquiores. Multa de longinquo cernentibus metuenda, propinquantibus apparuere ridicula. Ecce quam tibi multa, Cæsar, pro tribus epistolis scripsi, si forsitam ter vocatus exaudias, & vt quem non petes aliter, in his literis animum meum cernas. Mallem posse tibi armatis legionibus obuiam ire imperata facturus quod vnum datur animo atque exhortationibus occurro ne-

que iam satis scio, quid vlterius loquar, neque si hoc non sufficit, quid ex me sufficere possit intelligo. In te magnam me Caesar, in te, inquam esse debet ignis ille, quem speramus nobis & algenti iustitiae succursurum. Sed is forsan extinctus est: nequicquam flamus in cinere. Improbi viri verbum est. Sed hac in parte veridici virtutem verba non addere. Excitare illam potest adhortatio, non dare. Itaque nihil amplius dicam, nisi id in quo totius negotij vis est, omnia consilio Caesar deget, sed nihil inertia. Et est, vbi non multum consultasse consilium sit. Vale IX. Cal. Decembres.

FRAN. PETRARCHA NICOLAO SIGEROS PRAECORI Epist. II.

Gratiarum actio pro transmisso Homeri libro.

CLari animi, clarum munus vt decuit, fuit: operationes enim hominum animum imitantur, & qualis quisque sit, ex actuum qualitate conspicitur, singulare aliquid te decebat: nempe singularis es vir, & ab acie vulgari tota intentione remotissimus, si esses vnus è populo, fecisses vt reliqui nunc autẽ implesti magnificè quod tuum erat, vnóque actu & amicitiam, & ingenium aptissimè declarasti. Misisti enim ad me de Europae vltimis, donum, quo nullum vel te dignius, vel mihi gratius, vel re ipsa nobilius mittere potuisses. Magnus ille rex Syriae Antiochus, vt quidam putant, siue vt Ciceroni placet rex Pergameorum Attalus, Publio Scipioni, magnificentissima dona, vsque ad Numantiam misit, ex Asia, quae ille vir clarissimus non abscõdidit, sed vt ait idem, inspectante suscepit exercitu, cuius auus Africanus ille superior, insignia munera Masinissae regi legitur donasse, virtutis ob meritum, quia Romanum exercitũ enixè admodum, in bello iuuerat. Fecere idem saepe alij. Neque enim modò publicas, priuatásque munificentias enumero: sed attingo aliquas quarum relatu facilè quid sim dicturus intelligas. Donant aurum quidam, vel argentum concupiscibilem forte, sed certè periculosissimam terrae fecem. Donant spolia rubri maris, & algae ditioris exuuias, lapillos, gemmásque, cometarum in morem

saepe

sæpe lugubre, prorsus ac sanguineum rutilantes. Donabit monilia & baltheos fuliginosorum decus artificum. Donant squallentium opus architectorum, arces & mœnia. Tu verò vir optimè, nihil horum, quæ & opulentiam largientis, ostenderent, & accipientis auaritiam irritarent. Quid igitur? Rarum munus & iucundum, méque vtinam, te profectò dignissimum, vt dixi. Quid enim vir ingeniosissimus atque eloquentissimus, nisi ipsum ingenij & eloquentiæ fontem daret? Donasti Homerum, quem bene diuinæ omnis inuentionis fontem, & originem vocat Ambrosius, Macrobius, & si omnes tacerent res ipsa testatur, sed fatentur omnes. Ego autem ex omnibus sciens, vnum tibi testem protuli, quem ex omnibus Latinis tibi familiarissimum esse perpendi. Illis enim facile credimus quos amamus. Sed redeo ad Homerum. Hunc tu mihi vir amicissime donasti, promissi tui simul ac desiderij mei memor quódque nō modicū dono adiicit, donasti eum non in alienum sermonem violento alueo deriuatum, sed ex ipsis Græci eloquij scatebris purum & incorruptum, & qualis primum diuino illi profluxit ingenio. Summum vtique, & si verum rei pretium exquiritur, inextimabile munus habeo, cuíque nil possit accedere, si cum Homero, tui quoque præsentiam largireris, qua duce peregrinæ linguæ introgressus angustias, lætus & voti compos, dono tuo fruerer, attonitúsque conspicerem lucem illam, & speciosa miracula, de quibus in arte poëtica Flaccus ait:

Antiphatem, Scyllámque & cum Cyclope Charybdim.

Sed nunc heu! quid agam? Tu mihi nimium procul abes, fœlix vtriusque linguæ notitia singulari, Barlaā nostrum mihi mors abstulit, & vt verū fatear, illū ego mihi prius abstuleram, iacturam meam, dū honori eius consulerem non aspexi. Itaque dum ad Episcopium scandentem sublevo, magistrum perdidi, sub quo militare cœperam, magna cū spe. Longè impar fateor, tui & illius ratio. Tu mihi multa, ego tibi quid conferre possim, nō intelligo: ille autem, cum multa mihi quotidiano magisterio cœpisset impendere, non pauciora quidem, sæpe etiam lucrum

ingens ex conuictu nostro sese percipere fatebatur. Vrbanè nescio an verè, sed erat ille vir, vt locupletissimus Graecae, sic Romanae facundiae pauperrimus, & qui ingenio agilis, enunciandis tamen affectibus laboraret. Itaque vicissim, & ego fines suos, illo duce trepidè subibam, & ille post me, saepe nostris in finibus oberrabat, quanquā stabiliore vestigio. Nam & hic quoque ratio diuersa, illi enim plus multò Latini, quàm mihi Graeci erat eloquij. ego tum primum inchoabam, aliquantulum ille processerat, vt qui Italicè natus esset in Graecia, & qui licet aetate prouectior, Latinorum conuersationem, magisteriúmque sortitus, ad naturam propriam faciliùs remearet, illum mors, vt paulò ante quaestus sum, te mihi, morti non absimilis rapit absentia: Etsi enim vbicunque sis, de tanto gaudeam amico, viua tamen illa tua vox, quae dicendi sitim, qua me teneri non dissimulo, posset vel accendere, vel lenire, minimè aures meas ferit, sine qua Homerus tuus apud me mutus, imò verò ego apud illum surdus sum. Gaudeo tamen vel aspectu solo, & saepe illum amplexus ac suspirans dico. O magne vir, quam cupidè te audirem, sed aurium mearum aliam, mors obstruxit, aliam longinquitas inuisa terrarum. Tibi quidem pro eximia liberalitate gratias ago erat mihi domi, dictu mirū, ab occasu veniens olim Plato Philosophorū princeps, vt nosti, (neq; enim vereor ne tu tātus vir, ꝙ scholastici quidā solet, huic praeconio obrepas, cui nō Cicero ipse, non Seneca, nō Apuleius, non Plotinus, magn⁹ ille Platonic⁹, postremò nō Ambrosi⁹, non Augustinus noster obstreperet) nunc tandem tuo munere, vir insignis Philosophorum principi Poëtarum princeps accessit. Quis tantis non gaudeat, & glorietur hospitibus? Habeo quidem ex vtroque, quantum Latinitas habet, in sermone patrio, sed Graecos proprio in habitu spectare, & si forte nō prosit, certè iuuat. Neque praeterea mihi spes eripitur, aetate hac prouectus in literis vestris, in quibus aetate vltima profecisse adeò cernimus Catonem. Tu si quid forsan ex me cupis, redde mihi fiduciae tantae vicem, & in me iure tuo vtere. Ego enim vt vides, iure meo vtor in te, & quoniam petitionis successus, petendi parit audaciam, mitte

siva-

si vacat Hesiodum, mitte precor Euripidē. Vale vir egregie, noménq. meū quod sine vllis meritis, nescio qua indulgentia, vel hominum, vel fortunæ iam satis in occidente cognoscitur, in orientali aula si videtur, & inter vestros heroas notum facito. vt quod Romanus Cæsar amplectitur, Constantinopolitanus non fastidiat Imperator. Mediolani III. Idus Ianuarij.

FRAN. PETRARCHA IOANNI DE CERTALDO. Epist. III.

Gratiarum actio pro transmisso Augustini libro in Psalterium Dauidicum.

BEasti me munere magnifico & insigni. Iam Dauidici cum Pelagus securior nauigabo, vitabo scopulos, neque verborum fluctibus, neque fractarum sententiarum collisione terrebor. Solebam ipse meis viribus in altum niti, & nunc altius brachia iactando nunc posse fortuito subnixus per obstātes fluctus fessum ingenium librare, ita quidem vt sæpe cum Petro mergi incipiens exclamarem: Domine saluum me fac, & ipse secum Christo manum supplicibus porrigente consurgerem. Hos inter æstus puppim tu mihi prævalidā & nauclerū industrium destinasti, diuini ingenij Augustinum, cuius opus immensum, quod vulgo tres in partes, apud quosdam plurifariam diuisum multis & magnis voluminibus continetur, & totum vno volumine comprehensum & à te mihi transmissum lætus stupensque suscepi, & dixi mecum: non est inertiæ locus, si quid otij superterit iste discutiet: magnus adest, & magno curandus impendio, dormire totis noctibus non finet. Frustra palletis aut conniuetis oculi, vigilandum est, lucubrandum est. Frustra quietem meditamini, laborandum est Verum dicam, nemo ex amicis illum sine admiratione respexit, cunctis vna voce testantibus, nunquam se librum tanti corporis vidisse, quod de meipse profiteor rerum talium haud vltimus inquisitor, nec mole literarum quam sensuum vbertate maius opus. Monstrum est cogitare, quantus il-

le vir ingenio, quantus studio fuit. Vnde ille feruor scribendíque impetus sancto viro? illa rerum diuinarum notitia terrenis diu primum illecebris capto? illa demum laborum patientia seni? illud otium Episcopo? illa Romani eloquij facultas Afro homini? (quãuis, vt idẽ etiã quodã loco clarè innuit, sua ætate Afri quidã Latinis literis vterẽtur) de quo perpropriè dictum putes, q ipse de M. Varrone dixit Terentianum sequens: Vir, inquit, doctissimus vndicunque Varro, qui tam multa legit, vt aliquid ei scribere vacauisse miremur: tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere posse credamus. Sed, vt alia omittam eiusdem ingenij monumenta, seu quæ multa sunt mihi seu quibus adhuc careo, & rursum seu quæ Retractationum suarum libris idem ipse cõmemorat, seu quæ ibi vel oblita forte, vel neglecta, vel nondum scripta præteriit, ad quæ omnia relegendum vita humana vix sufficit. Quis enim, si nil aliud egisset, vnum hoc scribere potuisse non stupeat? Nullum vnum & vnius opus hominis Latinis editum literis huic magnitudine conferendũ scio, nisi forte sit alter eiusdẽ liber in epistolas Pauli, quod, nisi fallit extimatio, frustratúrque memoria, prope ob eandem literarum congeriem videtur accedere, vel Titi Liuij Romanarum rerum liber ingens, quem in partes, quas decades vocant, non ipse, qui scripsit, sed fastidiosa legentium scidit ignauia, huic tali amicitiæ tuæ dono præter eam, quam loquor, magnitudinem & libri decor & vetustiores literæ maiestas, & omnis sobrius accedit ornatus vt cum oculos ibi figere cœperim, siticulosæ hirundinis in morem nequeam, nisi plenos auellere, ita sæpe mihi dies impransus præterlabitur, vox insomnis. In quo quidem delectationi meæ, quam iam ferè vincam, nec nisi ex literarum lectione percipio, quantum hac tua liberalitate sit additum, non facile vulgus existimet, cui extra corporeos sensus nulla voluptas est: tu verò perfacilè, neque mirabere libri huius aduentum me sitienter atque anxiè expectasse. Scis vt cupiditati longa breuitas, festinatio tarda est. Quia si apud Nasonem amantis insani verbum est:

Septima nox agitur, spatium mihi longius anno.

Quid

Quid mihi visum putas, cui inter expectandum, vt ex persona alterius ait idem,

Luna quater latuit, toto quater orbe recreuit.

Solet honesta cupientium flamma serenior esse non segnior, Consulto tamen actum reor non quidem abs te qui in mittendo multam sollicitudinem habuisti à fortuna potius, vt ipsa dilatio desiderio meo calcar munerísque tuo gratiam cumularet, pro quo tibi grates meritas agendi, ne fortè putes quòd huius epistolæ contextus aut dies vnus modum statuat, non alium scito quam legendi viuendíque finem fore. Vale nostri memor.

FRAN. PETRARCHA IOANNI DE CERTALDO. S.P. Epist. IV.

Gratiarum actio pro transmissis Varronis ac Ciceronis libris.

STilum meum obsequiis tuis vinci video. Multo ego prius gratiarum, quam tu gratarũ rerum actione defatiger. Recepi, ecce iterum à te librum ex Varronis ac Ciceronis opusculis eximiis prorsus & raris, quibus nihil animo meo gratius, nihil optatius, nihil demum poterat aduenisse iucundius. Accessit ad libri gratiam, quod manu tua scriptus erat. Quæ res sub oculis meis inter illos duos tantos heroas linguæ Latiæ te medium fecit, Nec verò te magnis nominibus inseri pudeat,

Nec te pœniteat calamo triuisse libellum,

Vt ait ille. Etsi enim tu alios mireris, quos studiorũ mater omnium tulit antiquitas, idque iure tuo facias, cuius sit proprium, & mirari quæ vulgus despicit, & despicere quæ miratur: venient tamen qui te forsitan mirentur, nempe quem iam nunc mirari incipit inuidia & claris semper ingeniis ingrata præsentia, quam multa quoque subripuisse veteribus non ignoras, quæ sensim postea restituit hac vna in re iustior & incorruptior sequens ætas. Egisti autem optime, qui illos iunxeris, quos patria, tempus, ingenium, amor, studia, coniunxerunt. Amarunt se illi cultu mutuo, multa sibi inuicem, multa de alterutro scripsere, vnus amborum animus præceptórque vnus fuit, in eisdem scholis militarunt, in eadem Repub. versati sunt, non eisdem tamen honorum gradibus: aliúque

ascendit Cicero. Quid multa? bene concorditerque cohabitabant. Et, crede mihi, paucos tales iungere poteras ex omnibus seclis ac gentibus licet ille doctior, ille disertior sequor famam: deniq; si loqui ausim ac quis deorum quisve hominum non dicam inter tantas me iudicem partes statuit, sed vltrò iudicare ausim inoffensis auribus audiat. Quando tamen ita fert animus, loquar, vt tibi vni in sinistram aurem insusurrem quicquid id est Cùm equidem magni ambo; aut me amor & familiaritas fallunt, aut omni ex parte maior est Cicero. O quid dixi quorsum-ve & præruptum in locum prodij. Sed dixi, sed prodij, atque vtinam non manus audaciæ, quam iudicij discrimen adierim. Vale.

FRAN. PET. GERALDO MONACHO CARTVSIANO S.P. Epist. V.

Sæpe doctorum hominum libros in correctiores esse quam reliquorum.

PRomissum Augustini Cõfessionum librum cum his literis ad te misi, quem correctissimum forsan speras, eò quòd meus fuerit: sic enim tibi persuasum scio, me plus aliquid esse quam vulgus. Id inaurem tibi persuasor optimus amor eloquitur. Noli sic, frater, optimari: noli, quæso, te fallere, neque te ab alio falli sinas. Si tibi hoc amor dicit, mendax est: si alius, ignarus me est: si tu ipse, possem tibi credere nisi amares. Quid ego de me mihi credam, qui etsi me Amem, tamen ignorantiam meam odi, intérque odium & amorem temperatam sententiam ferre queo? Quid verò pronunciem expectas? Vnus ex multis adhuc sum quamuis summo studio nitar assidue, vt sim vnus ex paucis. Quid si accidat, bene erit feliciterque laboraucro: alioquin vulgi aciem nisu saltem & voluntate transcendero. Et quando, inquis, hoc tibi futurum spondes, si nondum est, cùm, quicquid esse debueras iam nunc sis? Care frater quærendæ sapientiæ ac virtuti in illa non ætas apta est. Quandocunque fuerit, forum esse nõ poterit modò sit. Et de me quidem hactenus. Quid

de aliis

de aliis dicam, qui non persuasione beniuola, sed vero incorrupto iudicio docti sunt: rarum semper, nostra autem ætate rarissimum genus. Sed ne ab illis quidem semper correctos ad vnguem codices expectes: maiora quædam & laudabiliora pertractant. Non calcem temperat architectus sed iubet vt temperatur; non gladios acuit dux belli; non magister nauis malum dedolat, aut remos: non tabulas Apelles, non ebur Polycletus, non Phidias marmora secabat. Plebei suum opus ingenij est præparare, quod nobile consummet ingenium. Sic apud nos alij membranas radunt alij libros scribunt, alij corrigunt, alij, vt vulgari verbo vtar, illuminant, alij ligant & superficiem comũt. Generosum ingenium altius aspirat, humiliora præteruolans. Itaque sic habe, sæpe vt agros diuitum, sic libros doctorum hominũ incultiores esse quàm reliquos: Copia nempe securitatem, securitásque segnitiem, segnities situm parit. Sic podagrici callem, quẽ frequentare habent, offensæ licet facilis, aut pauentes, aut memores minutissimis quoque lapillis expurgant, cum sani pedes acuta etiam saxa contemnant. Sic valetudinarij fenestrellam omnem vitro sepiunt, cum bene valentes aër liquidus & gelidi flatus mulceant Aquilonis. Sic igitur idiotæ, quos syllaba vna vel litera sæpe diu tenuit perplexos, omnia accuratissimè, nequid tale iterum patiantur, emendant, quod ingenio fidentes & maioribus intenti negligunt. Et hæc quidem in commune dixerim. De libro autem, hoc quid speres ipsa te libri facies monebit. Nouus & nudus est, & nullo correctoris dente percussus. Familiaris illum meus scripsit, quem mecum intra tuum limen anno altero vidisti, iuuenis digiti quàm ingenij melioris. Neglectam tamen orthographiam potius quàm insignes defectus inuenies. Denique forte aliquid occurret quod intellectum exerceat, quod impediat nihil. Perlege & insiste; accensum liber hic animum inflãmabit, qui algentes accenderet. Videbis, quod de Biblide habetur in fabulis, Augustinum nempe in fontem deuotissimarum lachrymarũ esse conuersum: quem precare, oro, te vt communem dominum pro me roget, quod multæ & tibi inter legendum fluent lachrymæ. Et

legendo flebis & flendo laetaberis, dicesque te in his literis verè ignitum eloquium & sagittas potentis acutas cum carbonibus desolatoriis inuenisse. Vale. Mediolani. VII. Cal Maias, ad vesperam.

AD FORENSEM PLEBANVM Epist. VI.

In vna & eadem specie quanta sit diuersitas naturarum.

QVerelas tuas, optime vir, cunctis mihi blanditiis dulciores elegantissimus stilus explicuit. Mira rerum & infinita diuersitas ac stupenda prorsus alternatio, dulcia ex persona nonnunquam amarescere, atque amara dulcescere, quae in speciebus quidem aliis atque aliis non miramur. Quis enim miretur agnum mitē & innocuum, rabidum ac rapacem lupum, ferum & indomitum leonem? Vrsus Aper, pardus, Tigris etsi naturae omniparētis imperio coëant & coniugio delectentur, dilectae tamen consorti blandiuntur horrificè & laeti triste nescio quid auribus hirsutis murmurant. Contra autem philomena direpto tristior nido dulce quiddam & amoenum gemit: & cigni, vt aiunt vicina morte suauissimus est concentus. Talia verò in vna eadémque specie sine stupore non cernimus. Quis enim non miretur esse quorundam hominum molestas rancidasque blanditias quorundam hilaris faciis dulciora conuitia? Vtriusque rei exemplum non longè quaesitum dabo. Est mihi seniculus quidam domi qui licet in extremo habitabilis zonae natus vltra quam homines non sunt, ipse tamen homo est, hominisque animam & effigiem habet, sed adeò nihil humani sapit, vt dum blandiri incipit aut vrsinum fremat aut aprinum nescio quid infrēdat, adeò denique tetrici moris est penitúsque barbariei, vt & quodam modo lambendo mordeat, vt de eo perpropriè dictum putes non illud eximij prophetae, Fluit vt ros eloquium eius, sed illud comici poetae, Lapides loquitur. Lapides, inquā, meros atq; durissimos, quib⁹ cerebrū incredibiliter excutit & obtundit, foedoq; tonitru caelū omne cōtristat. Ex diuerso autē sunt amici, preciosa, grata & immarcescibilis supellex, qui me castigando & iurgando permulcent. Horū vnus es tu,

Cuius

cuius mellifluæ querelæ multa me, fateor respersere dulcedine, tam suauiter, & amice hinc fortunam tuam, hinc duritiem meam defles: melius, mihi crede, segnitiem. Absit enim, vt aut immemor tui sim aut oblitus mei. Memini primordiorum amicitiæ nostræ, quæ tu mihi velut obliita in faciem obiicis commemoratione tam dulci, vt gaudeam reus esse. &, quamuis nolim, iustam tibi querelæ materiam præbuisse: velim tamen aliquid accidisse, quod quererceris, prodest. Interdum irritari animos, & sæpe paruæ species offensæ, magnæ causa virtutis fuit. Multis vocem extorsit indignatio & dolor & metus. Nisi Cyri miles in Crœsum violentus irrueret, Atys Crœsi filius perpetuò mutus foret. Ego quoque te loqui silentio meo feci, quod sermone forsitan non fecissem. Enimverò te locutum gaudeo: taciturnitatē verò meam molestam tibi fuisse doleo. Curabo ne vnquam amplius molesta sit neu aliquando vel frustra mihi scripsisse videaris, vel si nihil scripseris, possis siue in propriis siue amicorum saltem in literis te præteritum lamentari. Hactenus ergo da veniam calamo attrito: ignosce digitis fatigatis: parce animo occupato, & vale. Mediolani Idibus Martiis.

AD FRANCISCVS SERVVM APOSTOLORVM, Epist. VII.

Sæpe animo gratiora esse, quæ incultiora sunt.

TV multiparia & festinatā epistolā tuā legi, quæ nō mihi nisi ideo grata oculis meis atque animo, sed propè gratior fuit. Talis illa mihi, qualis amanti cupido incomptior amica. Suspiraui, & dixi, quæ nam hæc esset, si speculum aspexisset. Ipsa se forte, dum à prandio consurgit Cerere, vt iocando ais, Liberoque certantibus, raptam quodpiam veste suffarcinatam & sic ad me venire non sum affirmabat. Contra autem stilus sobrium & imperatorem profitebatur auctorē, nihil modestius, nihil abscisius, statura pro tēpore sententiarum grauitas, dulcis & ingenua frons, verborum multas subitò deprehensas decor

pudor, & tremor vocis, & capillus impexus, & distinctus sinus, & pes nudus, & toga fortuita. Sæpe magnificultus loco fuit habitus neglectior. Talis Cleopatra sparsa cæsarie Cæsareum animi robur inflexit. Talis Phædræ oculos rigor mouit Hippolyti & coma sine parte posita & leuis ore puluis egregio. Talem fuisse Sophonisbam reor, dum Masanissam cepit victa victorem quod in Africa olim gestum nunc in Africæ nostræ libris pathetice materiæ fundamentum est. Talis puto Lucretia erat, dum Sexti Tarquinij pectus accendit, vnde regnorum fons & Romanæ libertatis exordium fluxit. Quæ quamuis ita se habeant, est tamen familiaris mos iste formosis de deformitate conqueri, adeo nihil excelsum est animo summa voluenti, donec peruenerit, quò suspirat. Epistolam quidem illam inter temporis angustias scriptam nihil nisi breuitas iudicio est. Non soles mecum verborum esse tam parcus. Sed ne illius eximiam breuitatem multiloquio premam, quicquid hodie iconomicum mihi domus attulit, seorsum altera perleges papyro. Ita enim ab eo studio semotus sum, vt neque me digna censeam neque quodammodo mea putem, quæcunque de domesticis curis scribo: quanquam ibi præcipua mentis sit librorum, quorum me anxiè auidum non negabo. Hic me affectus à iuuentute prosequitur: ineptus forsitan dicat aliquis. Quid enim stultius quam solicitè quærere, quo parto vti nescias? quasi non ingenio optimo Flaccus irrideat:

Si quis emat citharas emptas comportet in unum,
Nec citharæ studio, nec Musæ deditus ulli.

Nosti cætera, locum tenes. Si quod sane mihi cum libris potest esse commercium, hunc in me affectum non mirabitur, quisquis Ciceronis epistolas aliquando perlegerit, vbi vir ille, cuius ex ingenio, velut è fonte purissimo atque plenissimo fluebat, quicquid est penè librorum illustrium, quo verus Latinitas glorietur, libros tamen alienos non appetere videtur, sed ardere. Hactenus hæc. Epistolas quidem meas aliquot tuo sub nomine descriptas ad te non peruenisse scio. Facit hoc mihi quorundam importunitas atque improbissima literarum sitis, quæ-

lem

lem pati solent, qui febribus æstuantes limphis inhiant nocituris. Quicquid ergo cuique excidit, sitienter intercipiunt, nec studiosorum abstinent iniuriis, dum ardenter hauriant, quod tepidè digestũ sibi atque aliis nauseam ferat, quos ego non tam literatos quam literatores voco, friuolos & inanes & vt ait poëta,

Non æquo fœdere amantes,

Sic iniquo fidere nati amâ esque semper, nec amati profugas literas insectâtur. Sed de his satis superque dictum est. Epistolarum illarum, quasdam iterum ad te mitto, non tam quia necessariæ tempestiuæque sint, quàm (vt in otio aueo) sæpe me tui memorem, imò verò nũquam prorsus immemorem scias. Vale. Mediolani, Cal. Aprilis properè.

FRAN. PETRARCHA EIDEM S. P. D. Epist. VIII.

Fidem sufficere in amicorum colloquiis, nec quærendum stilum.

ERredes me quoque sollicitum coemendis epistolis qui post dies hanc aut suscipiam aut tibi ingeram curam, & quasi lasciuior adolescens non tantum vultus in speculo, sed terga contempler. Crede mihi, non sum, nihil minus: magna mihi ex parte dilabitur quicquid ad amicos loquor. Spero me illis notum, nec placere despero, licet incomptum debiliter amat, quem delectæ capillus incultior offendit. Ab aliis autem veniam expecto, si cogitant quis & cui & quid loquar: forsan, qualiter, non curabunt. Fugio ego superuacuum laborem necessario, si sufficiam satis erit profecto aut magnus amor artificiosa eloquentia non eget. Cui non diserta visa est Amica? quem non delectat, dum balbutit, infans filius? postremo quis à se, dum secum ipse loquitur, ornatum quærit? at vetus est verbum Amicus alter ego, de quo eleganter Cicero. Quid dulcius quam habere, cum quo omnia audeas sic loqui, vt tecum. Nemo igitur exigat ab amico, quod à se non exigit: alioquin non sic cum amico loquitur, vt secum. Equidem sic mihi omnis amici sermo pro-

batur, vt proprius, nec sermo tantum, sed silentium notus. Quid enim refert, modò quid ille velit, intelligam, aut quod nolit, cum quo idem velle & idem nolle dispo- sui? Amici mei eloquentiam, si assit, amplector, sicut eiusdem reliquas seu gratias seu virtutes, sed ita illam expeto, quod amici vt animum, sic & linguam ornatam velim, non quod delicatas cum amicis aures habeam. Malim amicum facundum esse, quam balbum, quippe & sanum malim quàm ægrotum, formosum præterea quàm deformem, non quod ægrum deformémque minus amem, sed quod sano formosóque magis gratuler. Sic ditem illum potius eligam esse quàm pauperem, ita tamen vt non indè prædam mihi cogitem, sed copiam illi, mihi gaudium, sine quo amici prosperitas esse non possit. Virtus est amicitiæ fundamentum, ad quam seruandam nihil requiritur præter mutuam charitatem. Ea simplex & nullis fucis illita est, nil quærit exterius. Et si multa non quærenti obueniant (quis enim amicitiarum commoda atque oblectationes enumeret?) charitas tamen stimulos non requirit, sese contenta est, ipsa sibi calcar & præmiũ. Si quid vberius obtigerit, non amicitiæ laus fuerit, sed fortunæ: sicut non melior piscator est, sed fortunatior, cui in visceribus capti piscis iaspis inuẽta est, nec venator fuit melior, qui aliorum temporibus sub Archoa plaga, si tamen vera fama est, ceruum torque aureo circa collum cepit, in quo, vt perhibent vetustissimis literis scriptum erat: Nemo me capiat, quem Iulius Cæsar liberum esse iussit. Aliud agebat agricola, cui sub raniculo terram molienti septenos libros Græcos ac Latinos & Numæ Pompilij Regis bustum castis obtulit. Sæpe me vineæ fossor Romæ adiit Genuam antiqui temporis, aut aureum argenteúmque nummum è manu tenens, nonnunquam rigido dente ligonis attritum siue vt cinerem siue vt insculptos heroum vultus agnoscerem. Hortatus sæpe architectus, dum fundamento stabili sedem quærit, vrnam auream, defossámque sub terram reperit thesaurũ. Quisquám ne horum aduentitio lucro famam suæ artis aut ingenij consecutus est? Fortunæ dona sunt hæc, non hominum laudes: multóque dignius habet artifex nodum,
quem

quem ritè omnia facientem vipera cauernis lapsa deterruit, quam temerè cuncta miscentem latentis auri fortuitus fulgor læta admiratione suspendit. Idem in amicitiis dicendum est. Elegi amicum prudenter, amaui feruenter, colui diligenter, fidem ad extremum præstiti. Hæc mihi amicitia labores attulit, curas atque pericula: nullus hic error amicitiæ, sed fortunæ est. Ille idem præstitit, sed ob eam ipsam amicitiam honore auctus, ære ditatus est. Iam dixi fortunatior fortasse, non melior est amicus. Alter autem amicitiam simulauit fidémque, dum fingeret, inuenit. Commoda hinc multa percipiens. Nam vtilitates quidem, vt ait apud Ciceronem Lælius, etiam ab his percipiuntur sæpe, qui simulatione amicitiæ coluntur, & obseruantur temporis causa. Quid de hoc sententiam, quæris? Feci callidum venditorem, & mendacio feliciter vsum dicam, quod amicitiam spectat. Impostoris illi nomen attribuam, non amici. In amicitia enim, vt ibidem ait idem, nihil fictum est, nihil simulatum, & quicquid est, idem est verum & voluntarium. Hæc igitur summa est: In amicitia sola amicitia quærenda. Verus amicus nihil nisi amicũ cogitat. quod si me semper amicis præstitisse & ab illis præstitũ mihi scio, neque quam remitto aliis, à me in familiaribus præsertim epistolis eloquentiam flagitari, neque mihi vitio verti credam, si cum amicis sic locutus inueniar, vt mecum. Quæ res mihi tantum incuriositatis attulit, vt non verborum modò, sed rerum quoque negligens fiam. Vnde me, fateor, vt incidenter hoc dixerim, nonnunquã inconstantiæ notatum ab his, quibus videretur etiam amicis colloquentem sic librare omnia debere, vt nihil vel in oratione sit varium, vel in rebus. Quale est enim, inquiunt, amico quicquam loqui, aut aliquid velle hodie, cuius contrarium cras loquaris aut velis. Firmandum ergo animum & tum demum amicis aperienda consilia. Hic enim & verborũ & actuum informitas consequetur. Quod alibi quidẽ vtiliter præcipi, nõ nego, sed in amicitia nimis vafrosum. Ita illis respondeo (Nam & adhuc sub iudice lis est, & te arbitrum non recuso) me, quod sæpe iam dixi, omnia cũ amicis vt mecum loqui, mecũ vero non tantum examinata & ap-

probata, sed ambigua sæpius in secreto tractare, & hæsitare, & cōsultare, vt ratiocinando ad verum niti. Itaq; quod deliberantis est proprium, modò hanc, modò illam placere sententiam, quod suo etiam laudato duci Virgilius, idque non semel dedit:

Atque animum nunc huc teretem nunc diuidit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.

Quod si amicos consiliorum participes habere & conscios, ego non electiones modò, sed cogitatus, motúsque animi, quos primos vocant, ad amicos referam, neque rerum summas atque exitus, sed particulas atque primordia, & progressus, quicquid mihi per noctem obrepserit, amicis obuiis primo mane narrabo. Si ad mensam eunti quid aliud visum erit, surgens amicis dicam, & pugnare sentētias gaudebo, dum melior vincat quod facilius fiet, si ab ipsis initus amicorum fides in partem consilij sit admissa. Hæc & his similia cum sæpe pro quotidiani moris excusatione dixisse, forte accidit vt in epistolas Ciceronis inciderem, librum magnum, multæque varietatis, atque huiusce modi familiaribus placidum refectúmque colloquiis. Ibi excusationem similem legi, & delectatus sum nescio qua vel ingenij (quod optare sic, sperare vtinam liceret) vel ipsarum rerum sola similitudine me dixisse, quod tanto ante magnus ille vir dixerat, cum adhuc, Deū testor, ab illo dictum esse nescirem, & secum, in quodam loco ait idem, in eadem incidisse vestigia: quod vt clarius fiat, ipsam Ciceronis verba subiciam qui ad Atticum scribens cum sæpissime variasset, adiecit & quasi ad seipsum: Totiens-ne igitur, inquit, sententiā mutas & respondes, vt dixi: Ego tecum, inquit, tanquam mecum, loquor. Quis autem est, tanta quidem de re, quin varie secum ipse disputet Atque huic rationi ille aliam accumulans: simul & elicere cupio sententiam tuam: (ait) si manet, vt firmior sim: si mutata est, vt tibi assētiar. Quod vltimum me non tangit, non sum tam captus, nulla mihi in amicitiis ars, nisi vt valde diligam, valde confidam; nihil fingam nihil occultem, & perinde omnia explicem in auribus amicorum, vt in animo meo sunt. Sed redeo. Quamuis ergo non magis aures tuas quam meas circum-

conuenire propositum sit, & tamen mihi sæpe idem efficacius à me ipso dicitur, quando sic dicitur excitantibus scilicet atque pungentibus verbis, quàm si lætius diceretur tunc amicorum non aliter quam mihi mutata ratione consultū velim, tunc paulo curiosior in sermone sum excitandi studio non fallendi aut inani artificio demulcendi quale est quod dum epistolam, quam ad te penultimam scripsi, tacitus in memoriam, quod esset à me festinanter digressa, reducerem, nescio quid addi posse visum est, quò sonantior sit rotundiórque sententia. Id tibi seorsum, vt in animum venit, scripsi, quod si probas illic inseres, & tua manus nostro fungetur officio. Vale.

FRAN. PETRARCHA EIDEM FRANCISCO S. P. D. Epist. IV.

QVod visum fuit, epistolæ tuæ reddidi, & misi per fortuitum quendam nostræ Reipub. nuntium, cum quo multa de te in quibus illud apprimè mihi placuit, pro patriæ & ciuibus parum notus, eóque mihi notior, clariórque & clarior es. Semper de te bene speraui: iam sperare desino. Spes enim incerti venturíque boni nomen is mihi de te, iam nihil incerti est. Epycurum ac Democritum studiosissimæ vrbium Athenæ famosos mundo accolas, sibi autem incognitos habuere. Miremur si te mercatrix & lanifica nostra non nouerit. Magnum locum hactenus in nostra amicitia te nuisti. En quod impossibile arbitrabar, non alter anteire te, ipse te præis. Ita quidem ille me de te, quem facie planè notat, quasi de Dandamo aut Calamo Indorum Philosophis loquentem audiit, attonitus atque suspensus defixis in me oculis & velut horrore noui monstri cuiuspiam comis extantibus, dum non tibi, sed vero astipularer. Ergo contra stuporem non insulsi hominis stupebam, & vt dici solet, in sinu tacitus gaudebam, & ad me identidem, quantus est ille meus, cuius hic cum latera viderit, verticem certè non vidi: puto nubibus cinctus erat, quod ex celsis montibus vsu euenit, imò verò nubes excesserat. Quod si Olimpo datur, quanto altior illa pars animæ est passionum

nebulas supergressa, vbi immmota serenitas habitat, quod lippus & multa caligine obsitus popellus frustra suspicit. Sed ne multa de hoc: sic tibi persuade, ad opinionem meam, quam iam dudum impleueras, laxandam nullius omnino facundiam tantum habituram neruum, quantum illius silentium stupórque habuit.

AD EVNDEM.
Epist. X.

Varroniana lex conuiuij.

O Fœlix letúmque conuiuium quo tales támque vnanimes tres amicos apud te nostri sub aduentum nuntii festa luce contraxerat Marci Varronis de lege conniuij liber est, vbi illud inter multa præcipitur, vt neque plures Musis, neque pauciores Gratiis sint conuiuæ, ne in alterum extremorum, aut in turbam, aut in solitudinem res eat. Etsi iudice me semper ad solitudinem vergendum, nosti quid præterea conuiualis illa lex sanciat, vt sit omnibus suis numeris conuiuium absolutum, si imbelli, inquit homunculi collecti sunt. Quod ideo dictum puto, quia hominum præpotentium magnitudo tranquillitati ferè semper aduersa est, non aliter quam tumidi maris fluctus. Ad hæc si electus, inquit, locus, si tempus, si apparatus non neglectus. Illud quoque requiritur, vt neque loquacitate turbidum, neque silentio mutum sit, sed inter vtrumque, & confabulatione iucunda, & sermone vtili amœnóque, sine contentione, sine iurgio, sine anxietate, sine molestia, denique dulci conuictu & affabilitate conditum. Quæ dictu leuia, non facile rebus ipsis implentur, nisi leuis & immota serenitas præcesserit animorum vultus ac verba formantium. Quid de aliis, quàm famulis, quã conuiuij domino legem ponã, vt illi pauci homuli sollicita? Ille nõ sit largus, sed & sobri⁹, lætus, sed modestus, denique circunspectus, suauis, vrbanus, disertus, sed qui tacere nouerit & pro qualitate hominũ aut temporum aut locorum iactis inter conuiuas verborum seminibus audire quid alij colloquantur. Hæc

&

& si quæ sũt id genus, nulla ex parte prorsus Attico veréque Philosophico conuiuio tuo defuisse crediderim, nisi quod tu fortasse lautior quàm rustica nosset antiquitas, quanquam tuas lautitias eximia sobrietate & modestia plenas sciam. Sed vbi ego tunc eram, eadem certè, quæ vt abessem iusserat, quo vno licuit modo, vt ipse quoque præsens essem, fortuna prouidit, quando tunc præcipuè caro cætui meas iunxit epistolas, quibus geminatum gaudium vestrum scribis. Credo equidem. neque aliter suspicari fidelis amicitiæ candor sinit. Vale.

AD EVNDEM
Epist. XI.

Dominus amicus an nunc etiam Bononiæ sit ignoro. Mallem in Academia vel Parnasso, mallem Platone vel Homero duce, quam Vlpiano vti vellet aut Scæuola, Pieridúmque modis, quàm legum nodis intenderet. Sed vulgo vnus obstare nequeo. Satis sit mihi vulgarium opinionum euasisse torrentem, si tamen euasi, & non ipse millibus mergor ac rapior. Gratum, fateor, mecum meos educere: si non possum saluis gratulari, lugere naufragos non vetor. Cæterum siue ille Bononiæ nunc etiam degit illa, quæ omnibus ferè studiis par est dicendi cupidine, siue Florentiam redit magnis Cisalpinæ Galliæ motibus è studio pulsus in patriam, quibus per hos dies, vt vides, non sine totius prope Italiæ Germaniæque motu, Ligurum ac Venetorum potentissima arma miscentur, quibúsque vrbs illa miserabilis, olim lætitiæ clarissima, nunc tristitiæ fusca domus, graues nuper audaciæ pœnas tulit, rebus ipsis & sanguine proprio experta, quam verum est illud Cordubense vulgatum, quod libertas populi quem regna coercent, libertate perit: vbicunque, inquam, inter hos motus ille habitat, curabis vt Ciceronianus hic libellus siue quem ab illo quodam te præsente suscepi, ad eundem quàm primùm perueniat. Ego enim rerum dubius hunc ad te potissimum destinare statui, certus, quod non temerè nidum linquis, epistoláque apud

secum profecturum, quia per animorum strepitum micātésque gladios non tuto venturus videbatur incomitatus & inermis Cicero vir, vt quidam ait, nihil minus quam ad bellum natus, quanquam (si iocari cum defunctis licet) ille forsan hæc audiat inuitus, quam in epistolis ad Atticū, mirum dictu, tanta teneat cupiditas triumphandi. Vale nostri memor, Mediolani XVIII. Cal. Decembris.

FRAN. PETRARCHA IACOBO FLORENTINO S. Epist. XIII.

Damnosius multò esse doctorum libris hominum, quàm Dæmonum colloquio carere.

CIcero tuus quadriennio & amplius mecum fuit. Tantæ autem dilationis causa scriptorum hoc intelligentium ingens raritas atque penuria, quam iactura studiorum incredibilis consecuta est, dúmque natura obscura erant, intelligibilia desierunt esse notissiméque neglecta prorsus ab omnibus periere. Ita literarum vberrimis atque dulcissimis fructibus & ingeniorum illustriū vigiliis atque laboribus nostra paulatim secula caruerūt, quibus an excellentius aliquid in terris haud temerè diffinierim. Illud fidentissimè, dixerim maiorem hanc nostri temporis iacturam aliquantóque iustius deflendam, quàm delphica sedes quod siluit, quo deorum singulari quodam dono & quo nullum se iudice maius esset, Lucanus seculuū suum caruisse conqueritur. Quæ sedes melius omni tempore siluisset, & cum incola suo penitus obmutuisset Apolline, qui non Propheticæ tantum testimonio, quoniam omnes dij gentium Dęmonia sunt, proprio etiam ore conuincitur, si quidem interroganti cuidam quem se faceret (quanta veri vis) Dæmonem se esse confessus est. Profectò damnosius nemo negauerit dulci solatio literarum, quam perfidi ac mandatis Dæmonis caruisse colloquio. Sed relicta penitus querela, ad Ciceronem tuum redeo, quo cum carere nollem & potiri per scientiæ scriptorum ignauiam non liceret, deficientibus externis ad domestica vertor auxilia, fatigatósque hos digitos

gitos & hunc exesum atque attritum calamum ad opus expedio, & hunc quidem in scribendo morem tenui, quem, si quid tale forsan aggrediare, tibi quoque notum velim. Nihil legi nisi dum scribo, Quid ergo, dicat aliquis, scribebas, & quid scriberes, ignorabas? mihi autem ab initio satis fuit nosse, quod Tullij opus esset: idque rarissimum: procedenti verò per singulos passus tantum dulcedinis occursabat, tantóque trahebar impetu, vt legens simul ac scribẽs laborem vnum senserim, quod tam velociter, vt optabam, calamus non ibat, quem verebar oculis anteire, ne si legissem, scribendi ardor ille tepesceret. Sic igitur calamo frenante oculum atque oculo calamum vrgente prouehebar; vt non tantum opere delectatus sim, sed inter scribendũ multa didicerim memoriæque mandauerim. Quo enim tardior est scriptura, quàm lectio, eo altior imprimitur hærétque tenacius. Fatebor tamen iam scribendo perueneram non vt dicam tædio animi (quid enim Ciceroni minus conuenit?) sed labore manuum victus susceptum consilium non probarem, méque iam mei negotij pœniteret, dum subito ille mihi locus allatus est, vbi Cicero ipse orationes alterius nescio cuius (sed profectò non Tullij, vnus est enim ille vir, vna illa vox vnum illud ingenium) scripsisse se memorat. Nã quas tu, inquit, commemoras. Cassi, legere te solere orationes cum otiosus sis, eas ego scripsi & (vt solet cũ aduersario suo iocans) rudis, inquit, & ferus, ne omnino vnquam essem otiosus. Quo lecto sic exarsi, quasi verecũdus miles chari voce ducis increpitus, & mecum: Ergo alienas Cicero scripsit: tu Ciceronis orationes scribere negligis? Hic & animi feruor, hoc studium, hic diuini honos ingenij est his actus stimulis. Processi iam propositi certus, & si quid ex tenebris meis potest splendoribus illius facundiæ cælestis accedere, erit hoc forte non vltimum, quod dulcedine captus inenarrabili, rem suapte natura tædiosissimam scribere tam alacriter feci, vt vix me fecisse sentirem. Nunc ergo iam tandem Cicero tuus volens & meo nomine tibi gratias acturus ad te redit. Idem apud me non inuitus manet, cui hoc familiariter imputem, nulli ferè omnium, qui vnquam scripserunt, me

tantum fuisse daturum, vt inter tot aculeos humanarum difficultatum, quos prorsus excutere nequeo inter tot studiorum curas, ad quas longa etiam breuis est vita, alienis transcribendis tempus impenderem. Feci forte olim tale aliquid, dum clam labentis temporis ditior videbar, quæ tamen incertissimæ omnium sagacissimæque diuitiæ sunt: nunc apertæ res in angustum definit: non est vagandi locus. Iam necessariæ, vtinámque non seræ parcimoniæ tempus est. Sed tanti visus est Cicero, cui etiam de minimo partem darem. Vale.

FRAN. PETRARCHA CROTO GRAMMATICO BERGAMENSI S. Epist. XIII.

Comparatio laboris Herculei cum studio Tulliano.

FAma loquitur, Ciceronem inter omnes nunc Italos familiarem tibi atque hospitem fore, & penes te per multos eosdémque prauos illius ingenij libros esse. O tanto fœlix hospite, multò certe fœlicior quàm Euander Alcide. Quid enim Ciceronis eloquio par Herculeum robur habet. Fixerit aëripedē ceruam licet, aut Erimanthi placârit nemora, & Lernā tremefecerit arcu. Quantumvis labores Herculei celebrantur, siquidem profundius verum quæras, ille corpus exercuit, hic animum. Ille lacertis valuit, hic lingua, ille portētorū apud Graios, hic, quo nullum pestilentius mōstrum est, magnus apud nos ignorantiæ victor fuit. Sed ne laudatissimi hominis in laude deficiam, aut fortasse tibi notissimarum rerum exaggeratione fastidio sim, à laudibus versus in preces, te nunc facie licet incognitus rogo, vt me quolibet modo visum erit, nisi prorsus indignum censes tanti hospitis, participem velis. Nec ille forte limen horruerit, nec tibi pudori fuerit nostris studiis auxilium attulisse. Qua in re quod huic calamo defuerit, communis huius amici voce supplebitur. Vale

FRAN.

FRAN. PETRARCHA CROTO GRAMMATICO S. Epist. XIV.

De Ciceronis libro qui Tusculanarum quæstionum dicitur, & de illius viri laudibus.

QVam lætè audiam tam penetrabiles preces meas tuum limen attigisse, vt nullus ibi non dicam repulsæ, sed vel tenuis moræ obex illis occurrerit. Quàm iocunde Ciceronem tuum sub meo lare conspiciam, Cicero ipse vix exprimat. Fuit autem nescio an casu aliquo an iudicio certo (nihil est enim iam, quod non de ingenio tuo sperem) Ciceronianus ille codex, qui mihi in primis sententiam superioris epistolæ vel nouam parere, vel vetustam adamantinis clauis posset affigere. Etsi enim Hercules distãtissimarum lustrator pacatorque terrarum ne meam syluam leone, Erimanthi colles apro, Auentini montem incendiario latrone, Lernæamque paludẽ multicipite serpente purgauerit atque ob hæc & his similia beniuolentia liberatarum gentium, & famæ alis cæli, vt ferunt, summa conscenderit, plus tamen aliquanto est, quod in hoc ipso tam paruo quinque partici libri spatio Cicero noster egit. Id quæ sic esse perfacilè monstrabo. Prima equidem pars fugitu terrifico impendentem vbique mortalibus mortis metum interficit: secunda asperum atque vulnificum dolorem corporis domat. Tertia mẽtis ægritudinem cecis vaporibus æstuantem comprimit. Quarta venenosas atque multiplices animi passiones à stirpe conuellit: An cuiquam forte ideo leuiora hæc portenta videantur quam quæ famosũ Herculem fecêre, quod inuisibilia hæc, illorum forma terribilis? Mihi cõtra nil hoste, qui nocet, nec videtur, est grauius. Ad postremum quinta rationum scintillas quasi stellantia lumina explicat, quibus ostenditur ad beatam vitam virtus sola sufficere. Quæ mihi pars operis quid aliud q̃ Ciceroniani cæli instar fuerit, vbi mẽs illa syderea & excelsa tot errorũ monstris latè perdomitis conquiescat. Itaque gentile vulgus vt libet Herculem, ego Ciceronem nostrum eumque ipsum non vt deum, sed vt di-

uini ingenij virum miror ac veneror, non adoro, & supra fidem stupeo quorumdam nostri æui doctorum hominum capita, qui hunc nescio quibus magnis, nõ inficior, viris, sed nimis imparibus conferre solent: quanquam iudicij libertatem vt per alios mihi, sic per me aliis saluam velim ego, qui in animo gratiam scio, fixamque adeo, vt auelli nulla vi valeat, non si mihi Demosthenes ab inferis redeat, & in hoc vnum omnibus eloquentiæ suæ viribus accliuis atque intentus incumbat, non si omnes æmuli, qui clarissimum illud nomẽ inuidiæ suæ nebulis, & dum vixit, inuoluêre, & post fata tentarunt, eóque magis quò & tanti respõsoris aberat metus, & impij cruentíq; hostis fauor arserat, nec satiata ira nec morte liuor extinctus erat. Mihi ipsi potius imò equidem vero credam & famæ publicæ & magnis ac multis auctoribus, quos, nisi innumerabiles essent, numerare inciperẽ: sed attingam duos nõ Italicos, ne suspectum testimoniũ reddat amor originis, sed Hispanos, magnos illos quidem ac famosos viros & quò plus fidei dicto sit, inter se quidem hostes longeque discordes, qui qualiter sola Ciceronis in laude conueniant, nisi fallor neque absonum neque inpertinens est audire. Annæus Seneca vir ingens primo declamationum libro haud longe à principio: Quicquid habet inquit Romana facundia, quod insolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit: omnia studia quæ lumẽ Latinis literis attulerũt, cũ illo viro natasunt. Nec ita multo post: Omnes, inquit, magni nominis in eloquẽtia, excepto Cicerone, audisse mihi videor, nec Ciceronem mihi ætas eripuerat, sed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum peruagabatur orbem. Intra coloniam meam me continui, alioquin in illo atriolo, in quo duos grandes prætextatos ait declamare secum solitos, videre eum potui, & audire ingenium illud, quod solum populus Romanus par imperio suo habuit, & quod de multis dici solet, sed de illo solo dici debet, potui viuam vocem audire. At Quintilianus acutissimus anxióque doctissimus vir in libro oratoriarum institutionum post multa de Cicerone déque illius eloquentiæ principatu grauiter dicta concludens: Quare, ait, non immerito ab

omnibus

omnibus ætatis suæ regnare in iudiciis est: apud posteros verò id consecutus, vt Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiæ habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum, ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Hoc certe nouissimum si verum est, gaudeo hercle me quod alioquin sperare non auderem, aliquantulum profecisse. Sed iam nimium vagor. Hic itaque tuus Cicero Tusculanarū quæstionum titulo insignis, in quo illius pridem obruti consumptique oppidi nomen viuit, à prima mihi ætate familiarissimus fuit. Tu mihi eum nunc ad vnguem correctum & aliis Tullianis moni nentis, insuper & amicissimis ac lepidissimis tuis literis comitatum direxisti. Gratias ago, & institutæ tecum nuper amicitiæ quodam iure obsecro, vt ardentissimo voto meo, quod tibi iam vel ex literis meis vel ex viuis amici vocibus notum esse non dubito magis ac magis hac in parte te morigerum præstes. Vale. Mediolani, Cal. Decembris.

FRAN. PETRARCHA IOANNI DE CERTALLO, S. Epist. V.

Nullum Fortunæ iaculum ad arcem rationis ascendere.

EX multis epistolis, quas his temporibus tuas legi, vnū elicui, esse te turbato animo: quod miror, & indignor, & doleo. Quid enim oro, potest esse, quod tāto studio, tanta vel artis vel naturę calce fūdatum pectus quatiat? Legi Siracusas tuas & Dyonisiū intellexi. Sed quid ideo? quid si mors ingruat? si ærumna, si carcer, si exilium, si paupertas? hæc ferè sunt Fortunæ iacula: quid horum ad altissimam ac munitissimā arcē mentis ascendere quiuerit, nisi tu spōte hostibus claustra prodideris? quāquam, fateor, aliquanto leuius dicūtur ista, quā sunt, & docentur facilius, quam discuntur. Irasceris, vt reliqua sileā, quia te poëtam in literis meis voco. Mirū, poeta esse voluisti, vt poetæ nomen horreres, cum cōtra multi nomen hoc ipsum ambiant rei expertes. An forte quia nondū peneiā frōde redimitus sis, poëta esse nō potes? an si laurus nulla vsquam esset, Musæ omnes cōticescerēt? nec ad vmbram

pinus aut fagi texere carmen altisonum fas esset? Sed quia temporum magnis angustiis coarctor, de hoc tecum scrupulosius litigare non est animus. Tu videris, quem te dici velis: ego quem te habeam statutum semel est mihi. In illo tibi vtique, in hoc mihi morem gessero. Libros abs te mihi donatos habui, & quos remisisti itidem accepi. Quòd ad te literae, in quibus tibi gratias agebam, non venerint, mirarer, nisi quia talia multa quotidie patimur, & haec mihi querimonia iugis est. De reliquo adolescens hic mei amans, cui cupidus omnia viuis vocibus ad te perferendi suscepit, quem vbi audieris, scies non modo quid agam, sed quid cogitem quidque tibi cogitandum & agendum. Certè hospitem te opto. Mediolani XIII. Cal. Ianuarij.

FRA. PETRARCHA ANDREAE DANDVLO VENETORVM DVCI, S. Epist. XV.

Dehortatio à consiliis

Nil audies noui, nil insolitũ leges, sed illa tantũmodò, recognosces quib⁹ saepe aures tuas oculósq; lassaui. Meministi enim credo, clarissime Ducũ, ante hoc ferme triennium, cùm iam duos praestantissimos populos, ad arma terrifica Mars funestus induceret: prius tamen quàm mare ceruleum sanguine rubuisset, non mihi sed Italiae metuẽs, in qua fateor, mea quoque temporalis salus includitur, quàm longam, & quanti amoris, quantaeque sollicitudinis atque formidinis plenam epistolam ad te misi. Cuius etsi propter seipsam non meminisses, neque enim illam tanti facio, vt tali memoria digna sit, at saltem elegantissimae, grauissimaeque tuae responsionis, oblitus esse non potes. Cùm verò iam bis acie decertatum, iam Hellespõtiacum aequor atque Tyrrhenum, geminis cladibus nostris infectum, & iam simillimum veri esset, irarum flammas largo cruoris imbre lentescere, ab hoc nuper Italorum maximo, fidelis heu sed inefficax, tractator pacis, ad te, eiuésque tuos missus, quibus nec Dux vsquam consultior, nec gens vlla tranquillior

quanta

quanta præsens in consilio tui præsidis, quanta tecum solus in thalamo verba feci, puto propter vicinitatem adhuc, vt ita dixerim, in auribus tuis sonet. Nequicquam tamen: nam & procerum tuorum &, quod mirum in modum stupeo, pectus etiam tuum salubribus monitis precibúsque iustissimis belli feruor atque armorum fragor obstruxerunt, reliquiæque veterum irarum & recentis memoria rumórque victoriæ. Minime nouum id quidem: iracundia enim est vt ait Cicero, inimica consilio victoria autẽ natura insolens & superba est. Accesserat ab Aquilone quædã nouarum rerũ aura pertenuis, quæ licet aduersus id quod intendebã flaret perfeceritque quod timui (Pace sit dictum tua) tantam tamen aduertere grauitatem ac saniora dissipare consilia non debebat. Quousque enim miseri in iugulos patriæ & in publicam necem barbarica circunspiciemus auxilia: quousque, qui nos strangulent, pretio conducemus? dicam clara voce quod sentio, inter omnes mortalium errores, quorũ nullus est numerus: nihil insanius quam quod tanta diligentia tantóque dispendio Italici homines Italiæ cõducimus vastatores. Quæ tamen, O pietas, ô implacabilis dolor, qualis inter amantium ac colentium manus esset, cum tot iam seculis inter vastantium feras manus multum adhuc cunctis terræ regionibus antecellat? Quid in verbis moror? præsertim cum tibi notissima sint quæ loquor? Sensi ego tunc mæstus insidias fortunæ, & quam doctioribus nihil esse credideram, non modò esse aliquid didici, sed quodammodo in omni re dominari cum Salustio, & humanarum cum Cicerone rerum dominam & omnipotentem atque ineluctabilem coactus sum cum Virgilio confiteri: Itaque multis hinc inde verbis perditis, quàm spei plenus ad te veneram, tam mæroris, pudoris ac pauoris plenus abscessi. Sortem enim publicam lugebam, pudebátque me mei, quod tanto impar negotio delectatus, nec tantum præclaræ legationis vna pars, sed dignatione mittentis quamuis id ipsum sibi obnixius excusassem, princeps etiam ad loquendum & fortissimis illis atque doctissimis viris antepositus, qui me

longè virtutibus anteibant, fructum non rei optimæ, sed insufficientiæ meæ debitum reportarem. Tametsi quod mihi defuerat, militariter facundissimus collega, nisi me amor viri fallit, implesset disceptatione nouissima: sed aperire aures obseratas, & obstinatos animos mouere non nostri, nescio an vel Ciceroniani esset eloquij: magna quippe facundia est, vel potius nulla, quæ cogat inuitos. Quod ipse permetuens in ipso quidem folicitæ orationis initio (Ciceroniano enim vsus verbo) esse opus animo non repugnante testatus sum: tā frustra tamen, vt reliqua metuebam, sane quā nunc video, ne vestra illa durities belli maximi materia & immensi discriminis causa foret. Quæ si tam tibi cæterisque principibus Rerumpublicarum, quam mihi homini penitus otioso ac solitario displicerent, fœlix Italia iure suo cūctis nunc etiam Prouincijs imperaret, quæ prope iam serua est. Verùm quia magnus amor multum mihi præbet audaciæ, & quia dulcis spei reliquias inuitus obijcio. Iterum atque iterum retentabo omnia, téque de tam longinquo ducum prouidentissimè cōtestabor, si absens forte fœlicior, quàm præsens, calamóque potentior sim quàm lingua, aut si secunda primā vincat epistola. Nosti equidē vir optime, è cūctis rebus mortaliū nouissimè spē deponi, nec nisi cū vita extremóq; halitu, quāuis nec cū quoq;, deponitur, quin potius ad meliora cōuertitur & ad metā venit. Sed de mortaliū rebus loquor. Hoc igitur modo me refouet: in hac vna multis publicis malis fessus & magnis fortunæ minis éxterritus acquiesco. Viuere desinā si sperare desiero. Quid autē spērē, si me roges, Spero quod cupio, sanā mentē, consiliūq; maturius, & si nó forsan à ratione, at saltē ab experientia profectur ū. Nosti expertus, quid pax, quid bellū secū ferat: vidisti faciē vtrāq; fortunę: victi fuistis & vicistis quāuis, vt est mēs hominū indomita vincēdique percupida, primū forte negaueris Nō concedo vt viceritis sēper. Cōputa, quæso, quid tibi, quid Reipub. victoriis accesserit. Minus profectò auri, minus est sanguinis, & quod est pessimum est plus scelerum ac malorum. Quæ si victoribus accidunt, quid sperare debent victi? Incipe iam, precor, in hanc rem oculos aperire,
quos

quos vigilantissimos ac lynceos habes in cæteris, si damini quam lucri plus, si plus mali quam boni si plus flagitij quàm virtutis: imò equidē si virtutis, si boni, si lucri nihil in bello est: sed contrariorum infinita congeries, desine oro iam tandem, & tibi etiam cui ex parte Troianus est sanguis, ab illo duce Dardanio dictum puta:

Proiice tela manu sanguis meus,

Non patiaris vt Dux te. Venetorum ac Ligurum regna concurrant. Iam enim, vt vides suis in finibus non stat bellum. Nempe contagiosa res est, & quæ facile serpat in proximos, atque ita sensim vel longinqua complectitur, multa, quæ primùm immunia videbantur, torrentis in morem odiorum atque discriminum alluuione permiscēs. Putabas tibi cum Ianuensibus rē esse, quod ipsum flebile nimis ac miserum erat, ecce iam cum tota Liguguria bellum geris, &, quod inter hæc mala nō vltimum posuerim, ab hoc etiā tali viro tantóq; pacis amatore dissentis, cuius nescio an virtus, an fortuna mirabilior sit, an animus maior, an humanitas. Solet autē excellētibus viris esse familiaritas quædā & beneuolētiæ affectus licet incognitus, cōglutināte pares animos natura. Similitudo enim amicitias parit, cōmunis alit vtilitas. Atque ambo vos iusti, ambo prudentes, ambo magnanimi Quæ causa discordiæ? pax vtilis est ambobus, imo cūctis necessaria, nisi illis qui rapto viuūt, & exiguū sensū multo mercātur sanguine, immane genus hominū, si tamē homines sunt, quibus humani nihil est præter effigiem. Hi sunt qui infami stipendio calamitosam & miserā vitā trahunt. Iure igitur pacē, & in pace famē metuunt: bellū amant, & lupi velut ac vultures, strage hominum & cadaueribus delectantur. His-ne tu beluis morē geres? æquè carnē & cæsorum exuuias esuriunt, æquè sanguinem sitiunt, atque aurum. Noli, quæso, noli committere, vt florentissimam tuæ creditam custodiæ Rempub. atque omnem hāc quæ inter Apēninum & Alpes interiacet, opulentissimam atque pulcherrimam Italiæ partem externorum ac famiscentium prædam facies luporum, à quibus bene nos, quod in ore semper habeo, ipsarum iugis Alpium solers natura secreuerat. De nullo queri possumus no-

ſtra illis impatientia viam fecit. Dum leuia qualibet in noſtros vlciſcimur, paſſi ſumus vt alienigenæ noſtris impunè paſcantur ſaginentúrquè viſceribus: Ah! quanto melius inedia conſumentur & rabie, quod facient ſtatim, vt gregis Italici paſtores reſipiſcere cœperint. Paſtorũ prouidẽtia mors luporũ eſt. Id ſane te ante alios facere & feciſſe iã ſpero: niſi enim falsũ fama loquitur & ni ſi fallor, augurio, iã ſtomachari incipis, iã ſtipendiarij militis inſolẽtiam auaritiámq; faſtidis. Quid expectas igitur? ad cor redi, & ſi externi diſplicent, tuos ama. Si quid autẽ in animo forte rubiginis, ſi quid odij eſt amore patriæ & malorum communiũ commiſeratione deterge, nec tibi perſuadeas pereunte Italia Venetiã ſaluam fore. Eſt enim pars illius, & natura partis ea eſt vt ſequatur ſui totius vel ſubſiſtentiam vel ruinam. Hæc tecum ſæpe recogitans noli, Dux optime, rerũm ſummam in extremum adducere, vbi & vinci miſerũ eſt, & vincere ſceleratum, cóque ipſo miſerius eſt, quam vinci melius. In noſtros hoſtes, quibus vtinam careremus, quam in noſmetipſos hæc tela verterentur. Melius hæ diuitiæ vel neceſſariorum præſidia bellorum, vel pacis fuerint ornamenta, quàm voluntariæ inſtrumenta ſæuitiæ. Quantum potes accelera, quoniam præteritis ſuccurrere non licet, inſtantibus ſaltem malis occurre. Nec expectes, dum tota hæc impendens belli nubes in noſtrum caput detonuerit, & ſanguine proprio Italia omnis inundauerit, quando gemitui non iam conſilio locus erit. Expergiſcere tuóſque ciues excita, & publicum illis oſtende periculum. Hoc fac prius quàm cuncta depereant, priuſquam de Italia vel deſertum vel barbaries fiat. Caue ne, cùm natura te mitem pacificúmque genuerit, populúmque tuum omnem, cuius in immenſum cuncta fœlicitas non bellorum, ſed pacis & iuſtitiæ fundamentis innititur, de illorum grege videamini, qui (vt ait pſalmiſta) Cogitauerunt iniquitates in corde tota die, conſtituebant prælia. Ne forſan eiuſdem impietates in vos cadant, diſſipa gentes, quæ bella volunt. Nihil enim, vt arbitror, odioſius Deo eſt, quàm curare &

re & niti, vt cum ille te aliqua singularis dote virtutis ornauerit, tua sponte & voluptate quadam effera malus fias. Quamobrem etiam atque etiam hic insisto, clamo: Sequere non vulgi furorem, sed naturam tuam dexteram semper in partem & ad meliora quælibet te vocantem. Et si vulgaribus auris eò forte prolapsus es quò non oportuit, retrahe nunc etiam pedem ab incepto præcipiti, dum licet, dum nondum signis signa collata sunt, dum tonat adhuc necdum fulminat Mars horrendus, dum inter amaras & horribiles belli minas audiri potest dulcissimum pacis nomen, denique dum spes vna tam multis nondum consumpta terroribus vna velut magnis in tenebris lux apparet irreditura forte, si spernitur. Arripe illam, dum se exhibet, vt dicaris Italicæ pacis auctor, noménque tuum cùm multis & magnis rebus, tum hac præcipuè, gloriosum mittas ad posteros. Nil tibi suadeo, nisi quod tuum est, rationem sequi non impetum, & cauere ne impetu omnia in precipitium tecùm trahas. Cum enim id turpe omnibus, tum tibi turpissimum, & penitus alienum est: Iam quid hæ literæ profuerint, quid studia hæc artium honestarum quibus te præ cunctis ætatis nostræ ducibus abundantissimum fama prædicat, nec mentitur, si, cum meliora prouideris, deteriora secteris. Absit hoc ab animo tuo scelus & vt iam loquacioris quàm putabam epistolæ modus sit, oro, precor, obsecro, obtestor, atque adiuro te per virtutis amorem ac studium, quo nulli cedis, per patris charitatem, qua cunctos exuperas, postremò pér quinque Christi vulnera, quibus sacratissimus & innocentissimus sanguis fluxit, quo redempti sumus, vt si me bene, si piè, si fideliter locutum putas, mihi aures animúmque non neges, & si consilium placet, non contemnas auctorem. Alioquin omnia videns Deus Christus mihi, & præsens in omne æuum epistola testes sint, vt à Plutarcho philosopho aliquid sumam, túque sis hodie Traianus meus quòd in perniciem Italiæ non modo non pergis auctore Francisco, sed pro viribus reluctante, téque quando aliud nequit, alto suspi-

rio & marginis animi genitibus reuocante. Vale. Mediolani V. Cal. Iunij. M.CCC,LIV.



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILiaribus,

LIBER X.

FRAN. PETRARCHA CAROLO QVARTO Epist. I.

Gratulatio seri licet aduentus.



ET gaudium ingens verba præcidere solitum, quidni autem est vbi spiritū abrumpat: idē ego in tuâ totiens exhortatione multiloquiis en vt, in gratulatione perbreuis sum. Quid enim dicam? vnde ordiar? vacuasti cor meum multis angoribus, atque implesti gaudio, quódque ait psalmista, adimplesti me lætitia cū vultu tuo, & sola iam fama tui nominis adimpletum est. Quid vultus ergo Cæsareus, quid augusta frons faciet? Longanimitatem inter expectationes ac patientiam exoptabam: Ecce optare incipio, vt tātæ fœlicitatis capax tantóque gaudio par sim. Iam mihi nō Bohemię, sed mundi rex, iam Romanus Imperator, iam verus es Cæsar. Inuenies, ne dubita, quæ tibi pollici-

pollicitus sum, parata omnia: diadema, Imperium, immortalem gloriam, apertúmque cœli aditum, & ad summam, quicquid optare aut sperare datum homini. Nunc te excitasse qualibetcunque sermunculis glorior atque exulto: Iam iuga Alpium transcendenti occurro animis haud equidem solus infinita mecum acies, quin ipsa nostrum omnium publica mater Italia, & Italiæ caput Roma, tibi obuiæ altis vocibus Virgilianum illud exclamant:

Venisti tandem tuaque expectata parenti Vicit iter durũ pietas.

Neque vero Germaniæ obtentu hanc fastidias, aut repellas matrem, cum qua & vitæ primordia egisti, &, si summum decus amas, extrema exiges. Nos te, Cæsar, vt ab initio dicebam, vbicunque ortum Italicum arbitramur. Neque verò magni interest, vbi sis natus, sed ad quid. Viue & vale, Cæsar, & propera.

FRAN. PETRARCHA ARNOBIO FLORENTINO, S. Epist. II.

Hyems frigidissima describitur.

TEmpus breue, magnum scribēdi desiderium angustat, & ardorem animi prægelidus aër frenat, sine exemplo annus est, & bruma horrida, vulgò iam penè in miraculum, atque vt dici solet in religionem vertitur. O trãquilla Parthenope, & magnis ingeniis laudata Campania, vestrum est quod ait Maro:

Ver perpetuum, atque alienis mensibus æstas.

At profectò non talis ipsa loquẽtis mater, glacialis Mantua, & importunis frigoribus oppressa, niuósisq; alpium & Apennini iugis obsessa Liguria, quanquam præsens annus, qui nouitate sui attonitos etiam senes habet, nescio an aliquid causæ secretioris offenderit, quòd scilicet Germaniæ finibus veniens nouus Cæsar cœlo nostro suũ fortè frigus inuexerit, cuius is rigor est, vt ipsos quoque Germanos in stuporem cogat. Certè ego nudiustertius Mantuæ, quò ad ipsum Cæsarem, multum rogatus accesseram, in familiari colloquio quo princeps ille mitissimus, lingua & moribus non minus Italicus, quàm Germanus, me nunquam antè hac, præter quam in lite-

tis visum, sæpe dignatur, sic eum dicentem audiui: Vix se vnquam tale aliquid in Germania sensisse. Cui ego respondi. Forte coelitus actum esse ne nubes Teuthonicus subitam cœli mutationem, & Italicam temperiem non exhorreret: Mitto autem hæc, hyems zephyris cedet, æstas aquilonibus omnia senectuti. Veniet dies, quæ diebus omnibus, metam ponat: & hanc temporum varietatem stabilis concludet æternitas. Natura suum opus, nostra interim nos agamus. Equidem non me gelu, quodcunque Ripheis montibus Meoticisque paludibus adiacet, retardasset. Multa scribere cupiebam, si literas tuas in tempore recepissem, sed dum iste vir clarus, & nobis charus huc attigit Mediolanum, aberam vt dixi, reuersus & tuas ornatissimas quatuor epistolas quibus totidem meis sero licet, abunde tamen satisfactum fateor, & latorem abitum meditantem reperi. Superuacuum visum est, inchoare quod perficere non erat, reliqua igitur futuri diem, qui longior forte dabitur, atque tranquillior, in hoc breui & turbido nil aliud dixerim, nisi nil penitus tuarum ad me literarũ hoc biennio peruenisse, quod mirari te non miror, atque etiã indignari. Literæ nostræ medio viarũ suos raptores inueniunt, sed ferẽdum quod mutari non potest. Quid autẽ scimus? Multos forsitan amice studiis nostris accendimus, multis gloriæ stimulos fortassis incussimus, siue pergant quà cœperunt siue nobis displiceant, labores & epistolas nostras detineant & auertant, modò nos ament, & quas rapiunt mirentur. Scripta torpentibus digitis sexto Cal. Ianuarij ante lucem. Vale.

FRAN. PETRARCHA LÆLIO SVO. S. P. D. Epist. III.

Vt falsam non quærendam, sic veram gloriam non spernendam.

CRedulum amorem, ait Naso: nec fallitur vtramvis in partem experientia testis adest. Quam facilis enim & quam prona est charitas amicorũ ad amplissimas spes opinionésque, clarissime: aut quid tam magnificum fingi potest; quod de amato non facile credat amans?

Credo

Credo ego labores Herculeos nulli magis creditos, quã Philocteti: credo famã victæ Carthaginis nulli profundius hæsuram fuisse quam Lælio. Patulæ sunt aures amicorum, omnia ante omnes excipiunt. Magna fides amicitiæ, omnia statim credit, nec credidisse contenta est, nisi de proprio aliquid auditis addiderit. Contra autem comes amoris zelus ardens quam præceps est ad credendum omne quod displiceret: non rebus tantum, sed vmbris etiam terretur ac somniis. Sed ad piam illam amicitiæ credulitatem redeo, de qua mihi nunc sermo est. Equidem quantum ingenio assequor, Romæ olim duo fuerunt Lælij, Scipionibus amicum nomen: ille auum coluit, hic nepotem, ille tributariam vidit Carthaginem, hic euersam. Certè & mihi Lælius meus est, quem tot seculis interiectis vrbs eadem senex nondum sterilis genuit. Miraris, sed etiã fallit amor. Credidisti perfacile, mi Læli, quod de me tibi ab obuio quodam forte narratum est, nec, quanta narranti fides esset, exegisti. Quis enim tã sobrius, ne dicam durus, vt quod multum delectat, libenter abiiciat, cum præsertim delectatio honesta sit, & amicitiæ velo non modo error excusabilis, sed laudandus. Credidisti igitur nescio cui vix suspicari ausim, famã, etsi sæpissime mendax sit, id nunc publicè fuisse mentitam, me scilicet ad Italicam pacem nouo cum Cæsare sanciendam singulariter præelectum feliciter rebus actis & pace Reipub. quæsita & magna cum gloria remeasse. Nolo erres, aut inanem voluptatem ex errore percipias: non ita est, amice. Neque enim vnum caput res tanta poscebat: primi procerum missi sunt. Si enim Argiuos delectos viros ad petendam pellem auratam, & forsitan fabulosam arietis olim missos legimus, nonnne multo nunc delectiores Italos mitti dignum erat ad verè auream procurandam pacem? Illi equidem parua spe magno & procelloso mari Colchon barbaricam petiere, vbi regnabat incognitus Rex Athes: Isti Mantuam, quò iam Cæsar peruenerat latè notus, magno & prorsus incomparabili præmio illecti atque exiguo & plano calle non peterent: fuerunt itaque,

quod res docuit, felicibus ac lætis auspiciis, & vt Graij magam veneficámque famosissimam, sic nostri dulce bonum Patriæ reportarunt. Quorum tamen ex numero non fui: nemo tibi mendacio blandiatur. Quamuis autem tãto negotio longè impar, iudicio tamẽ benigniore mittentium gloriosum laborem effugere nequiuissem, nisi publicis votis priuatæ quædam obstitissent causæ, quas nunc siluisse præstiterit. Ne verò forsan his dictis omnis gloriæ contẽptorem putes, sed intelligas me, vt falsam respuere, sic veram gloriam non horrere: dicam quid multis diebus post profectionem legatorum nostrorum & prope iam omnibus ibi conuentis ac firmatis acciderit. Cæsari enim interea mei desiderium incessit, & cuius animum, mores, ac studia nouerat, optauit & faciem videre. Iam hiems miris modis indurueret, misit tamen nec occupationibus meis parcens, nec labori, & misit nuntium solennem, quique Regibus imperat, me rogauit vt ad se pergere festinarem, ei insuper preces misit, cui nil negaturum me putabat: nec errabat. Quid vis? Illo vocante, atque hoc vrgente proficiscor. Nec vnquam aliàs euidentius intellexi, quid est quod ait Augustinus, Italicum glaciale solum. Ad III. idus Decembris hinc moui: neque tam terreum, quàm adamantinum atque chalibeum iter erat, & glaciei metus non nisi niuis solatio leuabatur. quæ ipsa etiam præter morem nescio quid horrificum habebat: captabamus tamen omni studio, vbi nequicquam armati in glaciem equorum pedes vtcunque consisterent, ¶ & ruinæ patior assiduus viæ laborẽ fecerat non sentiri. Ad hæc & brumę & algori nebula, qualis in memoriam hominum non est & cœlo inimici terrarum vastitas accesserat, & solitudo horrida, qualem non Musis & Apollini, sed Marti conuenire diceres ac Bellonæ, stratæ passim domus. habitator nullus, fumosáque tecta villarum, & dumosa noualia. & hinc illinc erumpentes è latebris armati, quanquam sine noxa, vt qui nostri essent, non tamen sine horrore quodã præsentis adhuc belli vestigia præferebant. Sed veteri fato meo mos gerendus fuit, intérque difficultates & pericula incedendum. Mediolano autem digressus quarta luce,

imò

imò verò quartis seu certè continuis tenebris Mantuam veni, vbi ab illo nostrorum Cæsarum successore plusquam familiaritate Cæsarea & plusquam imperatoria lenitate susceptus sum, & vt communia prætermittam, aliquando soli ambo ab initio primæ facis ad noctis silentium intempestæ colloquendo & confabulando peruenimus. In summa, nihil illius principis maiestate suauius, nihil humanius. Hoc vnum scito, de reliquis quoniam vt ait Satyricus:

Fronti nulla fides est,

Nondum diffinitiuè pronuntio. Expectabimus quantúsque sit Cæsar non verba non vuultum, ne fallamur, sed actus hominis atque exitum consulemus. Quod ipse sibi non tacui. Dum enim ad id forte mecum sermo Cæsareus descendisset, vt aliqua sibi de opusculis meis exposceret, atque in primis librum, cui De viris illustribus nomen dedi, illum impletum esse respondi, & temporis atque otij egentem, dúmque ille pacisci vellet in posterum occurri libertate illa mea, qua cum maioribus magis vti propositum est, quam mihi quidem contulit natura, auxit verò vicina iam senectus, in immensum auctura cum venerit, & ita, inquam, id tibi promissum credito, si tibi virtus affuerit, vita mihi. Mirantique & dicti causam requirenti Quod ad me, inquam, attinet tanto operi iustum iure spatium debetur. Ægrè enim magna in angustiis explicantur: Quod autem, ad te, Cæsar, ita demum hoc te munere & eius libri titulo dignum scito, si non fulgore nominis tantum, aut inani diademate, sed rebus gestis & virtute animi illustribus te te viris ascripseris, & sic vixeris, vt cum veteres legeris, tu legaris à posteris. Quod dictum serenis oculorum radiis & Augustæ frontis læto probauit assensu. Itaque peropportunum aggredi visum est, quod iamdudum facere meditabar. Sumpta igitur ex verbis occasione, aliquot sibi aureas argenteásque nostrorum principum effigies minutissimis ac veteribus literis inscriptas, quas in deliciis habebã, dono dedi, in quies & Augusti Cæsaris vultus erat pene spirans, &

ecce, inquam, Cæsar, quibus successisti, ecce quos imitari studeas & mirari, ad quorum formulam atque imaginem te componas, quos præter te vnum nulli hominum daturus eram: tua me mouit auctoritas: Licet enim horum mores & nomina, horum ego res gestas norim, tuum est non modò nosse, sed sequi: tibi itaque debebantur. Sub hoc singulorum vitæ summam multa breuitate perstringens, quos potui ad virtutem atque ad imitandi studium aculeos verbis immiscui, quibus ille vehementer exhilaratus, nec vllum gratius accepisse munusculum visus est. Quid te in singulis morer? Multa ibi mecum, quæ sileo: vnum quod, vt puto, miraberis, non silebo. A die ortus vsque ad hanc ætatem totam vitæ meæ fabulam dicam an historiam ex ordine voluit audire (quamuis ego longam nimis materiam testarer) & ita me diuticule loquentem animo atque auribus intentus audiuit, vt sicubi vel obliuione vel breuitatis studio aliquid præterirem, protinus ille suppleret ac sæpe me melius ipse res meas nosset, quarum fumum (stupeo) vsque trans Alpes nescio quis flatus inpegerat oculósque compleuerat intuendis mundi defectibus occupatos: denique dum ad hoc tempus narratio peruenisset, conticuissémque parumper, ille me de sequentis vitæ propositione percontatus: Fare, inquit, de futuro, quid cogitas? quém-ue tibi finem mente constituis? Intentio, inquam, Cæsar, optima est, quamuis adhuc actus meos ad limam expolire nequiuerim. Præteriti enim temporis consuetudo violenta & præsenti intentione potentior cor aduersus recens propositum, quasi contra nouum ventum aliis flatibus impulsum mare, præcipitat. Ad hæc ille: Credo sic esse, inquit, vt dicis, sed aliud percontabar, quænam tibi vitæ semita placeret? Ego autem incunctanter & intrepidè, Solitariæ, inquam, qua nulla tutior, nulla tranquillior, nulla denique fœlicior vita est, quæ, iudice me, cui quoque gloriam principatus fastigiúmque transcendit. Illam ego, si dabitur in sede sua, hoc est, in syluis ac montibus
quod

quod sæpe iam feci: alioquin quantum possibile fuerit, vt nunc facio ipsis in vrbibus consectabor. Hic ille subrisit, & sciebam, inquit, sciensque ad hanc te confessionem pedetentim interrogando perduxi, vbi tuum, quod in multis probo, iudicium reprobarem. Sic inter nos ingens disputatio est exorta, sæpe me interpellante: Vide Cæsar, quò progrederis mecum, non æquo quidem Marte contendis, qui in hac quæstione non tantum, sed syllogismis armatus Chrysippus ipse succumberet: Diu enim nil aliud cogitaui plenúmque caput rationibus & exemplis habeo. Magistra rerum experientia mecum sentit, ineptum & indocile vulgus aduersum est. Noli secum partes facere: vincam te, Cæsar, sub quocunque iusto licet vrbano iudicio, quippe qui hoc ipso tam plenus sim, vt de parte vel exigua libellum vnum nuper ediderim. Intercepit ille promptissimè, & hoc ipsum scio, inquit, etsi vnquam ad manus meas liber ille peruenerit, ignibus eum tradam. Prouidebo, inquam, Cæsar, ne perueniat: Ita longis iocosisque sermonibus protracta altercatio est, vt fatear ex omnibus, quos oppugnatores solitariæ vitæ sum expertus, nullum audisse contra id vitæ genus efficaciùs disputantem. Finis is fuit, vt si dicere Cæsarem aut credere victum licet, verbis & ratione nisi fallor victus, opinione autem sua non modò inuictus, sed etiam palam victor hoc vltimum precaretur, vt secum Romam peterem. Hanc enim fuisse primam causam me quietis auidum tam aduerso tempore fatigandi. Optare se tantam vrbem nō suis modò, sed meis vt ita dicam oculis videre: egere etiam se mei præsentia in quibusdam Tusciæ vrbibus, de quibus ita locutus est, vt Italicum hominem & Italicum credere posses ingenium. Quod etsi mihi admodum placeret (pergrata enim duo nomina Roma, & Cæsar, ita conuenirent, vt nil animo meo dulcius quàm cum Cæsare Romam ire) multis tamen ex causis partim iustis, partim necessariis negaui vnde noua iterum lis exarsit, quæ in multos dies producta finiri vsque ad supremum vale non potuit, quando Mediolano scilicet abeuntem vltra Placentiæ muros

ad quintum lapidem prosecutus vix ab ipso tandem multa verborum colluctatione diuulsus sum. Quo tempore Tusci multis ex comitatu Cæsareo graue verbum & liberum insonuit, qui me manu tenens oculis in illum versus, Ecce, inquit, Imperator, de quo sæpe tibi dixeram, qui si quid laude dignum gesseris, nomen tuum tacitum non sinet; alioquin & loqui didicit & tacere. Redeo autem ad inceptum. Non igitur oblatam gloriam fugio, quod inuisa sit, sed quod veritas cunctis rebus amicior. Non sequester pacis ego, sed amator fui, neque petitor, sed hortator & laudator, neque principio eius interfui, sed fini. Cum enim in conclusione tractatuum publicis monimentis pacis firmitas fundaretur, interesse me Cæsar & fortuna voluit. Profectò autem in hoc genere nulli Italo plus tributum scio, vocari & rogari à Cæsare, iocari & disputare cum Cæsare. Platoni quidem sapientiæ antistiti, vt Plinius ait, Dionysius tyrannus vittatam nauem misit obuiam, ipse quadrigis albis egredientem in litore excepit. Hæc vt magnifica referuntur, in gloriam Platonis, vide nunc, amantissime Læli, quò tendam, & vt nullam oblatam veræ gloriæ materiam prætermittam. Quid verò non ausurus sim, qui Platoni me conferre non verear? Sed absit, vt me illi conferam, cui maximorum hominum, & in primis Tullij Augustinique iudicio nec Aristoteles conferendus sit. Non ingeniorum, sed euentuum ista collatio est. Ille Platoni à Syracusia forsitàn arce prospecto per aliquantulum freti spatium vittatam nauem misit obuiam: iste autem generosum ac militarem & strenuum quendam virum aliquot dierum spatio onustum precibus ad me misit. Ille vltro venientem excepit: orant hic etiam vt venirem. Confer modò singula & armato militi vittatam nauem & Cæsareæ lenitati Dionysij quadrigas, postremò Romano principi Syculum tyrannum, credo, fateberis meritò Platonem præcellere, me fortuna. Sed iam satis gloriæ ludendo captamus, quod

ipsum

ipsum leuitatis vitio non careret, nisi ita tecum loqueret, vt mecum epistolam, quam ad Cæsarem ipsum tuis me de rebus scribere voluisti, qua comitatus illum fidentius atque familiarius adeas, cum hac simul accipies. Vtraque tibi Pisis occurret, vbi tu occursurus es principi. Illa quidem, vt spero, sed multò maxime tua virtus, & nostrorum herorum recordatio Cæsareum tibi limen aperiet. Vale.

FRAN. PETRARCHA CAROLO QVARTO IMP. S. Epist. IV.

Commendatio Lælij sui.

VIde quantum mihi spei, quantum-ve animi præstat humanitas tua, Cæsar, vt non me tantum, quod feci semper & facio & dum taciturnior appareo, tunc altius clamo, sed alios quoque clementiæ tuæ commendare ausim: quanquam, si verè & propriè loqui velim, non sit alter, quem mea tibi nunc deuotio recommendat, nisi forsan, vt dici solet, alter ego. Hic vir, O maxime Cæsar, qui ad pedes tuos cum literis meis venit, Romanus est ciuis & sanguine nobilis & virtute nobilior, cuius in laudibus multus essem (nam copiosa & larga materia est de prudentia, de fide, de industria, de facundia, de circumspectione multiplici, cæterisque virtutibus hominis huius loqui) nisi quia totum tibi, sapientissime principum, atque extimationi tuæ committendum credidi, qui eum, in quo stilus hic forte succumberet, metieris eximiè, si respicere ac nosse dignaberis profundo & infallibili tuo diuinæ mentis intuitu. Tuo igitur virum hunc arbitrio estimabis. Si qua mihi apud te, Cæsar inuictissime, fides est, scito virum bonum esse, multisque vel naturæ vel studij dotibus ornatum, & vt dicam breuiter, virum per se ipsum, nisi forte me amor fallit, gratia & beneuolentia dignum tua. Accedit quod & sacri imperij tuique nominis deuotissimus semper

fuit & apprimè fidelibus tuis charus. Si quidem magnanimus olim vir & memorabilis Stephanus de Columna, cuius erga gloriosissimum auum tuum Romanum Imperatorem fides toto orbe notissima est, & qui diem tuum téque, quem non aliter quàm Christum Simeon expectabat, videre senio victus & præuentus morte, non potuit. Hunc dilexit vt filium, tota eius generosa familia hunc vt fratrem Germanum semper amore complexa est. Ioannes de Columna illius Stephani magni nepos, nobilissimus ac fortissimus adolescens, sed infausti exitus & vitæ nimium breuis, quem quanti faceres, si aliunde nescirem, ex eo didici quod ante hoc ferme septennium, cum te primum diuina prouidentia ad Romanum Imperium euexisset, túque ad Romanam curiam, qui deserto Thiberi nunc Rodanum colit, eo tempore venisses, vbi tunc tibi licet incognitus degebam: vidi in publico maiestatem tuam illius humeris familiariter infixam stringentémque piis colla complexibus: ille hunc coluit vt parentem. Quid multa? omnes huius fidei vnanimiter incumbebant: singuli certatim hunc amabant: hic omnibus obsequebatur, Omnium norat arcanum: cum illis infantiam, cum illis pueritiam atque adolescentiam suam egit, cum eisdem iuuentæ florem, cum quibus senescere tandem moríque decreuerat, fecissétque, nisi clarissimam & deuotissimam tibi stirpem festinata mors totam, heu! breui tempore rapuisset. Illos omnes, qui, dum in terris agerent, tui erant & nunc non minus (vt auguror) vbicunque habitent, tui sunt tibíque feliciem ac longæuam vitam & votiui imperij successum rogant, ante pedes tuos conuenisse cogita, téque magna fiducia precati, vt hominem hunc, qui suus fuerit, tuum velis, addéque & Romano Pontifici Clementi, qui te ante alios paternè & quem tu filialiter dilexisti, hic familiariter charus fuit, & Francorum Regi, quem vicissim tibi sanguis amórque conciliat; & Pettuensi Episcopo, qui generis animique fulgoribus Romanæ cardinem illustrat Ecclesiæ, quémque

que sacerdotio patrem, suauitate germanum habes, æquè familiariter charus est. Quis verò nunc inter tot tam fulgida nomina nomini locus est meo? Et tamen vide, quantum fiduciæ fides parit, audebo me noctuam aquilis, talpam lyncibus miscere, & affusus orare, vt hunc, quem & virtus propria, & tantorum charitas commendat, notum primò, deinde, si merebitur, charum habeas. Nomen viro Lælius qui apud veteres, vt Cicero ait, & sapiens & amicitiæ gloria excellēs fuit. Hic apud nos vtrumque præconium est adeptus. Ille Scipionem huic amicum: ego non sum Scipio, sed amicus sum & pro amico supplex apud Dominum intercedo. Vale Cæsar, & viue, & vince, & impera, nostri memor. Mediolani V. Calen. Martias.

FRAN. PETRARCHA MODIO PARMENSI, S. Epist. V.

Euocatio in partem studiorum

SCripsit adolescens noster, tibi nescio quid, imò verò nescio quibus verbis aut qualiter. Quid autem scio: scripsit autem non vt precibus te grauaret, sed vt animum exploraret tuum, quàm pronus esset ad conuictum nostrum. Cæterùm quæ ex illo audisti, quo dubij nihil, ætas infirmior, & ad optata consequendum præceps pariat, ex me forsan cupis audire. Accipe igitur, & ex paucis multa comprehendēs, hoc velut socialium pactorum chirographum habeto. Cupio equidem te, non ignarus magnorū tibi, ac prępotentum hominum aulas patêre, sed ita mihi persuasi, meliùs tibi futurum nostra cum paupertate, quàm cum illorū diuitiis, si bene animū tuū noui. Dulcior est enim honesta paupertas cum amico, quàm sub domino diuitię ingentes, præsertim libertatis, quietis, & frugalitatis auido, qualem te si natura non fecisset, vt augurot studium fecit. Neue paupertatis nomen suspectum sit, scito vt nihil sordidi, nullū mœstæ indigentiæ locū esse, sic sollicitas, & graues huic abesse diuitias. Comparatio

sola est, quæ vulgo diuitias & pauperiem facit, quemlibet ex his querulis, qui perpetuis sortem suam inutilibúsque conuitiis ac lamentis exagitãt. Amiclæ illi Cæsareo comparatum diuitem extimabis, quemlibet ex his beatis, qui non suis bonis auro, purpuráque superbiunt. si Marco Crasso illi diuiti, aut Lydorum regi Crœso admoueas, pauper erit. Sanè verum diuitem non vulgaris opinio, sed solus animus facit. Hunc tu qualem afferas ipse videris, hic tibi rerum optima præstò sunt, mediocritas & libertas. Non ego te ad seruitium, sed amicitiam voco, aut nunquam pariter, ac nusquam, aut nunc mecum. si vocanti obsequeris, liber eris. Si quæris igitur ad quid te vocem, iam respondi. Ad amicitiam, ad conuictum. Ac ne torporem vocari metuas, agere aliquid te volo, ita tamen vt actionis modus, ex arbitrio tuo pendeat, an incipere, quorsumúe progredi libeat. Nemo te calcaribus aut clamoribus vrgebit, nemo tibi frena substringet, ipse vitæ tuæ cursum, regémque moderabere. Hunc ipsum adolescentem, si se dignum exhibuerit, meliorem & doctiorem facies. Aut enim ex te discet, aut ex nemine, te ab infantia mirari didicit, téque ante alios amare. Multum verò doctrinæ conferunt, familiaritas, amor, admiratio. Adhæc & nugarũ aliquid mearum, non nisi quantum libuerit. & si libuerit scribes, tuum erit iudicium an dignæ sint quæ tuum, rebus propriis, nõ otiosum, calamum fatigent. In studij mei partem veni, mea mihi magis probabuntur, si tuo scripta sint digito. Sperabo siquid mihi, vel obliuione, vel incuria sit elapsum, subterfugere manus tuas. ingeniúmque non posse. Pro his tibi non montes auri, non purpureas togas, non marmorea atque ebore & hebeno crustata palatia, sed quæ tibi gratiora conijcio? Victum non inopem, sed modestum, & philosophico non audeo parem dicere, sed proximum. Otium præterea, solitudinẽ, libertatémque polliceor, mirum quàm præstare mihi ipse nõ possum, hanc tibi spondeo. Sed sæpe pallens Medicus, saluté alteri tribuit, quam non habet. Ego quidem importunæ, & inutilis, & molestę famę cõpedibus, sonitúque nominis ac fulgore

gore superuacuo, verúmque vt ingenuè fatear indigno, nec liber esse possum, nec latere. Tibi in terra aliena, donec saltem nosci cœperis, & otium, & libertas, & latebræ iucundissimæ non deerunt. Hæc sunt quæ in præsens sese offerunt, aduentus tui præmia. Vellem addere posse, aliquam te fortè dulcedinem in scribendo ex nostrorum studiorum participatione sumpturum. Sed & de hoc videris. Vnum tibi præterea, quod non in vltimis, licet, in vltima parte epistolæ posuerim, erit vicinus Ambrosius. Vale. Mediolani. Cal. Maiis. Propere.

FRAN. PETRARCHA FRANCISCO SANCTORVM APOSTOLORVM, S. Epist. VI.

Commendatio amici Romipetæ.

HIc, quem cernis, homuntio Christo deuotus mundi rerúmque fugacium spretor ingens, & cupidissimus æternarum: idem (perexigua tantæ laudis accessio, sed quam tuus amor faciet esse permaximam) mihi quoque charissimus, Romam petit. Sic eum aspicies vt meæ bonæ animæ vector est. Noui hominem, in eisdem castris militauimus, nec dũ exauctorati sumus duce quamuis extincto. Si consilio tuo eget ad peregrinationis piæ compendium, si fauore aliquo, puto non es orandus vt faueas, oro tamen nam quid Christo cui seruis, quid apostolis eius hospitibus tuis acceptius potes, quam si Christi amicissimũ hunc virũ cupide dimissis frementis aulæ fragoribus ad illorum quietissima limina gradientem iuueris atque direxeris? de me, si quid explorare libuerit (libebit autem plurima) & si diuersitas studiorum nosse hunc omnia non sinat, tamen quod ad intimum vitæ meæ modum pertinet, fortasse aliqua quod ad extimum pene cuncta narabit. Hoc tibi raptim scripsi in extremo angulo Mediolani Ambrosianæ domus, in parte remotissima ea luce eaque lucis hora, qua mũdo tenebris presso cæcísque mortalibus de terra olim viua lux orta est. Vale nostri memor

FRAN. PETRARCHA FRANCISCO SANCTORVM APOSTOLORVM Epist. VII.

Pro eodem Romipeta gratiarum actio.

SEcus accidit mihi, quàm Manlio pictori, qui cum venustas imagines manu sua pictas, turpes autem filios haberet interrogatus, quid ita melius pingeret, quam fingeret? lepidè quæstioni festinum reddidit responsum: quia in tenebris fingo, inquit: luce autem pingo. Contra ego quæ in tenebris animi manibus fingo & cogito, vel formosiora vel minus certè deformia sunt, quàm quæ luce media his digitulis pingo: non quòd per se ipsam mihi lux noceat, quæ non nisi vel lippis, vel maleficis odiosa est, sed quia innusis occupationibus viam pandit, quas amica & silens arcet opacitas. Quid te morer? cum ad te multa per noctem memori animo dictassem, luce reuersa calamo exarare vix quicquam fuit. Tot ianua personat ictibus tot vndique diurnarum acies curarum, tot amicorum preces, tot seruorum lamenta circumstrepût. Piger iste multis mihi ventis ôtior Bootes tam rapido flexu his etiam noctibus plaustra rotat algentia. Noctem curarum nutricem maximam ait Naso: mihi lux curarum difficilium ac tristium parens est nox silentij & quietis, & miraris quod paucis placeo, cui cum paucis conuenit, cui omnia fere aliter videntur ac vulgo, à quo semper quod longissimè abest, id penitus rectum iter censeo. Sed ne omne nocturnos conceptus diei malitia coegerit abortire, hoc vnum scies epistolam tuam patri sororibúsque persimilem ad me peruenisse, qua suauius nihil, nihil amicius. Sensi ex ea quod olim didiceram expertus qualiter me visurus sis, qui Romipetam meũ ita videris, quẽ ne sequar, vt ipse tibi spem dederat, Ligustici motus impediunt. Expectabo an vere tranquillior sit autumnus. Procellosum sane sydus hæc loca despicit, aduersus quod remedij genus optimum fuga est. Heu! quid dixi? quò enim extra Fortunæ tonitrua patet fuga? Vnum ergo consilium est mihi, vt pacem, quam frustra quæsiuimus extra, quæramus in intimis animo

nimiæ latebris, & quam mundus non habet, petamus à Domino. Vale nostri memor.

FRAN. PETRARCHA GVIDONI SEPTEM ARCHIDIACONO IANVENSI S. Epist. IX.

Gloriatur Archidiaconus in epistolis Petrarchæ poni.

QVod tam magni æstimas nomen tuum in epistolis meis poni facis & reliqua. Non enim id meriti mei, sed indulgentiæ tuæ est. Neque ideo me ingeniosum arbitror, sed te amicum. Seneca Lucilio suo scribens, quod libros, inquit, meos mitti desideras, non magis ideo me disertum puto, quàm formosum putarē, si imaginem meam peteres. Eleganter id quidem: Quis est enim, qui non deformis amici quàm formosi hostis malit imaginē? Non enim quod æstimat, sed quo æstimat metitur. hoc est, non rebus trahitur sed affectu. Tu quoque nunc sic in epistolis meis, sicut & in memoria locum quæris nec attendis quale sit hospitium vbi habites, sed quid hospes. Et profectò nimis ambitiosus est, qui non libentius vel proprium vel pauperis amici limen, quod ignoti regis atrium ingreditur. Cernis vt cupidè tugurium suum pastor, nidum volucris, cuniculos feræ, stabula greges petant,

Vtque ipsæ memores redeant in septa capellæ,

Quod ait Maro, quærentes non pulchriora sed propria, vt quem non homini tantùm, sed cunctis animantibus insitum videmus, naturæ non dubitemus instinctum esse quæ sequeris vt scilicet non doctorum magis hominum, quàm amicorum scriptis tuum nomen insertum velit, cuius te voti compotem & feci, & si vita comes erit, faciam præfatus tibi, quod hospiti olim suo Rex Euander qui cùm inopem in aulam inuitaret Æneam magnum ibi hospitem alium iam fuisse commemorat. *Hæc*, inquit, *Limina victor Alcides subiit hæc illum regia cepit.* Quasi diceret, Ne despicias paupertatem nostram, neque dedigneris habitaculum quod dignatus est Hercules. Ego idem tibi amicisque aliis, vt omnes modo tecum alloquar, quorum nomina scriptis inserui. Testatus sum, parcite, & æquanimiter forte precor, si non par gloriæ

nostrae locus est vbi vos includo, neque sordes egestatémque sermonis meis horreas aures oculíque vestri. Esse quidem, quod nemo ambigit, nobiliori in parte meremini, ac non meritum vestrum, imò facultas aestimetur mea. Non vbi decet, sed vbi possum, vos excipio. Amor amplissimus, domus angusta est. Si Cicero essem, locarem vos in Ciceronis epistolis: nunc vos in meis loco, in alienis neque si velim queo, & scio vos non hospitis claritatem sed amicitiam aestimare. Denique vt obscuritatem loci contractus splendore solem ni ibi vos pono, vbi Duces, vbi Reges, vbi Caesares vbi Pontifices, postremo quod his, me iudice, maius est, vbi Philosophos ac Poëtas, & quod maximum, vbi viros bonos posui.

FRAN. PETRARCHA GVIDONI SEPTEM. S. Epist. IX.

De rumoribus Italicis nominatim de Venetorum Duce per suam Rempublicam obtruncato.

RVmores Italicos, quotidie nisi fallor ad satietatem audis, qui vel vtinam rariores essent vel minus immites. Nunc crebri, vehementésque sunt, & sonori adeò, vt non tantùm in Galliis vicina regione, sed apud Indos, atque Arabes audiri queant. Magni sunt rerum motus, magni bellorum strepitus, magna imperiorum, iugísque collisio, magna denique famae vox, quaeque non modò alpes patrias, sed maria transilit, & cum magna sint semper mali praesentia, futurorum apparatus continuò maior est. Ita nobis quod in omni aduersitate durissimum est, extremum malorum solatium spes aufertur. Sempérne igitur sic inuicem conteremur? Semper nostrorum laborum sonitu, cunctarúmque gentium aures, atque ora complebimus? Semper mundo quod audiat, famę dabimus quid loquatur? Itá-que verò aetati tantum suae, sed omnibus seculis, nec poëtico magis, quàm prophetico ore locuti sunt Virgilius, & Flaccus quorum alter:

Grauidam imperiis, belloque frementem

Italiam dixit: alter,

Auditum Medis Hesperiae sonitum ruinae.

Agat modò fortuna, perficiat, quod incoepit, quando si Virgilio ipsi credimus, omnipotens & ineluctabilis dea

est, de

est, de qua re, ne quid præcipitante iudicio, definiam, nihil in præsens pronuntio, tu tamen sententiam meam nosti, si quid serium loqui soleo, ab hac opinione remotissimus sum. Nunc loquor vt vulgus, a quo maximè dissentio. Cæterùm siue illa nihil, siue aliquid est, nam dea procul dubio non est, & rursus siue illa suis viribus, siue nostra ignauia potens est, quoniam quibus solis obstari illi poterit arma rationis obiecimus. Agat (inquam) sæuiat, tonet, ac fulminet, in hoc præcipuè mundi latus, vbi in vtramque partem plurimum se semper exercuit, pergat, instet, premat, vrgeat, & quando ita superis atque inferis placet, vt dictum est, cœpta perficiat. Vereor sanè ne præsens præfatiuncula, quasi magnæ mœstitiæ index, amantem & amore pauidum, atque sollicitum animum tuum fortè turbauerit. Pone metum, priuatim nihil aduersi est, certè sicut publicè nihil est prosperi. Quid enim prosperum viris? imò verò quid nunc non triste prorsus, & miserum, libertate mortua & sepulta? Qua multi sæpe vitam magna cum voluptate & gloria profudêre, præsertim cum non libertas sola perierit, sed cum illa simul fides, pietas, pudicitia, pessimísque iam moribus latè regnantibus, nullus vsquam iustitiæ aut modestiæ locus fit? Quæ quoniam sine consensu generis humani contigisse non poterant, ideò stomachosus, & indignans animus, non magis suam quàm publicam sortem luget: hic sæpenumerò dolor meus, his quæ nulli hominũ prosunt, mihi etiã noceat, friuolis querimoniis euaporat: ex hoc genere principium istud esse noueris. Nũc ne te amplius expectatione torqueam, quod destinaueram expedio, & omissis rumoribus qui assiduè aures tuas fama vociferãte circumsonant, quos nullis annalibus cõprehendi posse crediderim, qui Pisis, & qui Senis populorũ motus, quod in latus reuoluta Bononia, quis-nam patriæ meæ status, vtinam vt florentis semper, sic aliquando fructiferæ, quid fleat Roma, quid Parthenope metuat, vt regib' ipsis cognomẽ suũ, Terra laboris æquauerit, quibus æstibus odiorũ ferueat, sulphurulẽta Trinacria, quid agat Ianua, quid paret Liguria, quid Æmilia cogitet, aut Picenũ, quàm insõnis

& laboriosa si Mantua, quàm meticulosa Ferraria, quàm Verona miserabilis, Actęonis in morem, suis ipsa canibus laceretur, vt Barbaricis semper incursibus pateant Aquileia & Tridentum. Postremò pudorum maximus, qui prædonum cœtus per Italiam peruagâtur, vtque de prouinciarũ domina, seruorũ sit facta prouincia. Ad Venetorũ, vt Liuij verbo vtar, angulum, & ad ea, quæ vix dum potes audisse festino. Qui bello cum Ianuensibus suscepto dicam antè detecto, latens enim bellum defuisse nunquam puto intra breue tempus primum victi, mox victores, rursum maiore prælio victi sunt, in quo illis quidem, vt hominibus, vtque Italis compatior, mihi autem gratulor, quod hæc eis mala omnia ventura, præuidi, prædixíque non astrorum iudicio, aut vllo vaticinij genere, quod totum despicio, reiicióque, sed præsagio quodam mentis, & vrgẽtibus coniecturis, quibus in eam sententiam trahebar, vt videre mihi tunc viderer, quod nunc video. Atque vtinam dux Andreas, qui rerum summæ tunc præerat, hodie viueret: exagitarem eum literis, & omnes aculeos incuterem, ac tota vterer libertate. Bonum enim virum, atque integrum, suæque Reip. amantissimum sciebam, doctum præterea & facundum, & circumspectum, & affabilem, & mitem, vno tamen offendebar, quod belli studio ardentior erat, quàm naturæ ac suis moribus conueniret. Viuenti equidem non peperci, & præsens verbo, & absens literis lacessere ausus tantum virum, quæ ille de animo meo certus, patienter ferebat, sed recenti victoria clarus, consilium respuebat, cõsuluit illi mors, vt & acerbissimum patriæ suę luctum, & mordaciores meas literas non videret. Vti enim fortunæ testimonio solebat, nec dubitare, quin sicut illa prosperior videretur, sic iustior causa sua esset. Itaque sæpe mecum illud Scipionis Africani dictũ vsurpabat, qui loquens cum Hannibale; Dij (inquit) testes sint qui & illius belli exitum, secundum ius, fásque dederũt, & huius dant & dabunt. Illud quoque Cæsareum:

Hæc fato quæ teste probet, quis iustius arma
Induit, hæc acies victum factura nocentem.

Et quantulùm illi viuẽdum erat, vt in eundem ista reflecterent,

Getem, nocentem teste fato conuincens, qui teste fato innocentiam astruebat? Paucis ante obitum diebus, literulas meas acceperat, aculeosas fateor, plenas tamen affectuum optimorum, quibus ita se torsit, ita responsionis studio efferbuit, sicut postea retulerunt, qui præsentes erant quasi summo pudori duceret, non æquasse stylum, quod vnum facillimum illi erat, literato in primis, disertóque homini, id enim puto, quod erat difficillimũ non curabat, retundere scilicet, & confutare sententias verbis, equidem atque dicendi exercitio ornatus, verborum certamina non timebat. Sed quid rebus ipsis facias, atque apertissimæ veritati quid respondeas, nisi vt taceas, aut confirmes? Verba enim cõpares, aut par, aut superior esse potes, rebus inferior sis oportet. Sæpe phaleratam eloquentiam nuda veritas vincit. Itaque cum se multũ frustra torsisset, septimo demum die, nuntium meum sine literis dimisit, responsum, propriúmque nuntium pollicitus, quem non misit, nec deinde respondit, seu morbo corporis, seu animi præuentus, quod per eos dies contra suum atque omnium spem, animosissimè ad littus Venetum, ipsa eadem, quam penitus victam, atque exterritam extimabat Ianuensium classis accessit, cui tumultui Dux ipse præter morẽ armatus interfuit. Nec post eum diẽ, ferè aliquid gessit, quasi festinãs, impendẽtibus caput malis, matura morte subducere. Etsi quidã ferãt, respondisse eum, nescio quid, quod nequaquã ad me morte ipsa Ducis forsan interueniente peruenit. Post quæ statim apud Achaię insulam cui Sapientię nomen est, Veneti ab eadem illa vaga classe Ianuensium deprehensi, ingẽtique prælio fusi sunt, eum honorem Duci optimo deferente fortuna (vt sicut dixi) dilatam patriæ suæ cladem in carne positus non videret. Certè vt vbi potissimum vinceretur, diuinitùs euenisse crediderim, quo scilicet vocabulo loci, saltem reliqui duces admonerentur, vt sapientiam quàm fortunam sequi mallent, & à ratione abeũtibus rerũ elicerẽt argumenta. Sed nónne fidifragus sum, qui noua pollicitus antiqua persoluo? Expecta autẽ in fundo est, vnde promissi mihi fides constet. Hacten⁹ audieras, quod sequitur nouum audis. Huic equidem tali Duci iuueni,

senior successerat, & ad patriæ gubernaculum serò licèt, ante tamen quàm vel sibi, vel patriæ opus esset accesserat, vir ab olim mihi familiariter notus, sed in quo fallebat opinio, animi quàm consilij maioris, Marinus Phalerius, viro nomen. Explere animum in summa dignitate non potuit, sinistro pede palatium ingressus: namque hūc Veneti Ducem sacrosanctum, omnibus seculi magistratum, quem in illa vrbe semper, vt numen aliquod antiquitas coluit, nudiustertius in ipsius palatij vestibulo decollarunt: causas rerum vt Poëtæ solent, in primordiis suorum operum explicarem, nisi comperta loqui velim, nequeo, tam ambigue, & tam variè referuntur. Nemo illum excusat, omnes aiunt voluisse eum in statu Reip. à maioribus tradito, nescio quid mutare, atque ita cuncta conueniunt, vt quòd ait Flaccus:

Primóne medium, medióne discrepet imum.

Nam quod vix vlli vnquam arbitror euenisse, dum ad ripam Rhodani pro negotio pacis per me primū, & mox per eum frustrà tentato, apud Romanum Pontificem legationis officio fungitur, Ducatus honor non petenti, imò quidem ignaro sibi obtigit. Reuersus in patriam, cogitauit quod vt puto nemo vnquam cogitarat, passus est, quod nemo vnquam in loco celeberrimo, omniúmque clarissimo atque pulcherrimo, eorum quæ ego viderim, vbi maiores sui, sæpe lætissimos honores pompis triumphalibus deduxerunt, illic ipse seruilē in modum, concursu populi tractus & ducalia exutus insignia capite truncus occubuit, templíque fores, & palatij aditum, scalásq; marmoreas sæpe vel festis solennibus, vel hostilibus spoliis honestatas, sanguine fœdauit proprio. Locum signaui, tempus signo. Annus est ab ortu CHRISTI M. CCC. LV. dies fuit vt ferunt XIIII. Cal. Maij, rumor est tantus, vt siquis vrbis illius disciplinā, moréisque prospexerit, quantámve rerum mutationem vnius hominis mors minetur, quanquam alij plures, vt perhibent complicum ex numero, idem supplicium vel pertulerint, vel expectent, vix maior in Italia temporibus nostris emerserit Hic forte meum iudicium expectes. Populum si famæ creditur absoluo, quamuis & lenius sæuire, & dolorem

tem suam mitius vindicare potuerint, sed non facilè iusta simul atque ingens ira comprimitur, magno præsertim in populo, vbi iracundiæ stimulos rapidis, inconsultisque clamoribus præceps atque multiuolum vulgus exacuit. Infœlici homini, & compatior, & indignor, qui honore auctus insolito, quid sibi sub extremũ vitæ tempus vellet ignoro. cuius illud quoque calamitatem prægrauat, quòd præscripto publici more iudicij, non modò miser fuisse, sed insanus, améńsque videbitur, & tot iam per annos sapientiæ falsam famam, vanis artibus vsurpasse. Ducibus qui pro tẽpore fuerint edico, positũ sibi præ oculis speculũ sciant, vbi se videant duces esse nõ dominos, imò verò nec duces, sed honoratos Reipu. seruos esse. Tu vale & quoniam publica fluctuant, demus operam, vt priuatas nostras res, quàm modestissimè gubernemus. Mediolani, IX. Cal. Maias.

FRAN. PETRARCHA GVIDONI ARCHIEPISCOPO IANVENSI, S. Epist. X.

An congaudendum de nouo Episcopatu an condolendum sibi sit dubitat.

SVccessibus tuis mæstior me an lętior ad extremum esse diu dubius mansi. Tangebat animum hinc quies, hinc gloria. Alteram tunc ereptam, cùm maximè necessaria esset, alterã illi ætati, cui præcipue deberetur, superadditam cernebam. Gloriosum tibi laborẽ impositum nón dolebam, sciens absque labore veram nec quæri gloriam nec seruari. Illud horrebam quod libertas, quã semper amaueras, in discrimen agi videbatur, & haud dubie honori onus impositum erat. Quò altior enim status est, eò durius vitæ frenum his qui infamiam timent, semperque conspectior rerum vertex. Quid vis? Amor libertatis atque otij vincebat, latendique commoditas: dolere iam cœperam, nisi quod in mentem venit te neque liberum hactenus & quod est pessimum seruitij genus, iniquo simul ac multiplici pressum iugo, nunc de seruo hominum multorum seruum Dei vnius effectum. Fœlix mutatio, gaudendum est. In quo statu quid agendum tibi seu quibus gubernaculis inter procellosi officij fluctus ac scopulos vtendum sit, nec ego sum consultor i-

doneus, nec tu consilij eges, vt qui in his disciplinis, quæ maximè hunc deceant statum, tempus omne contriueris impar quidem pontifex, sed pontificij iuris ac cerimoniarum omnium à iuuentute peritissimus. Vnde quæ multis ardua, tibi prona fuit atque facilia. Ne verò tam dilectus olim frater, nunc & pater, tantum æquor ingressus non dicam consilio, non hortatu, sed meæ saltem vocis omne careat funem soluenti Horatianum illud exclamo:

I bone, quò virtus tua te vocat, pede fausto.

Nempe quò vix alios longæ adhortationis calcar vrgeret, natura te ducet tua. Non es cogendus, non vrgendus, nec rogandus quidem: Admonitio ipsa prope superuacua est, nisi quæ monentis fidei fidem facit. Ad summam, vt portu gaudeas optato, naturam tuam bonam sequere: illi sulcantis freta nauigij clauum crede. Si quid ambigui rerum tempestas attulerit, summa consilium ab arce & ab illa suprema parte animi petendum erat, quæ terrenis turbinibus in accessu serena semper atque tranquilla est. De fine operum nil tibi penitus arrogans omnem spei anchorã in Deo fige, quòdque ait Psalmista, Reuela domino viam tuam, & spera in eo & ipse faciet. Hæc sunt, quæ tanta de re hodie dicturus fui, cum stimulante animo plura vellem sed feruente atque obstante nuntio vix ista potuerim. Vale.

FRAN. PETRARCHA BENINTENDIO, S. Epist. XI.

Ei, qui laude pulsatur aliena, rationis ad arcem & propriam conscientiam recurrendum.

BEne mihi accidit, quod in vrbe licet frequentissima, tua me solitarium epistola reperit, erubuissem coram multis deprehensus in publico, nunc solus erubui, & dixi, Quid non potes imperiose amor? Quid non potes? Quando etiam talis viri oculos, iudiciúmque perstringis? In literis quidem tuis, optime vir, duas simul veterum sententias recognoui, & amoris scilicet, & eloquentiæ magnam vim, nec de nihilo dictum, vel amantium cæca esse iudicia, vel Oratorem posse omnia. Primum te amice, in extimatione rerum mearum

fallis

fallit haud dubiè: secundum verò minus fefellisset, vt talis mihi videri inciperem, qualem tu me facis: sic corda legentium in manu habes, sic papirus pro regia, sic calamus tibi pro sceptro est, nisi quod me cogi sentiens, in arcem rationis euaseram, méque ipsum identidem percunctabar, an vera essent, quæ de me stylo quamuis artificioso & mellifluo dicerentur. Scio quid mihi intus in silentio sit responsum. Proinde oro, posthac pudori meo parcas, néve me non meis laudibus oneres. Nō precor errorem exuas, quo delector, tantùm ne me facundiæ vnco trahas, in errorem multo imparem. Tuus enim error ingenuus. & amicitiæ testis eximiæ: meus si sit, nisi amens, ridiculosúsque erit, quanquam ni fallor ne in hac parte labi possim prouisum est mihi. Habeo cui hæream conscientiam meam, à qua si non externis flatibus auulsus fuero, non facilè corruam. Illic enim non nisi aura purissima, veríque flant spiritus. Denique sic habeto posse me tibi omnia credere, nisi quæ de me scribis, quæ, si aliunde procederet, qua putas fronte lecturus fuerim? At nunc mihi notissimus candor tuus, quicquid ais, aut sensibus meis approbat, & quæ ex ore alterius illusoria videretur, è tuis labiis grata facit, & dulcia. Ad summam, quisquis sum, tuus sum & amicitiæ nostræ fores, quas eloquentiæ tuæ clauibus aperire tanto studio satagis, apertæ sunt, vt libet exoptatis ingredere. Crede mihi, nullo nisu, nulla opus est arte, vltrò animis præsto sum, téque in limine lætus excipio, non prius exclusurus, quàm hanc inde animam mors excludat, ídque sic esse vt dico, penitus tibi insitum esse velim. Pauca sunt quibus glorier, inque his ipsis hæsitare soleo. Vnum hoc intrepidè dixerim, temporales amicitias non noui, ad quas si non inanis emolumenti fluxa ratio, sed honestas alliceret, immortalis ex se genitas mortales esse non sineret. Ego fatear, ad ineundas amicitias tardus, sed ad finiendas immobilis, ad hanc cōtrahendam vtique pronus sum, ac ne id fortuitum putes, de te mihi diu ante prouisum erat, quem vt in amicis haberē, & dignus, & appetēs videbaris. Sanè quod præter modestissimum amicitiæ votū, etiam de scriptis familiaribus quæ, varia exigente materia

quotidie mihi è manibus excidunt, partem postulare dignatus sis, mirer, quid ita cùm viuum fontem domi habeas, & lucidū, semiarentes ac turbidos vicinorum riuulos sitibundus ambias? Nisi pridem intellectus mihi sit animi tui ardor, qui tantus est, vt nullum ingenij liquorem vndecunque fastidiat, neque tibi sufficturum arbitretur, quicquid perennibus scatebris vberrimum pectus affatim promit, nisi vel ad limina pauperum pulses, & tui locuples aliena mendices. Perge, age, habes quos sequaris duces, seu Socratem manis, seu Platonem, quorum alter vt scriptum vides ad discedendum pauper, ditissimus ad docendum fuit. Alter literas toto orbe collegit, quas toto orbe refunderet. His exemplis fretus & hoc iter ingressus fieri non potest, quin ad summas quoque diuitias proueharis. Quod ad nugas meas attinet desiderio tuo, etiam mei, & mearum rerum amor accedit, amor caecus, vt dixi, & semper obliquus rerum arbiter, vulgo dici solet. Placens histrio semper placidum canit. Profectò autem non in me, neque in meis scriptis est vt placeant, sed in te. Quantum verò in his, quando his delectaris, quantum in maioribus si quas sors fauerit; tibi morem gerere cupiam, & rursum, quid si vacet, ex te velim, eius ex ore audies cuius è manibus ista percipies. Qui vir musica suauitate mulcere aures, & digito potens est ingenium excitare: Cumque ipse sit magnus, quanquam non è coniugio Thetidis maiorem se genuit. Nunc ambo quietis auidi, de toto orbe sibi Venetiam delegêre: adesto illis oro, quae potes, mei sunt eóque magis esse cupiunt quàm tui, esse sibi nō alterius, videbuntur. Nouissimū est vt noris, epistolam illius optimi viri, & ciuis, & Ducis meliore nunc in patria viuentis, quo digni vtinam diutius fuissemus, Petroni mei, sed non sine lachrymis perlegisse, ita mihi de sepulchro, imò de coelo respondere visus est, vt multa mihi suspiria renouaret, sed non ita, vt non sibi quoque multa responsurus fuerim, si nobiscum ageret. Nunc vt puto, vel tacitum intelligit. Vale memor nostri, Mediolani. VI. Cal. Iunij.

FRA. PETRARCHA FRANCISCO SANCTORVM APOSTOLORVM, S.

Epist. XII.

De sua ad Cæsarem legatione.

O Prædura sors mortalium, o verè iugum graue super filios Adã, vt ille ait, à die exitus de ventre matris eorum vsq; in diem sepulturæ in matrem omnium. Ecce ego dum maximè solitudinem & requiem meditarer, magno rerum & familiæ strepitu contra meum morem ac votum propè nunc ad Arctoum mittor Oceanum. Quis crederet, vt deinceps Rhenum quem iuuenis senem vidi, eundem iuuenem ipse iam senior viderem. Siquidem olim annis meis adhuc crescentibus circa diuortia amnis illius, vbi decrescere & bicornis esse incipit, fui: nunc ad radicem montium, vbi ille crescit & nascitur, iam descrescenti iter est mihi, & inde longius ad extrema terrarum magnus labor præsertim in tãto contrarij appetitu; sed nisi irritus, non grauis. Pro publico enim bono nullus priuatus labor non facilis videri debet. Proinde hanc ab causam, non aliam, ab hoc Liguriæ regnatore missus ad Cæsarem proficiscor quámque mittenti susceptóque efficax negotio res docebit: mihi verò eatenus morigerer, vt illum, cum quo absens literis nil profeci voce præsens feriam: litigabo, arguámque eum, & statuam contra faciem eius hanc degenerem & Cæsarea moribus indignam fugam, vt nulli vsui iter hoc meum, sic certè legatus ipse mihi fuero. Primo enim quæ commissa, post seorsum quæ concepta mihi sunt, peragam. Vtar libertate mea & Cæsaris vtar patiẽtia. sic me saltem, sic Italiam, & desertũ imperium vlciscar. Orabis pro fœlici reditu, post quem, vt spero, sic in solitudinem totus immergar, vt nullus ibi me labor (Olquid ante sepulcrum spero?) nullus me nobilium scrutator latebrarũ liuor inueniat. Vale nostri memor. Mediolani perproperè & inter tumultum sarcinulas stringentium. XIIII. Cal. Iunij.

FRAN. PETRARCHA FRANCISCO SANCTORVM APOSTOLORVM S. Epist. XIII.

De suo è Germania reditu.

TE meditabar abiens, te reuersus meditor. Sed qui tunc suffecit paucis, nunc multa viuenti animo occupatior solito calamus non sufficit. Itaque poscit inducias, quas ne negem temporis premor angustiis. Reducem me nosse suffecerit, hoc adiecto, sospitem reducem. Illud pluris facies quam reditum, quam salutem, quam orbem terrarum, quo magis ambio, minus aueo. Si quid amabile est, nisi amor fallit, in Italia est, cui vltrò, si loqui possint, omnia climata cesserint, & tacendo cedunt, nisi (quod moestus dico) naturæ clementiam incolarum tumor liuórque corrumperet. De huius laudibus multa sæpe diximus &, si vita manserit, dicemus. Sed nunc recenti memoria de his mixtim, quæ & peregrinanti se obtulerant, & reuerso, dicere aliquid, institui. Cæterum is, cuius è manu hanc literulam accipies, concivis & amicus noster (non enim nostrum dicere vereor, qui meus est) multa tibi non addo, si libuerit referet de statu meo, cuius noscendi tuam inexplebilem ac perpetuam sitim noui. Vale & maiores meas propediem literas, nisi occupationibus veter, expecta. Mediolani XII. Cal. Octob.

FRAN. PETRARCHA FRANCISCO SANCTORVM APOSTOLORVM S. Epist. XIV.

Italiæ pulchritudinem se nunquam clarius cognouisse quàm in peregrinatione.

POscis vt epistolam de Italiæ laudibus, quam tibi pollicitus videbar, non subtraham. Enim verò nihil animo meo gratius, quàm sæpe multa tecum colloqui. Nec inficior nuper me, dum rura barbarica peragrarem, multa & varia, quæ de huius laudibus dici possent, inter equitandum cogitasse. Ita mihi accidit, vt patriam nunquam clarius quàm in peregrinatione cognoscerem, & ad summam, quàm pulchra esset Italia, in Germania perdidici.

didici. Et hoc mihi epistolæ principium fuit illius, quam reuersus magno impetu cœptam mox destitui mole rerum pressus & varietate distractus. Nempe ex illo nullus mihi ferè tranquillus dies, nullum liberi suspirij tempus fuit. Quod minimè, puto, mirabere, si Liguriæ labores & temporis huius statum ante oculos posuis. In naui equidem tantis iactata tempestatibus intrepidum forte vectorem esse, inconcussum certe non licuit. Meministi, quod Augustinus de se ipso déque hac ipsa vrbe in simili rerum statu loquens ait: Nos inquit, adhuc à calore spiritus tui excitabamur tantum ciuitate attonita atque turbata. Quod si illi accidit alienigenæ &, vt ipse ait, adhuc frigido, quid Italico homini nec iam, Deo gratias, à calore spiritus prorsus algenti accidisse extimas? Cæterum iam cælesti fauore ciuitas è multis procellis optatæ quietis in portum venit multa cum gloria. Mihi autem de materia, quam poscis multa vtroque stilo sæpe occurrunt vt scriberem, quæ, vt auguror, vidisti, & si quid fortè nunc etiam hinc scripsero, ante alios videbis. Vale, Mediolani II. Cal. Iunij.

FRAN. PETRARCHA GVIDONI ARCHIEPISCOPO IANVENSI, s. Epist. XII.

De statu suo admodum explicito.

NOui te, scio, quàm de me semper anxius fueris, quamque sollicitus. Et profectò non amat, qui non metuit. Statum meum vis audire, atque si à stando status dicitur, nullus hic homini status est. sed fluxus iugis ac lapsus, atque ad vltimum ruina. Quid velis tamen, intelligo, quam seu suauiter seu duriter res meæ, non stant dico, sed voluuntur. De quo ipso sæpe quærentibus amicis pro tempore variè respõdi. Quid autẽ vetat vel sæpiꝰ idẽ dici, vel mutari stilo, si qua rerũ vel opinionũ mutatio facta est. Ex mearum quidẽ rerum summam olim tibi notissimam scio. Minutiora, ni fallor, vt quotidiana exigis: quid in dies agam? quid de futuro sta

tuam? quanquã & illud mihi de ingenio tuo spondeam, vbicunque sim, nosse te non modo quid agam, sed quid somniem. Quid enim, nisi somnia dixerim, actiones & cogitationes hominum, quas nouit Dominus, quoniam vanæ sunt, vt psalmista ait? Et reuera nunc operosam aut difficilem tibi cognitionem tribuo, nosse quid agam, Siquidem post compressos adolescentiæ turbines & flammam illam beneficio maturioris ætatis extinctam. O quid loquor! cum tot libidinosos passim ac deliros senes videam, turpe iuuenibus vel spectaculum vel exemplum. Imò igitur post illud incendium coelesti & ore Christique refrigerio consopitum prope vnus semper vitæ meæ tenor fuit, & cum sæpe interim loca mutauerim, ille mansit immobilis. Hunc nemo te melius nosse debet. Paulo minus biennio hospes tuus fui. Quod tunc vidisti, nunc agentem cogita, nisi quia, quò magis progredior, eò magis accelero, & ceu fessus viator ad vesperam adhuc longæ viæ cogitatione suspiro & calcar incutio, lassitudinem excutio, & gressum ingemino & multiplex vitæ tædium obliuiscor. Itaque diebus ac noctibus vicissim lego & scribo: alterum opus alterno releuans solatio, vt vnus labor alterius requies ac leuamen sit. Nulla mihi delectatio aliunde, nulla viuendi dulcedo alia, sed hæc ipsa me prægrauat atque exercet vsque adeo, vt hac dempta vix intelligam, vnde mihi labor aut requies. Res mihi equidem inter manus crescunt, & subinde aliæ atque aliæ adueniunt abeunte vita, verúmque si fateri oportet terret me tanta cœptorum moles in tam parua vitæ area. De euentu Deus viderit, cui notissima est voluntas mea, quam si vtilem animæ nouerit, adiuuabit spero. Vtcunque autem ipsa sibi voluntas eius præmium quamuis nuda & optatis spoliata successibus. Ego interim anhelo, vigilo, sudo, æstuo, nitor in aduersum, & vbi densior difficultatum sepes, eò alacrior gressum fero, ipsa rerum nouitate seu asperitate extractus atque impulsus. Certus labor, fructus incertus. Malum mihi commune cum cæteris studium hoc ingressis. His intento defluunt temporum reliquiæ, & ego cum illis ad extremum eo, & morta-

morta-

mortalis immortali premor exercitio. Dextra quidem calamis, oculus vigiliis, pectus curis atteritur. Totus iam obdurui atque percallui, vt Ciceronis nostri verbo vtar, & si fortè perueniam quò velim, bene erit: alioquin bene esse voluerim. Faustum illud, hoc laudabile. Illud est enim in alterius, hoc in nostra manu positum. Hic insistam, vt nullus dies, nulla nox, non labor, non requies, non voluptas animum ab honesta intentione dimoueat. De reliquo sortem meam non tantum æquo, sed alto etiam animo feram. Si posteritati noscar probérque, quid-ni gaudeam? si minus, nostræ notum sufficit ætati. Si ne idipsum assecutus videor, paucis aut vni mihi notum fuisse satis fuerit: talem modò me nouerim, qualis sum, talísque sim, qualis esse cupio. Magna res, fateor, & optanda facilius quam speranda. Inter has igitur curas ago sæpe interea Deum orans, quidquid de studiis famáque decreuerit, vt bonum facilémque & sibi placitum det exitum, neu tot me totiens periculis erutum in fine destituat & sæpe suspirans illud sibi Dauidicum insusurro. Ne proicias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me, & illud, Docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc, & vsque in senectam, & senium, Deus ne derelinquas me. Nihil affectuosius tamen, nihil sæpius precor, quàm ne derelinquat in morte. Hæc, frater optime, summa est eius, quem tu statim, ego cursum seu verius casum voco. Sed quia de singulis scrupulosius quæris, accipe cætera. Corpore valeo eò vsque, vt illud ad plenum: neque iam grauior animus, ætásque tranquillior, neque abstinentiá & iuge bellum perdomuerit, quod illi contumacissimo rebellantíque mancipio indixi, seu calcitranti, vt propriè dixerim, asello, Christo tandem duce domabitur, sine quo absque vlla sibi dubitatione succumberem, vt solebam. Sic me crebro ex hybernis in acie reuocat, cogítque nunc etiam de libertate certare. O nascentium sors immitis semper in prælio stare non aduersus alienigenas tantum hostes, sed aduersus indigenas séque ipsos, & ancipiti experientia omne tempus absumere! Spes prima & vltima Christus est. Illo opem ferente & hostes

meos vincam, à quibus persæpe olim victus sum, & asellum hunc in enodali ac valido vinciam capistro, ne mihi lasciuiens dulces somnos atque animi requiem interpellet. In rebus aliis, quas fortuitas vocant, optimus & ab extremis distantissimus est modus. Procul miseria, procul inopia, procul diuitiæ, procul inuidia. Tuta verò: dulcis, ac facilis mediocritas præsto est. Ita mihi videor: fallor fortè. Vnum est, in quo mediocritas me ista non sequitur, idque si inuidiosum forte me fecerit, non mirer. Honoratior sum, melius dixissem oneratior, quàm vel vnquam optauerim, vel semper optatæ sit expediens quieti. Neque hinc solum Italorum maximo suísque proceribus, sed quod publicam sim dicturus ad gloriam toti populo, conspectior chariórque quam merui. Quadriennio iam, vt vides, integro in hac media Ianuensium vrbe moram traxi, & iam quinti anni limen ingredior. Res hercle nec mihi vnquam, nec tibi nec cuiquam amicorum vel leui præsagio ante visa: sed humanarum rerum consuetudo est vetus ac perpetua, vt sit nihil certum omnium, quæ speramus, sit nihil omnino, quod præter spem euenire homini non possit. Nemo se fallat aut dicat, hic moriar, illic viuam. Non respondent exitus cõsiliis. Cum multa circumspexeris, cum diu multúmque cogitaueris, vnum te aliquid fefellerit, & cùm multa decreueris, fortuna iure suo vti volet, inque ictu oculi cogitata peruerterit. In hac vrbe igitur, vt dixi, vel Græcam Olympiadem transgressus nunc Romani lustri spatium ingressus est non præsidentium modò, de quibus nuntiatum tibi certus sum, sed totius etiam, vt dictum est, populi beneuolentia sui hactenus, vt non tantum ciuibus optimis, sed terræ atque aëri, ipsísque quodam modo parietibus vrbis ac menibus in perpetuum me teneri arbitrer. Is me omnium fauor amplectitur: his me oculis videri, his vocibus concelebrari sentio, sic vt amicitias singulares sileam, de quibus agere longum est. Me vulgo etiam charum scio: vnde id quidem nescio, nisi quod & fama suum, puto, tenuit morem,

& inter

& inter occupationes omnium ac meas nos illis me propiùs intuendi. facultas oblata est, nec mihi necessitas apparendi. Ita nunc vsque vulgus fallitur: ego lateo. Accedit habitatio ab omni tumultu ciuium, nisi quem vetusta deuotio semper octauo mane reuehit. semota ad occiduum magnæ vrbis angulum Ambrosij hospes sum, quo cum multi sæpe vel noti vel noscendi auidi se venturos dicant, vncis inde negotiorum, hîc loci distantia retrahuntur. Sic iste sanctissimus hospes meus, vt consolationis plurimum corporali sua præsentia, atque, vt reor, spirituali etiam præstat auxilio, sic tædij ac fastidij multum eripit. Salutari, frequentari, celebrari, premi, aspici ab his stimulis tanto sub hospite conquiesco, & velut alto maris è littore procellas video, fragorémque audio, sed fluctibus non contingor. Ac si quando trans limen vel eundi votum vel visendi Domini me debitum trahit, quò nihil me aliud quam voluntas rara adigit, vel honestas cum dextra læuáque, flexis oculis, & labellis clausis, nutu frontis eminus salutans, salutatúsque prætereo, nil in transitu patiens, quo fatiger. Iam de reliquis & breuior & notior tibi olim historia est. Nequid tamen variante fortuna, vt fit, de viuendi consuetudine immutatum suspiceris, qui fueram, sum: victum meum nosti, somnum quoque. His vt addam, nulla mihi vnquam Fortuna suaserit: demo potius aliquid in dies, iámque eò peruentum est, vt modicum demi possit. Denique, non si regiæ opes aduenerint, aut è mensa frugalitatem pellere poterunt, aut in cubiculum longos somnos arcessere. Nunquam me sanum ac vigilem lectus habet, nunquam nisi æger aut dormiens stratis versor. Simul & me somnus, & ego lectum desero. Somnum morti, & lectulum busto simillimum duco. Cùm supremus sopor obrepserit, satis supérque in cubiculo terreo seu saxeo iacebimus, id meditans lectulum meum odi, & illum, nisi vrgente necessitate non redeo, sed ab illo mox, vt me naturæ vinclis explicitum sentio, intercunctantes auello, inque bibliothecam illi proximam velut in ar-

tem fugio. Fit hoc inter nos media nocte diuortium. Quod si quando forte vel nox breuior, vel vigiliæ longiores traxerint, ac profecto nunquam simul aurora nos inuenit. Postremo modis omnibus nitor, nequid melioribus curis interueniat, præter id solùm, quod imperiosè necessitas naturæ exigit: somnum dico & cibum, & breue honestúmque solatium vegetando corpori refouendóque animo duntaxat idoneum. Id enim vero, quia pro varietate temporum ac locorum variari oportet. Et quale mihi nunc sit, nisi audias, nosse non potes. dicam: amo solitudinem, vt soleo, sectórque silentium, nisi inter amicos, inter quos nemo me loquacior. Hanc reor ob causam, quod amicorum præsentia solito rarior nunc est. Caritas autem desiderium accendit. Sæpe igitur animum silentium diurna loquacitate compenso, rursúmque amicis abeuntibus mutus fio. Importunum negotium, cum vulgo loqui, aut omninò cum homine, quem non amor tibi seu doctrina conciliet. Cæterùm more illorum, qui, vt ait Annæus, de vitæ partibus deliberant non de tota, ingruentem cogitans æstatem diuersorium amoenissimum saluberrimúmque adiit, Gragnatum vocant, tribus, vt numerant, passuum millibus ab ipsa vrbe semotum. Rus vt in planitie eleuatum & cinctum vndique fontibus, non illis quidem Sorgiæ nostro Transalpino paribus, sed modestis ac lucidis, támque suauiter inuicem perplexis ac vagis, vt vnde veniant seu quò pergant vix possit intelligi, sic coeunt diuertúntque, & rursus in se redeunt, multósque per tramites vnum in alueum & relabuntur Meandreis flexibus Mitipharum choros virgineámque agi dixeris choream. Hîc modò sum, & quid agam dixisse si sileam nosti. Ago quod solitus sum, nisi quod rure mihi libertas est maior: otiosi fueris, si pergam exequi, quibus tædiis vrbanis hic caream, quibus agrestibus solatiis abundem, quæ mihi poma de arboribus, quos è pratis flosculos quos è fôtibus pisciculos, quas è limis anaticulas, quas è nidis auiculas, quos ex agris Hericiolos, quósve lepusculos, capreolósque atque apriculos certatim humiles conuehunt vicini: Est hic Cartu-

fiæ

sitæ domus noua sed nobilis. Hinc mihi, quicquid sancti gaudij sumi potest, horis omnibus presto est. Decreueram intra ipsius Cœnobij septa concludi, quod illis sanctissimis viris an mihi gratius, incertum. Itaque factum esset, nec verebar, ne qua in re præsentia mea illos offenderet; sed reputans me sine coquis ac famulis, vt adhuc est vitæ modus, esse non posse, timui ne seruilis temulentia ac strepitus religioso silentio obstarent. Sic vicinam illorum domum malui, vnde officio præsens, tædio autem absens præ familiæ deuotis actibus, quasi eorum vnus, quando libet intersum. Sacrum mihi continuò limen patet, à quo famuli mei exulant atque aduenæ, nisi rari admodum, quos vitæ qualitas tali dignos facit hospitio. Nempe sic ex altero solatium quæri decet, ne fastidio illi sis vnde tuo consulis fastidio. In quo sæpe peccatur, dum quisque sibi nimium intelligens alium non cogitat. His mihi equidem in locis, nequid nescias præter amicos veteres, deesse nil sentio, quorum me ditissimum & illorum virtus & mea spes fecerat, inopem & mors pridem & nũc facit absentia. Quamuis enim vultus separet illa, non animus, est tamen præsentiæ corporalis non leue desideriũ, quod tu aliquando facile leniturum scito, si te mihi, si Socratem nostrum fortuna restituat, quod speraui diu, fateor, atque optaui. Nolo quidem me excusandi studio quempiam accusare, sed si pergitis quando remedium aliud non est, imaginaria meorum præsentia me solabor, deque his sanctis ac simplicibus Christi amicis, quod dabitur, non litteratæ licet ac facundæ, sed humilis & deuotæ conuersationis eliciam, cum quibus rara iuuat inire conuiuia, crebra colloquia, perpetuam charitatem. Neque vltimum vitæ meæ mortisque præsidium in illorum orationibus situm spero, quibus & vt tuas adiicias, obsecro, vt spiritus sanctus adueniens, cui hodiernus sacer est dies, suscitet hoc ac gelidum cor inflammet. Vale.

FRAN. PETRARCHA GVIDONI ARCHIEPISCOPO IANVENSI S. Epist. XIII.

De eodem vitæ suæ statu.

PVtabam plenus esses mei rerúmque mearum, sed amori nihil est satis, dum superest aliquid, quo aspiret:

aud

Et quaeris adhuc, an famae, quae me diuitiis auctum refert, habenda sit fides, quasi mihi habita esset, nota & cōperta, non quaereres mediocritatem professae. Diuitiarum quaestio suboritur: sic vt video superioris epistolae fides mutat quod ne cogitans. Breuis ero. Saepe enim multiloquio fides deest, & operosius affirmanti minus creditur. Igitur accessisse aliquid operibus non negerim; sed mihi crede plusculum accessit impensae. Mos tibi notus est meus, vt nunquam ditior fio, nec pauperior vnquam fui, non quod vlla egeam re, nempe omnium solito abundantior; neque ideo, quod natura diuitiarum est, vt eis crescentibus sitis crescat, illarúmque maior vtique est paupertas, quàm illis simul earúmque desiderio caruisse. Imò verò illa paupertas vltima, hae diuitiae primae sunt. Nec si verum quaeritur, vlla maior est inopia, quā multa optare: nec diuitiae maiores, quàm suo esse contentum. Neque verò fieri potest siue vt quod quisque auiditer concupiscit, nō eodem valde egeat, siue vt eo indigeat quod cupit. Ab egendo autem nomen traxit egestas, quae id ipsum est, quod inopia vel paupertas. Non me igitur hos inopem facit. Audeo hac in parte quiddam mihi singulare tribuere imò non mihi, sed illi vni, à quo est autor, si quid in me vel omnino in homine boni est. Quid in magnis operibus acturus fuerim, seu quid animi habitu rus nescio. Sed ad hunc diem quò plus habui, eò minus optaui, & quò rerum copia largior, eò & tranquillitas vitae maior, & cupiditas animi minor fuit, minúsque sollicitudinum & curarum. Nec sum difficilis ad credendum, forte aliter euenturum, si ad magnas diuitias peruenissem. Nam vt nauim saepe sub fasce habili expeditā pondus in mare demersit: & oculos modesto lumine delectatos immodica lux offendit: sic & ego opum mole nimia vincēdus vt caeteri. Nisi me fallit opinio, in mediocritate hactenus sum inuictus: quamuis hoc ipsum multis nescio an & tibi, permirum atque incredibile visum iri arbitror. Si hoc igitur non est, quod mali huius vsitatū & maximè proprium videretur, quid aliud causae est, forsan interroges. Dicam quò rei simul ac mei naturam intueris apertius. Est equidē illa quoque perpetua & immobilis.

bilis opum lex, vt cum earum semper augmento corrosorum numerus augeatur. Sciebam hanc esse sententiam Salomonis, at inexperta vix credimus. Sed nouimus iam & non mihi credulitas rei huius, sed notitia certa est. Aurum per digitos meos transire didicit, non herere. Placet equidem ac delectat: ad hoc enim quæsitum, inuentum, effossum, abstersum consignatúmque est aurum, non vt cupiditates hominum stando nutriat, sed vt transeundo necessitatibus medeatur. Et hercle aurum qui spernit sobriè, nec post illud abit, nec in illo sperat, ille mihi verè sapiens, qui fecit mirabilia in vita sua, quem scriptura quærit vt laudet. At qui vtiliter atque honestè distribuit, dominus: qui anxie illud seruat custos, qui amat, amans, qui metuit, seruus, qui veneratur idololatra. Ego quem inter hos gradum teneam, ignoro: nec de me mihi ipse crediderim: libenter familiaritérque nos fallimus. Hoc scio, quod aurum de domo mea deque arcula iter facit, non hospitium, quo id consequar, vt inter heredes meos aut nullum aut exiguum sit certamen. Et de me quidem hactenus. De alumno autem nostro (nam & de illo etiam quæris, nec immeritò: pars enim quodam modo nostri est) quod diffiniam in dubio sum. Mores vt in adolescente, tranquilli, & haud spernendi flores huius temporis. Quem ex hic fructum sperem, si me roges? spero futurum virum bonum. Nam ingeniosum esse, iam scio, sed quò ingenium, si studium desit? Librum horret vt colubrum. Sufficit autem bonum fieri. Non frustra nascitur, qui bonus moritur. Delector ingenio, sæpe etiam indignor, quoniam illud per desidiam labi sinit. Nil preces valuere, nil blanditiæ, nil minæ, nil ferulæ. Conatus nostros vicit natura potentior. Sed sic eat, quando aliter non potest. Est, fateor, famosus ac lucidus, sed non facilis literarum titulus. Vnde fit, vt tolerabilior sit defectus eloquentiæ aut sciētiæ, quàm virtutis, quod illæ scilicet sint paucorum, hæc est omnium. Et licet hic noster esse possit ex paucis, si tamen obstinatissimè renuit, quid agā? Persolui debitum, præstolabor exitū, laturus omnia, modò bonū

euaserit. Vt enim veritas intellectus, sic bonitas voluntatis obiectum est. Hanc igitur qui non habet, non est cui hoc imputet, aut in quem culpa reflectat, atque ideo venia qualibet est indignus quia volens peccat. Nō possunt sane omnes Cicerones esse, vel Platones, non Virgilij vel Homeri, boni esse autem possunt omnes, nisi qui noluēt. Et arator quoque, piscatórque & pastor, modò vir bonus sit, suum pretium habebit. Denique si alterutro sit carendum, vt Themistoclis dictum de diuitiis ad literas traham, malo virum sine literis, quam literas sine viro. Vale.

FRA. PETRARCHA FRATRI IACOBO AVGVSTINENSIVM ORDINIS ET TICINENSIVM TIRANNO, S. Epist. V.

Increpatio grauis ac multiplex.

SÆpe te, frater, admonui, vt status & officij tui memor paci operam dares, qua sublata quid aliud vita hominum quam mors est? seu quid mundus hic aliud, quam laborum immortalium ac discriminum officina? Preces quoque, & obsecrationes immiscui, vt si te ratio non mouisset, amici charitas moueret. Oraui per que omnes te cælicolas adiuraui, atque in primis per sacrum & venerabile Augustini ducis tui nomen, cui & ego quamuis peccator, in spiritu meo seruio, & cuius opem apud Christum spero, vt aliquando sopitis aut lenitis odiorū flammis, & compresso tumore superbiæ qui animorum oculos atque aures sanioribus consiliis obstruxerat, illud acumen ingenij tui & eloquentiam cælitus datam tibi, quam irritandis animis tuorum ciuium (quod pace tua dixerim) plausibiliter hactenus potius quam salubriter intendisti, iam tandem ad meliora conuerteres, & quod maxime te decebat, religiosam animam pacificis tractatibus applicares. Non dura quidem, neque difficilia postulabam, vt Augustini miles ac discipulus pacem velles precipuè, dum audires ducem ac magistrum tuum tum sæpe alias, tum expressius in eo libro, in quo cælestis & æternæ Reipub. leges tractat, quodam loco de pace sic loquen-

loquentem: Tantum est enim (inquit) pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inueniri. Et post paululum. Sicut nemo, inquit, est qui gaudere nolit, ita nemo est, qui pacem habere nolit, quando quidem & ipsi, qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt. Ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt peruenire. Et rursus: Paci igitur geruntur, inquit, & bella ab his etiam, qui virtutem bellicam student exercere imperando, aut pugnando. Vnde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit. In quo quidem Ciceroni consentit, vbi suscipienda bella ait ob eam causam, vt sine iniuria in pace viuatur. Non exequor, quæ ibidem Augustinus idem diuino strinxit ingenio, quòd & tibi notissima sint, & mihi prouidendum, ne si cuncta cōplecti velim, magnitudo rerum modum vincat epistolæ; quorum tamen illa conclusio est, vt omnem vsum rerum temporalium ad fructum terrenæ pacis in terrena ciuitate, in cælesti autem, ad pacis æternæ fructum referendum esse diffiniat. Quæ cùm ita essent, sperabam, fateor, vt omne quidem, licet ferox, sed in primis ratione vtens animal, hoc est, hominem, cui vera scilicet insit humanitas, sic ante alios homines te, cui & ratio esse deberet vberior & singularis religio ac pietas, pacem amare, pacem quærere, nempe qui tibi dictum crederes Dauidicum illud, quod sepissime decantares: Inquire pacem, & persequere eam: nisi forte dicas, te illam vtique persequi, qui eam, vt videmus, finibus tuis pulsam exulare coëgeris. Sed quid eidem regio Prophetæ dicimus clamanti, Rogatæque ad pacem sunt Ierusalem, qui sciens in pace omnem bonorum abundàntiam esse, omnem iustitiam, omnem delectationem ac sanctarum animarum requiem: vide quid addidit: Et abundantia diligentibus te. Et iterum: Fiat pax in virtute tua. Et intulit: Et abundantia in turribus tuis. Et alio loco: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Et alio: Mansueti hereditabunt

terram,& delectabuntur in multitudine pacis. Et rursus alió: in pace in id ipsum dormiam & requiescam. Longum est singula prosequi. Ex quibus elicitur, bonorum omnium atque optabilium rerum hunc vnicum fontem esse, quo arescente succedant egestas, tædium, & labor. Quid autem & Ieremiæ dicemus, cuius illa vox miror, nisi tuis semper auribus insonet: Quærite pacem ciuitatis, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis. Ex his atque similibus sacrarum testimoniis scripturarum, in quibus apprime doctum te putabam, bene de te frater, opinabar, teq; pacis amicum mihi persuaseram, sed fallebar, vt intelligo. Tu enim sub Christi tunica Marti sacer & Bellonæ deuotior, quàm Mariæ, sub religiosi habitu tegēs propositum bellatoris, nec id quoque iam tegens, sed dictis & factis aperiens, relatu mirum, terribile cogitatu. In eo tibi summam meritorum, & fœlicitatis, & gloriæ sitam putas, si hoc videat ætas nostra, hoc posteritas audiat, te multis gentibus & toti pene Italiæ pestiferum, populo autem tuo funestum & fortasse vltimum bellum ingenio fouisse, exacuisse consiliis, eloquio inflammasse, vt tibi, quem sequestrum pacis & quietis auctorem credidi, iam merito dici possit, quod ipsi olim Ieremiæ immerito dictum est: Si quidem homo hic nō quærit pacem populo, sed malum. Heu! chare mihi in Christo frater, quàm valde vereor, ne tibi quoque cōueniat quod ille vir sapiens ait in parabolis: Vir impius fodit malum, & in labiis eius ignis ardescit: homo peruersus suscitat lites, & verbosus separat principes. Et quod aliter ait in Ecclesiastico: Homo iracundus intēdit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio habentium pacem immittet inimicitiam. Nam si æquis auribus & pacato animo audire verum potes ab amico, Quis est vsquam hominum qui dubitet, quin si tu vnus, non esses tot hominū millia, quæ hanc non modo Italiæ, sed toti orbis pulcherrimam atque optimam partem tenent, in tranquilla & exoptata pace nunc viuerent: quicquid per squallidos & incultos agros armorum aut signorum volitat, quicquid incendiorum desertis villarum tectis exæ-

stuat,

stuat, quicquid formidinis aut fugæ amplas ac nobiles alterius motibus vrbes quatit, quicquid denique sanguinis hoc bello vltro citroque fusum fundendúmque est totum è tuorum consiliorum scatebris & fæcundi pectoris fonte processerit? O fęlicem te, qui ad hanc rei militaris gloriam sine vllo armorum exercitio, sedendo, loquendo perueneris, vt vnus è numero illorum, qui, vt ait Psalmista, Cogitauerunt iniquitates in corde tota die, constituebant prælia. Idque vt de te, quamuis in aciem non prodeas, perpropriè dictum scias, sequitur non quod erat proprium bellatorum, Induerunt arma, conscenderunt equos, ordinarunt agmina, sed quid acuerunt? linguam suam sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. Heu mihi, frater! quanto melius, quantóque professione tua dignius fuit, linguam Deo dicatam diuinarum laudum occupare præconiis, quàm delinimentis anilibus & ventosis ad hortationibus populorum, quibus te non vno aut altero, vt cæteri, sed omnibus omnium flagitiis inquinares, omniúmque quibus album dare bellum solet, particeps delictorum, nec tantum particeps fieres, sed magister. Itá-ne tibi cura, conscientiæ posthabita fama, duntaxat mauis eloquentiæ satis est, vt propter hanc vnam fons & principium & causa horum malorum omnium dici velis? Nam quis vlla ætate bellum hoc aut meminerit aut narrabit, qui non tuum in primordio flebilis historiæ nomen ponat? Quis hanc pinget historiam, quæ iam per aulas porticúsque magnatum pingi incipit, qui non & inter consiliarios & inter ipsos etiam bellatores tuam fingat effigiem? Mirum prorsus, nec vnquam alias visum spectaculum, inter galeas clipeósque, & micantes gladios & tela trementia venenoso afflatu animos inficiens & verbis intendens bellum nigra succinctus veste fraterculus. Gaude igitur, exulta, qui è tribus Catonis Magni, & è Scipionis Æmiliani laudibus consecutus es duas, vt scilicet & Imperator sis & orator optimus, quippe qui exercitum nutu solo, populum voce regas. Ne qua autem in re summis illis vi-

ris cedas, eorum quoque laudem tertiam vsurpare quis prohibet, vt optimus etiam sis Senator, quando omnis patriæ fortuna, omnes primorum ciuitatis sententiæ de consiliis tuis pendent. Tres enim in homine summas res vterque illorum præstitisse fertur, vt esset optimus orator, optimus Imperator, optimus Senator. Sed vide, oro, ne qua te gloriæ cupiditas obliquis tramitibus huc impellat. Profectò enim nemo vel Senator vel Imperator bonus est, ne dicam optimus, nisi qui domi militiæque ea consulit atque agitat, non quæ sibi speciosa, sed quæ populo atque exercitui fructuosa sunt. A quo te quàm longissimè abesse quis non videt? qui pacis dulcedine relegata vltro in patriam bellum amarissimum atque auceps attraxeris. Restat oratoris nomen solum, quod ipsum mala & noxia suadendo mereri equidem non potes, cum, sicut summis oratoribus visum est, orator sit vir bonus dicendíque peritus. Video in quantas angustias te coarctem, qui ex omnibus titulis, quos sperabas ne vnũ quidem tibi concesserim, nisi pro parte diuina Etsi enim discendi peritum non inficier, oratorem nego. Neque etenim aut bonus vir es, aut esse potes, quam diu te publicis bonis, vt facis, & pacis consiliis aduersum præbes. O quanto fœliciùs vel tibi vel patriæ mutus esses, quàm facundiam pestilentem tanto studio quæsiuisses. Ergo si tu loqui aut nescires, aut nequires, nec laboraret Italia, nec lugeret. Ergo in lingua tua publicæ miseriæ radix est. quam si Deum, proximum, si patriam, si te ipsum diligeres, commorsitatam dentibus proiecisse decuerat, profuturam potius coruis aut canibus, quàm hominibus nocituram. Tu tamen hoc agis. ad hoc niteris, hoc magnificum ducis, quod te more aucupis mulcente aures credulum vulgus in tendiculas tuas cadat, quódque aliquid ærumnarum nouarúmque in dies ruinarum titulis tuis accrescat. quibus iam pene nihil accrescere intra miserabilis patriæ fines potest, quæ exterius vastitatem miseram & hostilem tuis attractum, vt sic dicam, manibus exercitum, intus vé-

ro linguæ tuæ arietem duráque patitur imperia. Dirceo siquidem Amphioni per contrarium simillimus euasisti. Ille Thebas suo struxit eloquio, tu Ticinum sternis tuo, peruetustam, vt fama est, nobilissimámque vrbem,& nisi te vnam auē læuo sydere genuisset, fœlicissimam, te autem ciue miseram, te duce miserrimam, nisi te illud excusat, quod obsessam patriam magnæ partis ciuium exilio & multa domorum strage laxaueris, atque vna contentam crebris muniens plateis; obsidionis horrenda solatia inustā tota in vrbe sollicitudinem & diuersoria sanè bonis inamœna paraueris Hóc ne autem, seu quid aliud, quæso, est propter quod vt labia tua aperiat, quotidie Deum rogas? vide, oro, quid postules, quid promittas? Petis vt aperiat, puto non vt hominum cladem, sed vt Dei laudem nunciet os tuum. Quod quam fideliter impleas, tu cogita. Certè ille pacem, tu contrarium prædicas Ad literam fortassis intelligens Euangelicum illud: Non veni pacem mittere, sed gladium. Cur non potius ad id respicis, quod sine allegorico regimine nuda veritas clamat: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Diligite inimicos vestros. Benefacite his, qui vos oderunt. Pacem habete inter vos. Quod quotiens aliquem saluasset, hoc ferè eum alloquio dimittebat: Vade in pace: Et ad discipulos ingressus hoc salutationis genere vti solebat: Pax vobis, eodē illos vti debere præcipiens. Postremò quod eisdem, quos valde dilexerat & diligebat in finē iam morti proximus supremo elogio pacē dedit ac reliquit. Tu populo tuo quid sis moriēs relicturus nescio: certè viuēs bellū illi & labores & impēsas & multiforme periculū aceruasti. Quātum mihi videris oblitus omnia quęcūq; conferre potuerant ad salutem, illam in primis parabolam saluatoris, quam fortassis ideo despicis, quia Lucas solus eam posuit, seu turrim erecturi, seu ad bellum profecturi, atque ante quam opus aggrediatur sumptus operis, aut militiam computantis. Quæ negligentia, quæue præcipitatio non rogantem ea quæ pacis sunt, sed maiora viribus ausum te merito perdet, vt auguror. Bene qui-

dē modò ne vnius hominis ruina populū premat immeritum, quem audire non finis, quo saluus & innocēs permansisset, illud Apostolicum ad Hæbreos: Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit deum. O ingens extimatio paruæ rei tam multos esse calamitosos vt tu disertus appareas, & vnius linguæ falsam gloriam tot mortibus atque vulneribus constare? Quanquam quid ego hanc friuolis & inanibus coniecturis maiorum præsentium causam quero? quæ si vera esset, haud dubie plus sic vanitatis habitura, quam criminis. Alia quidem & verior & grauior causa est. Aliquanto altius, quam ad solam eloquentiæ famam tendis. Atqui Romanos duces externósque considera, nullum apud nos propositi talis exemplum, nullum similis audaciæ ducem habes quis enim inermis linguæ fiducia tale vnquam aliquid aggressus est? nisi Ciceronem mihi forsam obiicias, qui licet, vt scimus, omnipotenti facundia terruerit atque vrbe propulerit Catilinam, tamen & consulatus illum suus; & senatus ac ciuium consensus armabat, nec priuatim ipse sibi imperium quærebat, sed Reipub. libertatem. Obiicies Pysistratum Atheniensium tyrannum, quem licet eloquentissimum non ignorem, ille tamen & lingua armatus, & gladio seruire sibi patriam coegit. Vnus ex omnibus Pericles, qui postea locum eius arripuit, tibi magna ex parte similis videtur: si quidem tantum inermi facundia valuit, quantum ille valuerat armata. Itaque florentissimam vrbem summum Græciæ decus fando pessumdedit. Sed & hic quoque diuersitas multa est. Ille enim magnis principiis nulla religiosæ seruitutis compede obstrictus: tu è radice humili veniens & paupertatem & obedientiam professus, qui sub esse pauperibus vouisti, diuitibus vis præesse, & vt voti huius iniquissimi compos sis, præstat tibi non tam tuus lepos (Ne hinc tibi valde complaceas) quàm tuorum virium mira simplicitas, quos ex ore tuo pendentibus hamis captos eò trahis, vnde, mihi crede, non retrahes. Quid hinc dicam? vtinam tam fidei tuæ possem, quam

ingenio

ingenio gratulari. Profecto si patriam amares, matrem & altricem tuam, illi potius, te, quam illam tibi subiiceres: nunc vt contrarium velle damnabile, sic tantum posse mirabile est. Gaude iterum. Vnus tu è cunctis terris ac seculis incomitatus, nudus, pauper, ignobilis, nouis & inauditis artibus tyrannidem occupasti. & quæ Longobardorum Regum quondam regia fuerat, nunc tui imperij sedes est. Robustum populum, qui talem dominum ferre queat. Bellicis quoque successibus tuis lætor & quod giganteum illud exulem triumphis ac victoriis clarum prouidentissimi ciues tuo freti consilio receperint, qui velut alter Alcides non duodenos tantum, sed millenos obeat labores, & heroicis actibus cuncta, terrarum monstra conculcet, & quod circa Nançani castrum, vbi maximè feruida illa vis animi, & ille tuus acerimus conatus exarserat, saltem semel egit, vt debuit, fortuna. Videto autem vt & arcis illius exactam custodiam, & piam captiuorum curam habeas. Hoc magnitudinem tuam decet, ne per insolentiam attollatur, sed inter vinctos tuos, quos ante triumphalem currum es acturus, summum & præcipuum sit insigne clementia. Proinde, vt omittam iocos, & finiam quod incepi, oro te, amice, & obtestor, vt ad te reuersus examines non quid iuuet, sed quod deceat: neque quid esse cuperes, sed quid es, quem te fecerit natura, quem fortuna, quem professio, quem vitæ series antè actæ, intelliges, nisi fallor, nullum inter tyrannidi locum esse, quotiens ista tua dominandi cupiditas inardescet sed in te ipsum verte oculos, ac vicissim calceos zonam, amictúmque tuum contemplare acriter, videbis nil tibi purpureum, & sub Christo famulatum redolere omnia, non semper homines principatum. Ad summam, si nullis ad hoc seu iurgiis seu monitis seu precibus flecti potes, vt ridiculum tyrannidis appetitum exuas, at saltem pacis amorem indue, ne vel à consortio exul hominum, bonæ voluntatis, quibus pacem Angelicus præco denuntiat, vel in testamento, quo Christus pacem suis legat, exheredatus aut præteritus videare. Cura, si sa-

pis, vt quod cupis satis diu, facias dominandi auidus, seruire cupientibus impera, dominare, frater, dominare volentibus, sed in parte, quæ sola quidem & parua ai ge-re potens est & dissipata colligere, & exanguia refoue-re: dominare, sed integra in vrbe: siue id iam quoniam fieri nequit, his ipsis ruinis dominare placatior, nec lace-ram iam amplius lacerandam implacabili censeas feri-tate. Ne accingaris linguæ tuæ gladio semper, sed pru-dentia & facundia tua intende prosperè procede, & quan-do ita vis, ciuésque volunt tui, regna, & attende sequen-tia. Propter veritatem enim & mansuetudinem & iu-stitiam, quæ pacis vtique sunt sorores, deducet te mira-biliter dextera tua. Memento vt Gedeon, cùm audisset à domino: Pax tecum, ne timeas, erexit altare domino, & dominicæ pacis nomen imposuit. Noli tu de tuis bel-lis, quod supremo vitæ tempore Iulius Cæsar meditatus fertur, Marti templum extruere. Aliud namque belli-cosum principem aliud pacificum fratrem decet. In fi-nem si exẽplo Cæsareo delectaris & dominus mauis es-se, quàm frater, etsi nihil monstruosius à seculis auditum sit, si tamen astra consentiunt, imo si patitur deus, esto dominus, sed clemens & mitis & amator pacis, quod il-lud fuisse constat omnibus, in quorum manus illius epi-stolæ, quas per ipsum ciuibus belli tempus scripsit forte peruenerunt. Hoc vltimum quasi cæleste oraculum au-sculta: Stude potius, vt tibi bene, sit quam vt aliis malè, & caue ne odiorum aut inuidiæ stimulis populum tibi sub-iectum in extrema miseriarum, quæ iam vicina sunt, vl-timámque pernitiem impellas, néne, quod tibi, si saperes, summopere prouidendum erat, honestissimum ordinem quem professus es, supra gloriosum Augustini nomen & sacras heremiticæ vitæ delicias multorum religiosorum hominum deuotione humili fundatum tua tyrannica & vrbana superbia vel concutias vel infames: sed memor sub eodem tecto venerabiles ipsius Augustini reliquias tecum esse, eúmque sollicitum sui ordinis & amantem, fingens tibi semper imaginarium, vt dicitur, testem at-que omnibus quæ gesseris aut dixeris aut denique cogi-taueris, interesse. Eundem timeas tãto sub teste peccare,
atque

atque ea committere, quibus & tuus ille dominus ac magister, & omnium magister ac dominus Christus offenditur. Vale. Mediolani VIII. Cal. Aprilis.

FRAN. PETRARCHA CAROLO QVARTO ROMANO IMPERATORI, S. Epist. XVIII.

Increpatio quòd ex Italia discedat.

ITalos fines & claustra nostri orbis intranti nuper animo tibi obuius & literis fui, nec multò pòst à te vocatus & corpore abeuntem animo quoque sequor & literis. Hoc interest, quod tunc lætæ literæ lætúsque animus fuit, nunc mœsta sunt omnia: Ergo tu, Cæsar, quod auus tuus innumerique alij tanto sanguine quæsierunt tantisque laboribus, sine labore adeptus & sanguine complanatam apertámque Italiam, patens limen vrbis Romæ, sceptrum facile inperturbatum ac pacificum Imperium, incruenta diademata vel tantorum ingratus munerum, vel rerum non idoneus æstimator & hæc linquis? &, ô naturam mutare magnus labor, ad barbarica rursum regna reuolueris. Non audeo clarè tibi dicere, quod mens résque exigunt, ne te verbo contristem, qui me & mundum facto contristas tuo, non quod ob inuectiuas ac satyras (meritò panegyricum debeatur) aut aliam ob causam verum loqui verear: nisi quod hoc tuo tam præcipiti digressu fugáque, verum vti fatear: simillimo neminem te arbitror tristiorem, quò magis magísque me attonitum habet hoc consilium, cui an fortuna vnquam fautura sit nescio: certe ratio & virtus & boni omnes totúmque, si loqui possit, Imperium aduersantur, mali omnes plaudunt ac rebelles. Itamen, quando ita fixum animo est: sed hoc quoque memoriæ vt affigas velim, & valedicentis memoriale munusculum tecum feras, à nullo vnquam principum tantam spem, tam floridam, tam maturam, támque honestam sponte desertam. Neque verò minor animus Romanum principem decebat quàm Macedonùm Regem qui mox finibus patris egressus nõ se Macedoniæ dominum, sed terrarum omnium dici iussit, cùm non esset. Tu Imperij dominus Romani nil nisi Boëmiam suspiras. Quando hoc, quæso, fecisset auus tuus

aut genitor, qui etsi non Imperator ipse esset, sola paterni Imperij memoria tot vrbium ius quæsiuit. Sed non est hæreditarium bonum Virtus, quamuis ego tibi nec imperandi scientiam deesse crediderim, nec bellandi. Fōs actionum omnium voluntas deest. O si in ipsis Alpium iugis auus tibi nunc patérque fiant obuij! quid dicturos putas? Crede illos audias vel absentes. Profecisti eximiè, ingens Cæsar, hoc tuo tot per annos dilato in Italiam aduentu, & festinato abitu. Refers demum istud ferreum, illud aureū diadema, simul ac sterile nomen Imperij. Imperator Romanorū vocitabaris, Boemiæ Rex solius, qui vtinam vnquam esses, vt vel sic altius coacta virtus assurgeret, famésque domestica neglectum auiti cultum patrimonij suaderet. Sed iā breui impetu defessus calamus requiescat & verè, vt auguror, fatigatis auribus det quietem. Salutem mihi Lælius meus tuis verbis attulit, quæ mihi iaculum anceps & lætale vulnus fuit, simúlque Cæsaream effigiem peruetusti operis, quæ si vel ipsa loqui posset, vel tu illam contemplari ab hoc te prorsus inglorio ne dicam infami itinere retraxisset. Vale, Cæsar, & quid linquis, & quid petis cogita.

FRAN-



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILIARIBUS,

LIBER XI.

FRAN. PETRARCHA NERIO MORANDO FOROLIVIENSI Epist. I.

Varias sui seculi miserias describens, quàm sit hæc vita ad omne vitium procliuis exponit, idque variis exemplis illustrat.



GRAVEM curis, obsessúmque negotiis & perosum cuncta quę video, nec aliter quàm fessus atque aridus ceruus solet, ad vmbrosum fontem, ad solitudinem vnde latratu canum sequacium pulsus est, atque ad silentium aspirãtem, epistola tua parumper auertit, quæ tam longa interfuisset, vt quod ad exiguum tempus fecit, rerum me præsentium obliuisci in perpetuum coëgisset. Ita enim me seculi nostri miratorem scito, vt vix fuisse aliquid vlla ætate, miserius, aut extremius putem. Vnum me solatur, quod si nasci oportuit, & penitus necessarium fuit, vt inexorabilis Clotho nos ad prædurum huius vitæ limen impelleret, nec prius in lucem erumpere datum erat, minus mali fuerit nunc natos esse, quàm postea, talia de posteritate coniecto, trepido, vtinam ludar, augurio Sed hanc

mihi spem de se nostra tribuit iuuentus, ea indoles, hi mores sunt. is notorum modus, & terminus studiorum, deliros etiam senes nostris iuuenibus admotos sapere ad inuidiam putes, & fœlices dicas, quod pridie nati sunt, sic mundus indies ad extrema præcipitans secum omnia, in deterius trahit. Mitto autem quandoquidem & quid serior ætas actura sit, quod de Sergio Galba fertur dixisse Tyberius Cæsar, ad nos nihil pertinet, & cauendum est, ne maior ingenio sit querela: néve mihi forsan occurrat illud Senecæ, vbi ait, Omnem ætatem de moribus suis questam: credo enim: sed ni fallor, quod ad mores attinet, nulla vnquam dignius quæsta est. Illud non omiserim, quod ab amantibus sese, & sua cuncta mirātibus opponi posse video. Non sum nescius Italiæ vulnerum, quę nūc, quæve olim perpessa, iā malis induruit, & callū crebris cicatricibus superduxit, quanquam non Italia tantùm, sed terrarum orbis, ab origine clades tulit innumeras. Quid verò est aliud breuis hæc vita, quàm mors longior? Quid aliud terrena habitatio, quàm grauis seruitij fœdus carcer, & iugis mœstitiæ cæca domus? Scio: Sed aliud est ab hostibus, aliud à vitiis obsideri, vrgeri, premi, vri, vastari. Deficit aliquādo hostis externus, & ipse alium fatigando lassatur: denique omnis hominum incursus breuis, nec vllum omnino bellum mortalium immortale est, cum auctoribus suis intercidat oportet, & suis ipsum viribus extinguatur. Vitia spatio temporis augentur, & exercitio roborantur, & quò plus nocuerint, incipiunt plus nocere. Nemo crudelior quàm qui diu fuit, nemo tam citò luxuriæ succumbit, quàm qui sæpe succubuit. Multis ex actibus habitus fiunt, & assuescendo carnescimus, vt pronos in terram sternere promptum sit. Sic æuo crescit auaritia, sic senum pertinacior ambitio est, & sic reliquis pestibus processus est suus, néve mori vnquam morbus possit, ægrotorum intemperies facit. Cum his hostibus res est nobis, quibus modò non resistimus, sed fauemus, & vltrò nostros in iugulos ferrum damus, quinetiam mirum dictu, si lentescere cœperint, irritamus illos, quasi, minus miserum fieri sit miseria summa. Quod passim in multis modò senibus, vsque ad fastidium videmus

qui-

quibus nihil obscœnius sol videt. De quibusdam legimus, atque in primis de illo, cuius paulò antè memini, Tyberio quem apud inferos quoque dij sui, deæque malè torqueant, ita mihi stomachum torquet, bilémque agitat, quotiens senem illum lego, miris & infandis modis, atque inter cæteros relatu etiam turpi, spectaculo concubitus monstruosi, vt Tranquilli verbo vtar, deficientes libidines excitantem. Hinc illæ ridiculæ, infamésque nostrorum senũ querimoniæ, quod solito minus voluptatibus æstuent quod malesuada titillatio, & pruritus iuuenilis abscesserit, quod gulæ, somníque & ventris illecebris, destituti sunt: postremò quod vires corporeæ ad cædem, carnificinámque defecerunt: at quid peius est, sanguinarium esse velle, quàm esse, quamuis qui malus esse cupit, vtique iam malus ac pessimus est. Nec quisquam peior, quàm qui peccato studet & flagitio gloriatur. Delectari equidem in malis, propè malorum omnium est natura. Vnde peccandi consuetudo iucundissima, apud Ciceronem dicitur, in mediis sanè delectationibus inhonestis, molestum aliquid pati, & velut frenum aliquid sentire libidinum, malorum adhuc est, sed ad meliora tendentium, & quos sæpe de magnis tempestatibus liberatos, in portum peruenisse cognouimus. Effundi autem in malis, & efferri lætitia, & gestire, & niti, & quod est omnium pessimum gloriari, prope vltimæ, desperatæque nequitiæ est. Horum verò plena sunt omnia, hósque inter viuendum est nobis, & si inter hos tantum, ac non etiam ex his sumus, bene est, quanquam conuictus sceleratorũ, nullis sit molestior, quàm his, qui ab illorum moribus insigni dissimilitudine secernuntur. Vtcunque est inter hos viximus, & quod Psalmista regius deflebat: Inueterauimus inter inimicos nostros, quódque miserrimum dixerim, inter hos ipsos moriendũ est. Quò enim patet fuga? Quò ibimus? Quò non nos sceleratorum acies ac signa præcesserint? Vbi non pessimis moribus imperium partum atque firmatum sit? Trans Oceanum nauigandum erat, nisi quia credibile est, vitia nostra iam ad Antipodas descendisse. Ad cœlum potius euolãdum, nisi nostris ad terram ponderibus præmeremur: illa si salui esse cupimus,

deponenda sunt: quod facile factu esset, nisi quia malorum exemplo obruimur, quorum cùm feracissima aetas nostra sit, vt dixi feracior est etiam sperando posteritas. Pugnarũt quidem maiores nostri aduersus Poenos, Cymbros, ac Teutonas & Britannos, ægrè vel Italiam ab Hannibale, vel Capitolium à Senonibus defenderunt, omnium tandem vera & indomita virtute victores. Nos si Capitolij nostri arcem, à tanto Barbaricorum vitiorum circumfuso exercitu defendimus, ad tutelam nostram, cœlesti alite excitati, si circumstrepentibus vulgi erroribus immota fronte resistimus, & Manlio & Mario, & ipso Cæsare fortiores erimus. Illos enim ab hoste murus interdum, vallúmque dirimebat, sæpe noctibus quiescebant, hyemis asperitatem hybernorum solatio leniebãt: nobis nulla quies, nullũ sine periculo tempus, nõ bruma nõ induciæ, non nox. Nihil vsquã tuti pacatíque est, assiduè de salute certamus, semper in acie stamus, tentamur, circũsidemur, impellimus. Hostes intra muros sũt, iámq; armati ad ipsam rationis arcẽ sese ferũt, vineásq; applicãt intẽtant arietes, moliuntur incendia, curros scandũt, nec secus aliter quàm apud Ilion quondam hærent parietibus scalæ, scalæ criminum parietibus animarum. Quid expectas vt dicam? in ipsas mensas nostras, atque cubilia irrumpunt, & in iugulos ruunt. quódque proximum exitio est, vulgꝰ omne pro hostibus partes facit. In hoc tam ancipiti, duróque certamine, non nisi de cœlo speranda victoria est. Inde eam amicè poscamus: interea etiam tamen vbi sim video, non moueri nequeo, interdúmque tam grauiter, vt meæ sortis impatiens, mœstis pene vincar angoribus. Aberrasse fortè à proposito videor: tulit impetus, sed redeo. His ergo hodie curis implicitus, quas mihi circumstrepentium rerum fragor, satietásque pepererant, dum thalamo egrédior, epistolam tuã in limine obuiam habui, breuem quidem, è longa veluti peregrinatione succinctam, quæ licet ad me seró admodum nescio quibus obicibus retardata, peruenerit, ita vt quæ nũtiat, mihi iampridem omnia nota essent, nempe cùm interim, ante eius aduentum Cæsar noster, de quo illa loquitur, non modò coronatus, sed velut vmbra vel som-

nium

nium nobis ablatus sit. Cuius ego abitum acutis ac feruidis literis prosequutus sum: Epistolam tamen ipsam non aliter, & amore mittentis & dulcedine sua captus aspexi quàm ij nolle omnia nuntiaret. Multa illa quidẽ qui fessis ac properantibus mos est, paucis illa verbis expediit. & qualiter affectus singula putas, audierim. Atque in primis Lælij mei nomen, cum quo dum potes cupidè oro versare, totáque illum mente complectere. Digni estis alterutro. Sanè quod sequitur, nostræ gentis aduentu, Pisanum populum graui suspicione turbatum, mirari non debes, nam neque gens vlla suspiciosior, & vipera nostra terribilis, rubentem dentibus virum stringens, securos quoque sollicita. In quo Cæsaris prouidentiam laudo, quæ & pauori ciuium succurrit, & pudori multũ occurrit. Quod verò de patria mea scribis, lætè admodum audieram, sed lætiùs legi, & Romano principi obedientiam non negari, & si qua iam toto orbe neglectæ libertatis cura est, eam in patria mea esse. Vltimum nihil miror, quod de auri potestate facetissimè cauillatus es: scio enim esse verissimum illud Flacci:

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius,

Ictu fulmineo, quod ipsum in libris Metamorphoseos ponit Apuleius. Certus (inquit) fragilitatis humanæ, fidei, & quod pecuniæ cunctæ sunt difficultates peruiæ, auróque soleant adamantinæ etiam perfringi fores, quàm latè patens, & quàm nota sententia est, quæ non modò Philosopho, sed philosophanti tribuitur asello. Legisti credo apud Pomponium Melam Cosmographiæ lib. tertio esse gentem Æthiopũm, auri ditissimam æris indigam, cui raritate, & frequentia prætia rerum alternantibus, & ornamenta ænea, & vincla sunt aurea. Nobis, amice, omnia iam ex auro sunt, & hastæ, & clypei & compedes, & coronæ, hoc & comimur, & ligamur, hoc diuites sumus, hoc inopes, hoc fœlices, hoc miseri. Aurum solutos vincit, vinctos soluit, aurum sontes liberat, damnat innoxios, aurum disertos ex mutis, ex disertissimis mutos reddit. Auro concionatus est Metellus

in Cæsarem, auro, Demosthenes orator obmutuit. Aurum & de seruis principes, & de principibus seruos facit, & audacibus metum pauidis præbet audaciam, & curas inertibus, sollicitísque segnitiem. Hoc & inermes armat, & nudat armatos; indomitos duces domat, magnos populos premit, validos fundit exercitus, bella longissima paucis horis conficit, pacem præstat & eripit, siccat flumina, terras lustrat, maria concutit, montes æquat, pandit aditus claustrorum, vrbes aggreditur, expugnat arces, oppida demolitur: Et quod apud Ciceronem legimus: Nullus fortis est locus, in quem onustus auro asellus non possit ascendere. Aurum claras parat amicitias, magnas clientelas, & honesta cõiugia, quippe quod generosos & fortes, & doctos, & formosos, &, quod miraberis, sanctos efficiat possessores suos. Itaque qui diuites sunt, boni viri in ciuitatibus appellantur, eisque tantùm creditur. Nulla fides est pauperi, quia pecuniæ nihil adest, verúmque est illud Satyrici:

Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.

Postremò inuitus dicam, sed veritas cogit, nõ modò potens, sed omnipotens pene est aurum, & omnia quæ sub cœlo sunt auro cedunt, auro seruiunt, & pietas, & pudicitia, & fides, omnis denique virtus, & gloria aurum, supra se vident, inque ipsos animos cœlitus nobis datos, pudet fateri, etiam rutilanti imperium est. Metallum hoc reges ligat atque Pontifices, hoc homines, & vt aiunt etiam ipsos deos placat. Nec quicquam inexpugnabile, inaccessúmque auro est. Quod sciens Iupiter, vt custoditæ mulieris pudicitiam rapturus ferreas portas effringeret, in imbrem aureum sese vertit. Tali deo dignum opus. Deus autem noster pudicitiam amat, aurum spernit, auaritiam detestatur. Opto tibi valetudinem inconcussam mentis & corporis.

FRAN. PETRARCHA NERIO SVO, S. Epist. II.

Vbique Romanum imperium fælicius quàm sub Arcto.

NOndum superiori epistolæ signum impresseram, dum ecce alia superueniens coëgit, vt posito annulo, de-

lo, depositum calamum rursus arriperem, & quamuis tua haec, superiore sit longior, responsio tamen breuiori contenta erit. Nam nec casus nostri querelam iterare est necesse, quàm & tacitus loquor, & ipsa res clamat, nec quicquam prohibet, quod in illa dixeram ad hanc transferri. Neque enim aut minor est hodie dolor meus, quàm heri & nudiustertius fuit, neque minus efficax epistolæ tuæ hodiernæ solatium quàm hesternæ. Accedit quod neque de his, quæ nouissimè scripsisti, ausim apertè pronuntiare quod sentio, neque tu ideò minus quid sentiam, quídve pronuntiem intelligis. Sæpe silentium ad exprimendos animi conceptus, quouis sermone potentius fuit, nec minus silentio Niobe, quàm latratu Hecuba, dolorem animo insitum designabat: itaque cùm illa in saxum, hæc in canem versa fingatur, non minus mutum illius simulachrũ, quàm huius querula rabies, suam miseriam loquebatur. Illud non siluerim, agnoscere me Cæsarum fatum, quod & in occasu solis, & sub austro, denique vbilibet fœlicius fuerit, quàm sub arcto, ita ibi gelida omnia, nullus ardor nobilis, nullus vitalis calor Imperij. Redde nobis fortuna, si Romuleos Cęsares, Parcæ vetãt, ac saltem ab Hispania Theodosios, Seueros ab Africa [ex Arabia Philippos, è Syria Alexandros.] Heu quid nũc diceret architector ille magnus Monarchiæ, successorem suum, cum sacerdote humili, de humilitate certare, dum meminisset superbissimum olim Galliarum regem, dum supplex, vt ait Florus historicus, in castra venisset, phaleras & sua arma ante Cæsaris genua proiecisse, addidisse: Habe hæc, virum fortem, vir fortissime vicisti. Multa se offerunt in id genus; Nam & locuples materia & multiloqua indignatio est: sed frenabo impetum, ne qui hæc ipsa, non nisi ira cogente ac dictante prosiderim. Sanè de Cæsaris Legatique congressu, quod prouidentissimè vaticinaris amplector ac probo, & penè rem ipsam videor videre: non quòd omnia ista me moueant, contra quæ multa sæpe disserui, sed ex præteritis ventura conijcio. Itaque non tam angor, quod legati sui ipse iam Cæsarem calcitrarit, quàm quod calcitrare animos nolui, & scio quod omnis potestas est contra

tra

sortis impatiens [cuius rei nisi antiqua sufficerent, vereor ne recens nobis exemplum casus attulerit; nempe iam Pontifex Romanus, principem Romanum Romæ esse vetuerit, quod & fama loquitur & fuga Cæsaris indicio est, qui nõ cupidius Italiam petiit quàm reliquit, vt mihi quidem superuacuo pelli videatur qui tã libens fugit quem tenere si velis sine magno nequeas labore: vt enim nunc intelligo, non huc aliam ob causam venit nisi vt diadema Cæsareum sua in sede susciperet, tantùm adhuc reuerentiæ non amplius superest: ac successor Petri Cæsaris successore securior ista nõ curat, suúmque ipse diadema non pluris apud Tyberim quàm apud Rhodanum facit: Is me diademate contentum & imperij titulo Roma digredi non solum patitur, sed iubet: & quem Imperatorem dici sinit, imperare autem nullo sit securus modo, huic, ô partes hominum miræ, penetrale diadematis tẽplum aperit, arcem sedémque Imperij vrbem claudit.] Hæc hactenus. Lælium meum, imò tuum, imò nostrum, familiarissimum Cæsari factum gaudeo non miror, nihil enim est virtute rapacius, nihílque tenacius: rapit, vincitque animos hominum, victósque semel in perpetuum vinctos tenet. Nulla mihi dubitatio vnquam fuit, quin nõ solùm ab illo humanissimo Principum, sed ab alio quolibet licet asperioris ingenij, cui tamen virtus in pretio sit, posset ille vir amorem promereri, non modò notitia meruisset. Quis enim tam agrestis est, vt Lælium non amet, & sapientiæ laude cõspicuum, & in amicitiis fausti nominis? Quòd si sola virtutis fama efficit, vt quẽ nunquã vidimus, senem illum Lælium amemus, quid huius nostri virtus, ac præsentia posse debent? Itaque minus miror, quòd de Legato sedis Apostolicæ idem scribis, cum quo familiaritas Lælij vetus est, illud potiùs miror, quod et prioribus literis prætermissum his inseruisti, quod scilicet illum ad coronandum Cæsarem, diu antè digressum misisse præuenerit, nisi quia vt arbitror, & vt solet, illum supremus segnem, hunc sollicitum virtus facit. Vnum non mirari cum eodem nequeo, ambo pergerent, Modanóque dimisso Tyberim peterent, vnde reuerentior adhuc Romanus Princeps diadema supremum poscit, quod Petri successor

Cæsa-

Cęsaris successorem securior non curat. Qui fieri potuit, vt Cardinalis rubeo vertice, & purpureo fulgidus amictu, tantoque spectabilis comitatu, nostri hominis lyncea lumina fugerit, aut cum hic Pisas, ille vix dum Ianuam peruenisset, ita vt illi obuiam iste redierit. Auguror sane alterum terra, mari alterum venisse. De hoc equidem & de reliquo statu vestro, tuis ac suis literis certior fieri velim. Ad singula respondisse videor. Nam ad epistolę tuę finem de familiaribus cuius stylo alio & seorsum loquar vt soleo. Gratias autem tibi, quod quas ipse iam obliuioni tradideram, adeo vt ne locutum tibi de his aliquid me putarem, tam memoriter tenes, vt facile pateat, rerum te mearum curiosiorem esse quam meipsum. Mirum ac pene incredibile, nisi charitatis tuę miraculo incuriositas mea longe lateque nota detraheret. Vale feliciter, nostri memor.

FRAN. PETRARCHA GALEOTTO SPINVLAE IANVENSI, S. Epist. III.

Exhortatio ad Rempub. capessendam.

Nihil, o magnanime vir, nihil, inquam, lætius mihi fingo, quam serenam & imperio prædignam frontem illam, vbi inuicti animi tui nobiles lucent curæ. Nihil suauius retracto, quam verba magnifica: nescio quid non modo aliud quam plebeium & vulgare, sed quam humanum & mortale sonantia: nihil dulcius cogito, quam me gratiam ac beniuolentiam tanti viri vel sero meritum, quarum primitias clarissimo quodam in fratre prægustaueram. Et exilio illi tuo breui gratulor, & gratiam habeo quod te ad tempus in hanc vrbem compulit, & me dilecti antequam cogniti talis amici conspectu atque optatâ præsentia compotiuit. Postremo nihil iocundius exspecto, quam Rempub. tuam in qua principem te deus & virtus & maiorum sanguis faciunt, alienis modo motiunculis inquietam tua prouidentia atque auctoritate restitui. Nunc ergo quod sæpe iam fecisti, quis quantusve sis mundo ostende, eoque magis, quod te ipsum maior clarior altior factus es. Vera virtus senium non sentit: immortalis est; non ætate minuitur sed crescit, & ad summum venit,

& quae in iuventute floruit, in senectute fructificat. Tu quoque, qui non in sterili aut palustri solo, sed secus latices vivos in solido radicasti, totius nunc introactae vitae fructus uberrimos & maturam gloriam, patriae tuae debes. Ianua te vocat, in te sperat, auxilium tuum poscit: accelera. Non te aetas retineat. Senior Aratus Sicyonem, senior Trasibulus Athenas, senior Camillus urbem Romam servitio liberavit. Pium geritur negotium & huic maxime debitum aetati, dissoluta patriae membra componere, ut meliora deterioribus imperent. Cuius si contrarium fiat, necesse est ut, hominis, sic civitatis aut regni corpus morbis erumpentibus intabescat. Periclitari & aegrotare patriae tuae status incipit. Te illi civem egregium, te medicum exhibe, te parentem, ac ne plura quam res exigit loquens de tua virtute diffidere videar, nihil his addam, quin tacitus, sed non solus tuae vetustae indolis exitum contemplabor. Age oro, vir ingens, pie ut debes, fortiter ut soles, feliciter ut speramus: me quoque tuo vivere ut libet, si quis tantae rei tam parvae usus esse potest. Diu sospes nostrique memor vive, & vale. Mediolani XVI. Calla- [illegible]

FRAN. PETRARCHA MARCO IANUENSI S. Epist. IV.

Exhortatio ad incepti studii perseverantiam & de Antiquis Oratoribus ac Iurisconsultis, deque nostrorum temporum [illegible].

CRebras ex te literulas habeo: omnium una sententia est. Poscis, ut ad incepti nuper civilis studij perseverantiam te cohorter, aliquam vim profecto meae vocis existimans ad firmandum novitate rei fluctuantem animum, & magnitudine diffidentem. Quod ut ex me speres, hinc mei amor suadet, hinc tua persuadet humilitas, optima dos animi & ad virtutem veram, quae ad gloriam primus est gradus. Non temere, fateor, sed de industria responsum traxi, dissimulaturus in finem, si tu sineres. Difficilis nempe materia est, difficilior fortasse quam reris, in qua mihi vel loqui periculosum, vel tacere suspectum est. [illegible] enim fiam, ut sermo meus omnis haec in te ac-

cusatio fit, silentium cōtemptus, veritas odium, iocus irrisio. Desertorem suum vocant, & sic habent quasi qui vna sacris initiatus aris, postea violatis aut neglectis Eleusinæ Cereris arcana vulgauerint. Ego quidem, amice, illi studio puer destinatus à patre vix duodecimum ætatis annum supergressus & ad Montem-Pessulanum primò, inde Bononiam transmissus septennium in eo integrum absumpsi, eiusque quoad per ætatem & ingenium licuit, rudimenta percepi. Cuius temporis an me hodie pœniteat si roger, hæream: Nam & vidisse omnia, si liceat, velim & tantam perexiguæ vitę partem effluxisse mihi doleo, dúmque aliquid vitæ supererit dolebo. Aliud agere per eos annos potui siue nobilius siue naturæ meæ aptius. Neque enim semper in eligendo vitæ genere pulcherrima rerum, sed eligentibus apertissima præferuntur. Alioquin omnes homines vnum studium haberent, quoniam in rebus omnibus intentio. Quid de aliis fiet, siquidem ad philosophiam omnes aut ad Poeticam aspirent, quid aget nauigatio, quid agricultura, & reliquæ, quibus vitæ mortalis auxilium quęritur? Da omnes Platonas aut Homeros: da Cicerones, aut Virgilios, quis erit arator? quis mercator? architectus? faber? sutor? caupo? sine quibus magna ingenia esurient, tectóque cibóque carentes à ipsa nobilium studiorum altitudine distrahentur. Bene prouisum est vt curarum atque actuum humanorum varietas tanta esset, quo non solum maiora minoribus sed & minora maioribus ornamento præsidióque sunt. Non sum nescius, amice, de iuris ciuilis studio multis olim magnam gloriam quæsitam: ea scilicet ætate, qua iustitia vltro ab hominibus colebatur. quando apud eos, vt ait Salustius, ius bonúmque non legibus magis quàm natura valebat, etsi iam tunc propter infinitam rerum diuersitatem labilémque memoriam necessariæ leges essent, quæ hodie ad frenandam audaciam coercendásque libidines: & ob id potius, quòd absque his genus humanum stare nequit, quàm quòd virtus aut lex vlla diligatur, in pretio sunt. Harum igitur legum ciuilium repertores & interpretes & magistri multi diuersas apud gentes clari habentur. De quibus scrupulosius loqui vellem,

longum est. Clarissimum inter omnes nomē habet Solon Atheniensium legifer, qui cùm patriam suam Philosophiæ atque eloquentiæ notum fontem institutis salubribus adornasset, iam senior se ad poeticam transtulisse legitur. Quod si librato iudicio fecisset, quantum deserto studio præiudicium peperisset tanti auctoritas desertoris? aut quis proferre vereretur, quod illum tunc maxime prætulisse constaret, quando sibi nec animi lumen nec doctrinæ vbertas nec rerum longior experientia defuisset? Sed fieri, neque valde dissimile veri est, non comparatione studiorum vlla, sed delectatione sola & laboris fuga senem præstantissimum animo indulgentem suo durum & graue negotium dulci otio permutasse, vt non tam hinc exempla sumenda iuuenibus essent in Reipub. obsequium natis quàm ne senibus emeritis, siquid tale tentassent, venia negaretur exemplo viri talis expetitæ quietis honestissimæ. De quo ambiguo quid omnino diffiniam non habeo. Quis enim ariolari audeat, quid Solonem mouerit, præsertim cum etsi multa de illo, vnde tamen coniecturam facias nullum supersit illius ingenij monumentum? In re verò tam dubia, tam antiqua suspicionem meam nullis certis suffultam rationibus interposuisse ridiculum. Itaque tota res in dubio relinquenda est, & id agendum, de quo constat fuisse tempus, quo Iurisconsultis iisdémque oratoribus laus ingens esset. Quod genus certè rarissimum semper fuit, rarius quoque quàm poëtarum excellentium, quorum haud dubiè raritas nota est. Quanti enim ingenij est non modò ius ciuile infinitum olim, priusquàm ad certum redigeretur modum, (quod quidem Iulius Cæsar instituit, sed præuentus morte non potuit, multísque post seculis Iustinianus impleuit: nunc verò latissimum adhuc & multa casuum tenuissime differenti varietate perplexum, inextricabile, confragosum) verum insuper rerum pene omnium notitiam de quibus in iudicio vel dicendum oratori est cum artificiosæ orationis copia ac suauitate coniungere? summum, nisi fallor, & insigne miraculum intellectus memor atque mortalium quandoquidem scientiam rerum quæsiuisse non sufficit, nisi propter improuisos & subi-

uel insultus aduersarij discriminaque caussarum. Omnia in promptu & vt Augustini Cæsaris verbo vtar, in numerato habeas. Denique nec id ipsum satis est, nisi quæcunque vel ingenio studióque quæsieris, vel industria memoriáque seruaueris apposite ad persuadendum, vt Rhetorici vocant, hoc est accommodato rebus ipsis efficaci & ornato & motu[?] animos eloquio proferantur, Vt nemo mirari debeat tanti artificij professorum semper magnam fuisse penuriam. Neque enim vnam rem, sed innumerabiles profitentur, eásque non vt cæteri hominum, sed alio singulari & proprio quodam modo, & super omnia eloquentiam exquisitam. Quæ si per se sola considretur, magna & varia res est, nec, si Seuero Cassio credimus, adhuc vlli sic indulsit, vt tota contingeret. In hac quidem oratoria facultate, quæ tantis ex rebus constat, excellētes habiti magna gloria fuere, vt nō immerito & potiri regnum in dicendo & habere in potestate animos hominum dicerentur. Ex hoc genere est apud Græcos Demosthenes, Isocrates, & Aschines: apud nostros autē Cicero, Crassus, Antoni⁹, aliquot alij præterea, sed hi tres facile principatum tenent: Etsi Iulium Cæsarem ad summam eius gloriæ vel venisse, quod ne hostes quidem sui negant, vel certe venturum fuisse non sit dubium, nisi illum gerendarum rerum occupatio, & bellorum labor & pondus imperij distraxissent. Deinde autem, vt sæpe in summo breuis est mora, & semper facilis descensus, ad illos descendendo peruentum est, qui fastigio eloquentiæ derelicto, aliam laris notitiam adepti in ea quidem excellentissime floruerunt. Quo in genere Romæ Græciam cessisse nouissimam, Hic népe sunt illa tuę professionis veneráda nomina, quæ vos antiquissima soletis opinari, cùm propemodum noua sint atque recētia, Iulius Celsus, Saluius Iulianus, Neratius Prisc⁹, Vindius Verus, Saluius Valēs, Volusius Mæcianus, Vlpius Marcellus, & Iabolenus Scæuola, item ille breui loquutam aliquante eum: hoc nomine fuerant vel virtute animi vel augurio vel pontificio clari. Sub hoc sane pernouissimo professus est: Papinianum, quem si ritè recolo, iura ipsa ciuilia acutissimi ingenij virū docuit: Ælius autem Spartianus histo-

ticus Iuriaasylum, doctrinae regalis thesaurum appellat. Quorum primi tres sub diuo Hadriano, quique proximi sub Antonino pio nonus sub Marco Antonino Philosopho prudentissimo principe claruisse noscuntur. Decimus verò sub Antonino Bassiano crudelissima belua, à quo tandem, quia parricidium eius excusare noluerat, interfectus est. Post hos Iulius Paulus & Domitius Vlpianus Iurisperitissimi, & qui Papiniani assessores fuerant, sub Imperatore Aurelio Alexandro multo inchoatore vixerunt tantáque cum laude atque opinione omnium, vt ille quidem summi Imperatoris nomen habuerit, ob id maxime quòd talibus consiliis Rempub. gubernaret. Sed eo reliquos illustriora pertinxisse satis sit. Quod id certo diligentius feci, quia pars magna legistarum nostri temporis de origine iuris & conditoribus legum nihil aut parum curat, didicisse contenta quid de contractibus, deque iudiciis ac testamentis iure sit tantum, vtque studij sui finem lucrum fecerit, cum tamen artium primordia & auctores nosse & delectationem animi non vacet, & ad eam, de quo agitur, notitiam intellectui opem ferat: cùm praeterea ille mechanicarum proprius, liberalium verò & honestarum artium liberalior quidem & honestior sit finis. Iam tibi, si praemissis animum applicuisti, studij tui descensus alter ostenditur, sed maior multo, quàm primus. Neque miraberis si hic quoque respicias ad naturam rerum fere incertarum, quae cùm semel labi coeperint ruunt, ruinámque suo pondere praegrauant: vt cùm facilior, cum grauior à mediis ad ima, quàm à summis ad media casus sit. Certè vt primus à doctrinae multiplicis & coelestis arce facundiae ad veram aequitatis ac ciuilis scientiae disciplinam fit, secundus inde ad loquacem ignorantiam gradus fuit, vnde iam cadendi amplius, plena, ni fallor, securitas parta est. Quid enim iam insci leges à patribus tanta vel grauitate animi vel ingenij facilitate descriptas, aut non intelligunt, aut obliquant. Iustitiam tanto ab illis cultam studio dehonestant, quam venale mercimonium fecere. Lingua illis, manus, ingenium, anima, decus, fama, tempus, fides amicitiae, ad postremum

omnia

omnia venalia, neq; pluris pretij quà par est & quã nulla proportio temporum ac morum. Illi iustitiam sacris legibus armabant, hi exarmatam nudatámque prostituũt, apud illos veritas in pretio fuit, apud hos fraus: illi certa & inconuulsa responsa dabant populis, hi dolis & fallaciunculis lites alunt, & quibus iudiciaria cuspide perimendis asciti sunt, fieri cupiunt immortales. Quid pluribus morer? quisquis horum promptius reluctantem & & inuitam legem ad libidinem suam traxit, is & Iurisconsulti munus impleuit, & docti viri meruit nomen. Si quis autem rarus procul ab his artibus rectum nude callem veritatis arripiat, præterquam quod lucri & gratiæ exors est, rudis insuper & insulsi hominis sit subiturus infamiam. Ad hoc iter tarde susceptum tibi, quasi difficultatis horæque conscius, adhortationis meæ calcar exigis. Nescio quibus verbis id faciam. Non sunt enim leges malæ, quamuis ad salutem publicam inuentæ sæpe in perniciem conuertantur: Sicut nec aurum ideo malum est, quia multis peccati, multis periculi causa fuit, nec malum ideo ferrum, quia, licet in vsus hominum optimos, in culturam terræ, in tutelam patriæ repertum semel, sæpe vel exitij singulorum, vel belli ciuilis occasio est, alioquin si omnia, quibus male vtuntur homines, mala essent, quid omnino vspiam non malum? non corporei sensus, non ingenium, non opes, & hæc, quibus pascimur, alimenta Dei. Ipsa misericordia & patientia abutuntur multi, & sæpe quorum natura optima est: nostri peruersitate vsus est pessimus. Bonæ equidem leges sunt, mundóque non tantum vtiles, sed necessariæ. At qui legum in exercitio versantur, & boni & mali esse possunt: & quò plures mali sunt, eò major est bonorum gloria. Humanorum sane actuum primas partes tenet agentis intentio. Multum refert quo proposito rem aggrediare. Neque enim res ipsa, sed agentis mens est, cui laus aut vituperatio debeatur. Illa est, quæ & bona in malum, & mala quæ videntur, in bonum flectit. Illa est, quæ vnam eandémque rem ad tam varios fines trahit, vt non res vna, sed duæ

prorsus contrariæ videantur. Vadit ad templum sacerdos, vt sacris vacet: vadit adulter vt libidini seruiat, & ante aras de luxuria, & intra ipsum lupanar pudicitia agi potest. Saul Rex seruauit Regem Amalech, qua clementia inexorabilem iram Dei meruit. Phinees verò Israeliticum virum & alienigenam mulierem gladio confixit, quæ seueritas & Deo accepta & Populo vtilis, & sibi extitit ad perpetuam famam iustitiæ, gloriosa. Ecce non cuiuscunque iudicio, sed Dei in manu facinus: homicidium placet, humanitas reprobatur: mille talia numerem, si necesse sit, sed vno omnium gustum habes. Iuris ad scholam illum lucri cupiditas, hunc iustitiæ amor ducit. Aderit extimator mentium & discretor intentionum & distributor ingeniorum Deus, vt ille mercenarius & circumforaneus strepitor, hic præclarus boni & æqui professor & iustitiæ patronus euadat. Iam ex his omnibus, quò pergam vides. Si re integra consuleres, totam mihi relinqueres consilij libertatem, iuberem multa te circunspicere, ingenium ac studium æquis lancibus librare. Sunt enim vt rerum, sic intellectuum gradus: alia aliis debentur ingeniis: respectum ætatis ingererem: omnino eius, cuius temporaneus fructus exigitur, maturum & precox decet esse principium. Non fructificat Autumno arbor, quæ Vere non floruit. Itaque quamuis alij teneræ ferias dent ætati, tamen eruditissimis iuris placet magno profectui destinatus animus, non tantum ab infantia, sed ab ipso nutricis lacte formandus est. Difficultates obiicerem multas quidem, ante alias coniugij iugum collo haud sane leue impositum, & cui non sarcina alia, sed releuatione potius opus sit. Magnæ corporis, magnæ animi vires sunt, quæ simul & literis sufficiant & uxori: impensæ rationem habendam dicerem, & laborum. Ex nulla enim fere artium, aut oblectationis minus, aut plus tædij prouenire. Postremo non negligendam assererem famæ curam, quæ in hoc statu lo-

tu legum magna possit fortasse contingere, non diuturna. Enumerarem causidicos nostrorum temporum, quorum nominibus nihil paulò antè sonantius, nihil hodie raucius, nihil ignotius. Nunc verò quia non agendæ consilium, sed peragendæ rei poscis auxilium, & quam solam posse videor verborum opem, hortor ac moneo, vt hanc saltem studio, cui te vel iudicium vel tua sors appulit, constanter inhæreas, neu quotidie noua vitæ consilia ordiare. Nil turpius viatori quàm nescire quò tendat: nil viro turpius, quàm nescire quid velit. Nequicquam vela feceris gubernaculo amisso. Ibis enim, quò te non ratio tulerit, sed fortuna. Nobis fixum à principio debet esse, quò peruenire velimus, ne crebra mutatione propositi quod in nocturno errore viæ accidit, dum procedere credimus, reuertamur. Quæ res facit, vt ætate decrepitos puerilibus animis videamus, quasi ad ipsum vitæ limen, vnde discesserant, reuersos, ex errorum tenebris elusos, & consiliorum vagis anfractibus fatigatos. Multis ego per hos annos te deliberationum fluctibus iactatum & incertis opinionum flatibus fessum vidi: incipe bona fide, precor, vnum velle. Cum ad vnum litus proram verteris, vni vento vela dederis clauum regens, tum demum nauigatio certa erit, tum certe progrediere, & si non forte quantum cupies, at quantum cælitus datum erit: Progrediere, inquam, non rotabere. Nihil est enim tam quieti aduersum, nihil tam vertigini proximum, quàm rotari. Ad summam de his omnibus hæc sententia mea est: Sicut inter primos maximum, inter secundos excelluisse magnum fuit, sic temporibus collatis inter tertios excellere non exiguum, nec indignum laude iudico, modò hic sit animus studentis, hic terminus studiorum, vt voti compos effectus non cultor nequitiæ, non mendaciorum sator, non pecuniæ aceruator, vt reliqui, sed defensor iustitiæ & Reipub. propugnator, sed audaciæ terror aduocatorum & iudicum, auaritiæ frenum, portus denique

miserorum & scopulus sit nocentum. Vale Mediolani, V. Cal. Iunij

FRAN. PETRARCHA BARBATO SVLMONENSI S. Epist. V

Vt sit cautior.

NVnquam hercle ad me literæ perueniunt tuæ quin vel gaudio cumulum ferant, vel solamen curis. Id cùm semper, tum solito largiùs nunc fecere familiares, amantium omnium metum atque suspicionem, quibus absentia longúmque silentium vires dabant ex animo secludentes. Accessit ad gratiam quod cum tuo simul illius egregij & exoptatissimi viri nomen proferebatur, quo delector vnice & mira nescio qua non nisi hominis suauitate reficior. E duobus vnum facit. Et eorum sane, quorum alterum sub obtentu meæ familiaritatis tibi obrepsisse memorasti: alterum, Bononiensem illum scilicet, plane noram, alterum vero Transalpinum minimè. Quæso vt deinceps sis cautior, neu passim singulis in ore meum nomen habentibus pecunias largiaris. Tam late enim nostra amicitia nota est, quod si blanditiis huiuscemodi hominum viam aperias, actum est cito. Nō modo crumenam tibi exhaurient, sed arculam, sed domum. Ille quidem mihi, quem notum dixi, si ad nos redisset haud dubie multis de te vocibusque rumoribus nos impleßet: verum is absens, Ne tibi succenseas, quin potius misereare: inopino prorsus & misero fine præuentus diem obiit. Proinde manu eius ad te Parthenias meus, quem petieras, peruenisse debuit his ipsis digitis exaratus. nec non & carmen breue quod inter epistolas tibi inscriptas proœmij locum tenet. De reliquis modo quid mittam & quid non sperabam ipse trahente hinc inexplebili dolorum, hinc animi voluptate, Romam petere, positurus iam tandem peregrinationibus, ne dicam erroribus meis modum, idque iam ante hoc biennium factum esset; nisi me Ligurum motus Transpadanis compedibus tenuissent. Ibo tamen, vt spero, aliquid nugarum nostrarum, quarum semper appetentissimum te memini mecum ferens. Tunc te meo iure Romam euocabo vel ipse,

quod

quod pridem cupio, in Pelignos, si qua dabitur, penetrabo. Interea conspicuum illum virum mihi cognominem, nec minus vnanimem saluere iube & vale. VI. Cal. Septembris.

FRAN. PETRARCHA FRANCISCO SANCTORVM APOSTOLORVM, S. Epist. VI.

De interceptione literarum querimonia.

LOngi silentij mei pro literis tuis nescio an acrius, an dulcius, an reuerentius, an liberius increpitus sum. Causam breuibus accipe. Multis primum me diebus tenuit meorum impetus studiorum, cui nihil interpositum vellem. Et scribendi calor, qui vt vehemens in fine, sic delicatissimus esse solet, minimisque tepescere. Accessit & peregrinatio tua, quae diu me fecit incertum: nec dum incertus esse desij vbinam meae te literae reperturae sint. Et nuntiorum raritas, familiare incommodum mediis, & in vrbibus (dictu mirum) haud aliter quàm in syluis solitario degenti. Nec verò negauerim per hoc tempus, quod tacitum iure mihi querens, aliquid me dictasse, quae relegens mittenda non censui non aliam ob rem, nisi quia nimis vera, nimis libera visa erant. Nihil enim seculis nostris inuisius quã duo haec, veritas & libertas. Itaque praescendum duxi ... vnum, qui cum esset mihi facillimus semper in gratiam reditus, silentio rodere quàm multa eorum hominum, quos mihi iampridem sola veritas hostes fecit, rursus infestae vocis aculeo vulnerare, quorúmque nonnullis cruentae cicatrices nondum haerent, nondum vetustorum dolor vulnerum recedit. Nec illud inter praetereunda posuerim, quod saepius quaesti sumus, epistolis quidem tuis stili decus obstare, ne ad me intactae, aut nisi post longum tempus, veniant: nec stili modò, sed apicum raram & insolitam quandam formam, hinc rerum ac verborum gratia cum natiua specie ingenij, hinc digitorum aduentitio ornatu, animum simul oculósque intendentibus. Contrà autem meis ad te ire volentibus quid

obstet, nescio, cum id sciam, plurimis me misisse, quae nullo modo subsistere quasi matronae severiores, à quibus nollent turpibus velut adulteris viris passae. Sic non sola nobis actuum sed affectuum quoque libertas interiit. Proinde nuper Patavio rediens (illic enim ex negotio ieram, etsi Venetias ex otio petiissem) in ipso itinere formosissimas duas ac gemellas, quas novissimo partu viro foecundissimum tuum pectus effuderat, inter quorundam manus reperi, non malorum quidem hominum, sed quos mirari ista magis stupeam, quam si talpa speculum mercetur, alas bos, asellus citharam, redimiculum simia, fucum corvus. Et quid putas? laetus abij, quando similiter haere secundae iudicio una illis, altera mihi cessit in partem, qui tuo solus elogio scriptus eram. En, amice, causam pollicitus silentij causas solui. multa nunc etiam scripturus, nisi quia temporum premor angustiis, quas ipse mihi feci, imò verò communis suavissimus convictus, cui, si brevitas dempta esset, praeter te unum nihil defuit. Non sensi blandos & tacitos dies labi. Sed quod calamo vetitum, vox peraget. Hunc ergo audies plena fide, qui omnino, quid cogitem, & quid agam, quae vita mea sit, denique qui me totum & omnes [illegible] speculas meas novit. Vale nostri memor.

FRAN. PETRARCHA FRANCISCO SANCTORUM APOSTOLORUM s. Epist. VII.

Quod amicum adversa tempore dimiserit se poenitere, pudere ac miserere significat, nec antè animo quietum esse dicit quam in patriam incolumem pervenisse didicerit.

NOn tuam, fateor, legere visus epistolam sum, sed Flacci, cum quo iocans Caesar: Vereri, inquit, mihi videris, ne maiores res libelli tui sint, quàm ipse es. Sane quae illi defuit, tibi adest mediocris & elegans statura. Sibi ergo vel ludrica tibi quaenam tantae brevitatis excusatio iusta est? Sed quid loquor? provi-

prouidisti enim & omnem hanc calumniam in angustias temporis reiecisti. Credo ædepol, nam & ego persæpe idem patior: vt cùm multa scribere cupiam, pauca sinar. Proinde quid quæris? an ad me literas peruenerint tuæ? proximo is ad te literis meis absolutum legeris & viua illius nostri voce cognoueris, quem saluere iubeo, cuiúsque nunc longam ad laboris historiam nil aliud dico, nisi quod pœnitet & pudet & miseret talem virum à me & meis, imò suis laribus tam aduerso tempore dimisisse. Sed vrgebat voluntas eius, cui prorsus obniti nefas credidi, etsi minaces auras, grauidum cœlum, turbida nubila, herbísque & floribus gaudere soliti vellus arietis imbribus vuidum viderem, vicissim monstrarem sibi. Quid vis? non aut Lycomedes Neoptolemum, aut in fabulis Phaetontem Phœbus mœstior dimisit. Sed quid agerem cum amico? nec horum alter cum nepote aliquid, nec alter cum filio potuisset. Cessi igitur, & dimissa animi mei parte anxius substiti, donec literis suis illum non exiguam ancipitis viæ partem emensum, Padúmque & comites supra solitum tumido tunc ore feruentes euasisse didici: non ante tamen animo quieturus, quàm cum suis aut tuis literis in patriam peruenisse didicero. Transmisso enim rege fluminum, superest pater montium Apenninus, cuius sibi iuga substrauerint oro, ille, qui solus respicit terram, & facit eam tremere, tangit montes & fumigant. Restat vt fatear, te pro his nouissimis diebus iure silentium meum queri, quamuis ad hanc ipsam querimoniam satis, vt arbitror, epistola superiore responsum sit. Quod si totum amicitiæ nostræ tempus ad calculum trahis, aut ego fallor aut tu mihi numero literarum adhuc debitor manes. Si quidem inter nugellas meas, quas epistolas quidam vocant, quásque nunc maxime cuiusdam ingeniosi hominis & amici digitis coaceruo, nullius formæ, quam tuum crebrius nomen erit, licet vel tua vel mea vel amborum sors simul intemperans & inepta, nec sui potus appetens quorumdam scholasticorum sitis multas vt audio tuas huc & meas illuc properantes

auerterit viue & vale Mediolani, III. Idus Aprilis, properè.

FRAN. PETRARCHA AGAPITO DE COLVMNA IVNIORI, S. Epist. VIII.

Excusatio cum admiratione.

EPistolæ principium tuæ lætus legi, progressus mæstus, exitum incertus, stupens omnia, vsque adeo vt pene insomnis me legisse crederem, tam variè hucilluc hiantem stilo animum egisti, vt nec quid animi scribenti tibi esset, nec quam in partem suspensum lectorem depositurus esses, inter legendum præsagire possem. Quid vis dicam? Nondum mihi videor experrectus & adhuc somnio, nec quem sensum tuis ex dictis eliciam scio: sic amara dulcibus, leta tristibus, obscuris clara, dubiis certa permisces, vt fel melle confusum hausisse me suspicer aut nectar absinthio, aut si qua vsquam rerum similis mixtura, quæ gustum linguæ ambiguum, sed iam pharmacum huiusmodi, quo potestate animam dulciora tuis è fontibus expectantē vtcunque fando digeram, si possim. Prima epistolæ tuæ pars in memoriam iuuentutis meæ tuæq; vel pueritiæ vel adolescentiæ me reduxit, vbi quāta mihi per id tēpus egregiæ meæ indolis excitandæ, adiuuandæ, atque omnibus modis attollendæ cura fuerit, quo studio, quibus artibus ad solidum cibum te à liquido lacte prouexerim, quam denique semper te in primis habuerim, pia & memori diligentia prosecutus es. Ego autem, fateor, in amore cessurus nemini, in profectu nihil omnino mihi arrogo. Totum in te, quantumcunque est, quod pro tempore multum esse gratulor, non ego, nisi forte gaudendo & mirando & laudādo qui acres stimuli generosis amicis esse solent; non, quod sciam, alter quicunque mortalium, sed diuina largitas & iugis liber ardentisque vis ingenij tui fecit. Quod cum ita sit, gaudeo tamen tibi aliter videri, & delatam falsis licet ex tabulis tantæ gloriæ hereditatem non inuitus adeo. Itaque quicquid in re sit, hac tua à tergo relictarum rerum commemoratioē tam sedula, & hoc tali tuo testimonio de me nihil animo meo dulcius, nihil poterat esse iocun-

iucundius. Sed hanc mihi dulcedinem quanta proximus amaritudo respersſerit, dicerem expreſſius, niſi apud te ipſum loquerer, qui eiſdem in literis vtriuſque mihi materiam præbuiſti. Attingam tamen vicis ergò, aliis quidem verbis, ſed hac plane ſententia, & ſic dicis, vt ludens valeas videri, niſi quia obnixè nimis & ſerio ſtilum figis, me alternante & verſante res humanas fato ad magnas diuitias euectum celſioris ſtatus & ædificiorum inſigni quadam elegantia gloriantem: Te feci ipſius inclementia ex altiore faſtigio exulem atque inopem, ſed modeſto victu, veſte humili, ſubmoturóque imbrem tecto, & lare prorſus exiguo contentum, ad litus ſtudij Bononienſis ex illo, quo diu multúmque iactati ſumus, curialium tempeſtatum pelago, velut è graui naufragio eiectum ſpernere, fugere obliuiſti. Nec ſatis id fuerat, niſi illud inſuper addidiſſes, me, quod peius eſt, nequid verborum tuorum in hac ſaltem accuſationis parte variauerim, damnati iniuſtè ſuper tunicam innocentem ſortes mittere. Quod crimen me quantalibet intentione animi intelligere nequiuiſſe profiteor. Sicut nec illud, vbi ais, me arborem deſcripſiſſe vanitatum, cui inſertum eſſe tuum nomen audieris. Ego verò deſcripſiſſe me vanitatum arborem nullam ſcio, niſi quia ſi verum recognoſcere non piget, quicquid ſcribimus aut legimus, quicquid cogitamus aut loquimur, quicquid agimus aut optamus, tota denique vita hæc, aut certe magna ex parte vanitas eſt: &, vt ait ille, qui cum omni ſua ſapientia hanc ipſam publicę vanitatis infamiam non euaſit: vanitas vanitatum & omnia vanitas. De quo pridem breue opuſculum meo more ſtilóque nec elaborato penitus nec neglecto ſcribere aggreſſus: impleſſem vtique niſi quia trahenda res viſa eſt, quod noui vaníque aliquid quotidie affert vita hominum vnde maior vberiórque fit libellus. Cæterum nuſquam ibi nuſquam alibi hactenus tuum nomen inſerui, deſtituente quidem me materia, non affectu: quamquam ſi illuſtres æui noſtri viros attigiſſem, non dicam, ne tibi quod placatus non ſoleo, iratus adulari videar, at certe nec patruum nec patrem tuum ſilentio oppreſſurus fuerim. Nolui autem pro tam paucis nominibus claris,

tam procul tantásque per tenebras stilum ferre. Ideoque vel materiæ vel labori parcens longe ante hoc seculum historiæ limitem statui ac defixi: proinde quia vt dixi, obiectum mihi abs te crimen illud geminum testis ac nominis omnino non cupio. Vt his omissis ad intellecta respondeam, in eo quod de fortunarum mearum prosperitate dixisti, vide ne vel te aliquis, vel tu me luseris. Inficiari nequeo, mihi nescio quid anni census accreuisse, otioséque ac sedenti ingestum, quod multis occupatis sollicitisque negatum est. Quantum verò simul anni sumptus accreuerit, id nempe non extimant, qui obliquis oculis omne alieni patrimonij metientes augmentum, quæ semper eis exigua videntur, detrimenta non numerant. Illis ego nil amplius, quos satis sua torquet inuidia. Tibi autem, cui vitæ meæ ratione redditam ac probatam velim, hoc præterea dixerim: Plusculum est prouentus, & plustulum est impensæ: Sub anni exitum attritior, rubiginosior, laxior est crumena, non plenior. Itaque tanto iam tempore inter diuitias exacto nulla re ditior, nisi aliquot annorum accessione & contentu liberiore rerũ perennium factus sum. Hæ diuitiæ meæ sunt nõ quas inuidia prędicat, sed maiores multò & meo quidem, reor itidem tuo iudicio certiores. Neque tamen ista sic accipies, quasi me fortunæ pœniteat, aut vulgi more cõtra illam querimoniis attingar inanibus quod & illam vulgo aliquid magnum dici verè autem nihil esse per se ipsam magnis auctoribus fidẽ habui. Et illi vni mea omnis innititur fortuna, cui cum Psalmista olim dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ abunde, large, munifice, Et si non forte cupiditatibus, at profecto necessitatibus est consultum meis. Illi gratias Deo, qui multò verius, quàm Maroneus ille Tityri deus,

Nobis hæc otia fecit,

Adeo clementer & in vtrãque partem æquabiliter vt animum nec atque inopia, nec exundans copia fatiget, sed hinc illinc æquis, ni fallor, spatiis abesse me gaudeã. Diuitiæ meæ hactenus & mihi sufficiunt, & amicis non desunt egentibus, quique non vltimus opum fructus est.

est, vrunt inuidos, cruciántque mediocritatem optimam ac Cicero fretus eo amplius auream vocat, credo vt sic optimam probet inter illos, quibus nil auro melius esse persuasum est. Hæc ergo rerum optima, hæc verè aurea Deo præstante obtigit, vt tu saltem & mei amator & virtutis huic statui gratuleris, non insultes aut detrahas. Ego autem, si non hac quidem sorte contentus sim, quo progrediar? vbi metam figam? seu quid restat, nisi vt inter arma spes vnius gentis ascitus vno seu verius nullo oculo cum Archois gryphibus bellum geram? Et hoc quidem de operibus meis, de quibus hercle nunquam loqui cogitaueram, dicta sint, in quarum extimatione si à vero forsitan tua deflexit opinio famæ decepta vestigiis, non miror, quod & tempus & locus & ipsa rei natura errorem peperisse potuerit. Nam & diuturnæ nobis absentiæ moras fecit rerum status Italicarum, & liter inter præsentes rei familiaris extimatio eò solet esse difficilior, quò facilior est vel iactura mortalium, vel querela, dum vel superbia falsas opes simulat, vel falsam flet auaritia paupertatem. In eo sane, quod sequitur, quonam vel mei vel tui ipsius obliuione prolapsus sis, prorsum mirari satis & stupere non possum. Ais enim (quod vtinam ratione non expressa diceres, vt mihi liberum reliquisses dictum tuum, quod cupidissimè facerem, excusare) Sed dicis, te propter tuam paupertatem (quæ, vt est genus & virtus, quomodo tecum esse possit non intelligo) mihi contemptibilem effectum, si diis placet, propter meas diuitias, quibus, vt audisti, nec egeo nec abundo, quibúsque posthac minus ac minus vel abundare posse videor vel egere, quod mihi & incuriositas rerum maior & via minor in dies, cui illud viaticum quærebatur. Heu quàm vera sunt prouerbia! illud insigniter, Multos modios salis simul edendos esse, vt amicitiæ munus expletum sit. Ergo ego hanc tuæ opinionis iniuriam merui, vt aut propter opes, quantumuis affluerent, superbirem, quia scilicet plurium debitor inuidiæq; patientior

factus essem, quò altius ascendissem, eò grauius casurus aut propter paupertatem, non dicam te, quem inter omnes coętaneos tuos singulari quadam veneratione complexus sum, sed quemcunque despicerem: cùm contra sæpenumerò post diuitias despexerim, quos ante suspexeram atque colueram, non quia per se vel contemnendæ diuitiæ, vel amabilis sit paupertas, cùm à Philosophis hæc inter indifferentia numerari didicerim, sed quia, quod obseruatio longa me docuit, multis aduersitas fuit sola virtutum, prosperitas vitiorum. Verùm ego scribendo iam fessus sum, nec minus inquirendo, quod tibi venit in mentem vt hæc diceres & tuo stilo & meis moribus aliena; nisi forte silentium meum æquo longius, fateor, castigare hoc supplicio voluisti. Quam iustè non disputo: omnis apud me tanti viri castigatio iusta est, nec modò iusta, sed grata, sed iucunda, sed dulcis. Ac si mei meminisses, quem tu tibi fingis oblitum, neque tibi penitus persuasisses me quasi Circeis poculis nescio quibus diuitiis transformatum: non hoc contemtui ascriberes, sed naturæ. Nota tibi pridem tarditas mea est, & occupatio, & curæ, quæ inclinata iam diu, crede mihi, viatoribus acriores esse solent. Accedit & penuria nuntiorum. Quamuis enim tu mihi miror quàm exquisitissimam ædium insolitámque magnificentiam obieceris, ego tamen adhuc Ambrosij hospes sum, & in extremo ciuitatis angulo, sæpe etiam rure abditus quid agat vrbs, nescio. Tu vero iam vale, téque, si potes, ad credendum coge me nec diuitem esse nec inopem, & quisquis sim, quemlibet nō dicam tacitus sed mutus fuerim, tuum esse. Mediolani, Idibus Aprilis.

RESPONSIO AD EPISTOLAM TRIVM SIMVL AMICORVM S. Epist. IX.

Illis, etsi in vrbe omnium pessima habitantibus, cùm honesta sub pace degant, se inuidere, scribit Petrarcha.

TRicipitem epistolam tribus magnis textam calamis & trino murice coloratam ter & amplius lætus aspe-

operi, ad quam modo nil aliud nisi nil esse quod artificiosa non possit eloquentia, quę quantum sępe potuerit, si exequi velim, longior sim, quàm tempus ad hæc scribenda concessum, quod tam breue est vt nihil potiùs quam tam pauca scribere meus fuerit. Nunc sane vnum potuit, quod impossibile prorsus rebar vt Babilonæ scilicet habitantibus inuiderem. Inuideo quidem vobis in vrbe omnium pessima, sed honesto illo sub lare de gentibus malarum nato cupidinum & Babilonicis moribus inaccesso, denique simillimo campis Elisis, quos inter Auerni dolores ac miserias lætos dicunt. Hæc vobis simul omnibus, quibus tam multa sæpe singulis inter festinationem,& somnum,& occupationem,& auroræ metum & frigus & tussim, papirum quoque & calamum ac lucernam rebellantes, vt licuit, scripsi. II. Idus Ianuarias ante lucem. Viuite fœlices & valete mei memores.

FRAN. PETRARCHA IOANNI ARETINO S. Epist. X.

Gratulatoria illius status & sui nuntia.

Pone spem prolixioris epistolæ quæ terrere lectorem solita te vnum propter viui colloquij desiderium delectat. Iam hinc ne vagari valeam prouisum: hora, gelu, somnus, labor, occupatio, frenum stringent. Ad hoc papirus breuis de industria velut angustior area ad exercitium calami liberioris assumpta est. Equidem tuis in literis te procellis elapsum, neque tantum iam in portu nauigantem, sed in litore sedentem video: gratulor tibi: Nil de te lętius nosse potueram. Me autem versa vice noueris in periculis securum. O ferreum caput & in mediis tempestatibus quiescentem vsque adeo, vt nisi alios circumiactatos æquoreo turbine viderem & fragore nautico vndique pulsarer, in pelago esse me nesciam. Clauum regentis ad pedes sedeo, & fluitantem puppim non immotus certe, sed intrepidus teneo, & exitum opperior eo animo, vt omnis prope iam ventus meus sit, & in litore

quolibet portus mihi. Ita tædio illi meo rerum humanarum incuriositas primum, inde segnities, post securitas, ad postremum torpor obrepsit, & nisi superbum esset mihi tribuere, quod de Marco Catone scriptum est, ipse mihi quoque videor interdum & præsertim hac tristi hora noctis hoc scribens, eodem illo habitu, quo avunculum quondam suum Brutus inuenit; insomnis sollicitet & cunctis timens, securusque mei. Sed de hoc experientia viderit, imò quæso, non viderit. Stulti est enim periculum optare experiendi libidine. Reliquum est, vt plebeiæ togæ tuæ plus quàm Crassi diuitiis inuideam, & rustico lari tuo, quo vti prohibeor, suspirem. Vale Mediolani V. Calend. Februarias ante lucem, propere.

FRAN. PETRARCHA STEPHANO DE COLVMNA PRAEPOSITO S. ADOMARI, S. Epist. XI.

Literas tuas summa & sancta cum voluptate perlegi. De voluntate quidem mea te certum esse gaudeo, quæ etsi rerum argumentis careat, his se prodit indiciis, eminet, elucet, apparet: contrà ego de tua non aliter quàm de propria certus sum. Multa mihi de te literarum ipsarum sententiosa breuitas, multa quoque noster hic Cicero Pergamensis Arpinatis illius hostis. Sed ad persuadendum mihi de te nemo non satis est eloquens: nullus autem plura quàm animus ipse meus in silentio. Cupio te videre, quod & si taceam nosti & licet patribus conscriptis nulla prorsus nostri diuortij cura sit, illis tamen inuitis te video melioribus oculis. Illos vero, licet absentia mea delectentur, qua in te vna mecum sentiunt, illos, inquam vel inuitos video. Quid dixi? quasi non amplius quàm communi more illos videam. Introspicio ego illos, vbicunque sim, & lippus ad reliqua, mirum hac vt in parte sum linceus. Video animos affectusque abditos, & quod fortè non suspicantur, cogitatibus intersum. Actus enim non vnus ego, sed totus terrarum orbis, licet hactenus dissimulet, magis ac magis in dies videt: quos mihi

crede

credere, cùm planè viderit, non ferret. Vellem plura scribere, cùm vix ista potuerim. Nescio enim vnde hodie præter solitum ad calamum lentus & attentiam, quàm inciperem, fessus accessi. Vale vir clarissime nostri memor. Mediolani Cal. Maij.

FRAN. PETRARCHA LÆLIO suo S. Epist. XII.

Exhortatio ad æquanimitatem.

IAm duabus ex literis pergrauiter te turbatum sensi admiratus dolénsque, & multa mecum cogitans ad summum nihil inuenio quod tam tristem facere debeat, quicquid sit. Decet enim virum, hac ætate præsertim, induruisse iam contra omnes impetus Fortunæ. Optimum inter vitæ huius asperitates remedium est, quod nihil stat. Omnia humana voluuntur & fugiunt, vt acriter attendenti. Nullæ hic vel gaudij vel doloris materia magna sit, nulla metus aut spei causa diu, siquidem inter ipsos animi motus in ipsum, quod mulcebat aut angebat quódque vel minabatur vel blandiebatur, effugerit & intermedios apparatus euanuerit. Omnia hæc, frater, vel læta vel tristia in ictu oculi more somnij transibunt, vt pudeat experrectos de nihilo doluisse seu lætatos esse, inanes præterea spes aut metus de nihilo concepisse. Cesset igitur dolor, quæso conquiescat motus omnis grauitate tua indignus, & si dolendi causa est, cui per me possit occurri, quicquid id est, iube, parebitur. Non sum hodie tibi aliud scripturus, nisi quod Mediolanensis amicus noster, qui me patrem & te filium vocabat, cum & tu me senior sis, & ipse prouectus esse possem amborum senex iocundissimus ad æternam letitiam nunc hac aliquali mea tristitia profectus est. Etsi enim maturus æui valde erat, tamen adhuc mihi & curis meis gratum familiare solatium. Vir bonus & nobilis, sed non diues, supremo honore non caruit. Iacet in ipso Ambrosij vestibulo familiari suæ busto saxeo at vetusto. Dilexi hominé, à quo diligi nos sciebá, cuius in ore tu præcipuè multus eras, homine prope iam ad infantiã redactũ cuius oratio vtile vel mærentibus extorqueret. Disputabat assidue mecum & cum omnibus, quos

mecum deprehendisset de rebus ad Philosophiam aut ad Catholicam fidem spectantibus. Copia argumentorum erat inextimabilis, nulli hominum, præter me vnum, cedere dignabatur: in quo tamen non tam rationi vel ingenio, quàm amicitiæ succumbebat. Ingens ei scientiæ fiducia inerat. Omnes homines, sed in primis religiosos, quasi trunculis agitabat, nec rationibus vinci poterat, nec clamoribus fatigari. Quemcunque verbis aggrederetur, prius interrogabat, an literas nosset. Qui si negaret, quasi brutum animal spernebat excussóque capite tacitus abibat. Sin verò se nossé literas responderet, mox agebat, apparebat. & simul quæstio in medium iactabatur. & quicquid ille dixisset, irridebatur affluentibus verbis, & nunquam deficiente materia. Sæpe enim velut admirans percontabar, vbinàm libri sui essent, aut vnde tanta illa rerum scientia tam multarum? Ipse autem frontem digito contingens, Hîc hîc dicebat, & scientiam & libros habeo. Libri enim humanæ fragilitatis emendicata suffragia nonnisi propter defectum memoriæ sunt inuenti. Ridebamus omnes: nihil enim dicebat quod non crederet, & cum his opinionibus nescio quàm fœliciter ac lætissimè sibi erat. Nil iam fere, nisi grammaticè loquebatur, cum tamen illo loquente nihil vnquam Prisciano, nihil Aristarcho tutum esset, galeatis licet, tantis barbarismis ac solœcismis armatus in bellum ibat. Denique nuper librum scribere sub tuo nomine cœperat, quem vtinam consummasset relicturus nobis hanc velut ingenij sui prolem. Sed an impletum Virgilij exemplo flammis damnauerit, an verò Numam Pompilium secutus humo infoderit, an quid de eo aliud egerit, incertum. Triduo ante mortem solito tristior ad me venit, cúmque ego causam mutati oris exquirerem, ille suspirans Hodie, inquit, quintum atque octogesimum annum expleo, quantulum putas vitæ superest? quinque forsan & viginti annos ad viuendum habeo, breue tempus. Ad hæc ego subridens: ne dubita, inquam, triginta complebis. His lætior: Bene-

bene-

ne habet, inquit, satis est. Et hoc dicens abiit, nec deinde hominem vidi (neque enim aut moriturus apparebat, aut morbo alio quàm senio laborabat) donec die tertio dolentis mirantísque sub oculis Ecclesiæ inferretur more gentis ad vesperam, sepeliendus in crastinum. Hæc tam multa iocosè in historia tam lugubri, vt in memoria senis nostri lugeas simul & rideas. Ille quidem his moribus mihi talium inter grauiores curas auidissimo iam non conuiua tantum creber, vt solebat, sed prope continuus factus erat. Denique senectutem eius ruinosam ac labentem omni, qua licuit, ope sustinui. quod extremum potui . non abeuntem , sed sepulchri limen humentibus oculis prosecutus sum. Vale Mediolani Cal. Maiis.

FRAN. PETRARCHA LÆLIO suo, s. Epist. XIII.

Exhortatio querula ad reditum in gratiam cum amico.

ANimi tui statum ex literis intelligens & causæ nescius hortabar vt tranquillitatem solitam seruares, & mortalia ista contémneres quæ transeunt, & ad non esse festinant. Postea verò non sine graui animi mei vulnere causa mihi tuæ perturbationis innotuit, quod nescio cuius, sed profectò maledici oris flatibus accénsus contra tuũ ac meum Socratem exarsisses, tuum (inquam) Socratem ante quàm meum : idque te mihi , quod probè noueras grauissime dolituro, celatum esse voluisse nunc intelligo , Hinc maximéque rem tantam támque atrocem non ex te, sed aliunde didicerim. O quid dicam? aut vnde ordiare, qui omnino nihil præter meros dolores aut cogitare valeam aut loqui: sic & animum strauit & solitum vocis iter obstruxit mæror! Et ô vtinam nihil vnquam lætius illi accidat, qui dissidio vestro & dolori meo causam dedit. Ergo, ego frater, tã exigui tã nullius pretij sum apud te, vt in tanta mutatione animi in abdicando tali amico, tam fideli, tam veteri, tam probato non fuerim vel per literas requirendus, vel si id non mereor, saltem post factum per literas edocendus, præsertim cùm

mali totius, vt dicitur, causa sim: Audio enim viperea illam linguam, quæ tibi indignum illud virus infuderit, nil aliud ipsi Socrati obiicere, nisi quod ille mihi contra te scripserit. Quod quidem si sapientia illa tua, quæ ab adolescentia tecum erat & cum tempore creuisse debuerat cogitare omnia & circumspicere voluisset, ab omni parte falsum prorsus & inopinabile cognouisset. Occurrisset vtinam tibi Platonis historia, qui accusatorem Xenocratis amici sui, qui sibi tunc vt nunc Socrates tibi detraxisse ferebatur, respuit & abiecit rem impossibilem, dicens tam dilectum amicum & tam charum vices amoris sibi non reddere. Tu verò tam facile de amico nescio cui, sed vtriusque, vt arbitror, & quod certe scio veritatis inimico, credere potuisti. O nimium præceps & prona credulitas, quę mille olim euertit amicitias. Vellem tempus habere ad scribendum vt animum habeo. Multa hic dicerem, quæ silebo. In summa tamen amicitiæ venenum suspicio est, quæ quidem in generoso & alto corde non habitat, qualiterque nunc in tuum pectus obrepserit miror. Ergo Socrates tuus de te male locutus est. Cur quæso? aut qua spe? Quid tu illi feceras? aut quid ille lucratus est quando te mihi, quo nec ipse nec alius posset, odiosum effecisset? Non erat tantus furor credibilis de homine tam discreto. Licet enim extra orbem Italicum natus sit, nemo tamen animo & voluntate magis Italicus vixit, quod vt ita esset nos duo ante omnes mortales fecimus. Et, proh pudor! impudens obtrectator, non erubuit dicere, Socratem male mihi scripsisse de Lælio. Nunc tu viro sapientissimo atque optimo stulti & iniqui hominis crimen oppositum quid virium habeat intende. Si fixeris animum, si omnem iracundiæ motum nubémque propulseris, si ante oculos tuos totum ad hanc diem non modo concorditer, sed vna prope anima nobis actum vitæ tempus adduxeris, videbis vno verbo tria magna mendacia nullum colorem veritatis habentia. Quibus animaduersis ipsa veritas pro innocentia partes aget, ipsa me tacito tua conscientia perorabit & amicus apud amicum accusatus absentis amici patrocinio non egebit. Crede mihi, Læli, imò

imo equidem tibi crede, qui animos moresque omnium nostrum non aliter] quam proprios tuos nosti, & fortassis eò amplius quò profundius & incorruptius aliena cognoscimus quàm nostra tibi: crede, non alii: veritati crede tecum intus in animo colloquenti, non in auribus obstrepenti perfidiæ delatorum: crede, inquam, & vt spero iam credis quod nec Socrates de quoquam malè scriberet. Et si de omnibus, nunquam de te, & si de te, aliis, nunquam mihi. Quæris causam? Scit, quod ego non crederem potiusque sibi irascerer, quàm tibi. Verè hoc dicam: Duo estis, quibus omnia crederem, nisi hoc vnum si scilicet alter alterum accusaret, præcipuæque de crimine contra me aut famam aut statum meum admisso. Quod propositum illi, qui mea omnia plane nouit, ignotum esse non poterat. Qua igitur cæcitate animi vir cautus, etsi odisset vtique, cuius audeo dicere nec tibi nec alij vel tenuissima suspicio vnquam fuit, auderet ad tribunal infestum trahere conspicuæ famæ reum, quem veritas excusaret, iudex nec instrumenta nec testes expectaturus absolueret. Vnde sibi nil penitus præter accusatoris nomen atque inuidiam superesset. Possunt, mi Læli, possunt dici ista. Est enim effrene os humanum, cùm nullum æquè animal freno egeat. Dici omnia possunt: Credi omnia non debent, dicam quod sentio, nec audiri. Viri amici, in quibus clarissimum semper & maximum Lælij nomen fuit, surdas delatoribus aures habent, atque omnia respuunt, quæ veræ amicitiæ sunt aduersa. Neque enim satis est falsa respuere. Hac vna in re veri falsique discretio inhonesta est. Quicquid aduersus amici fidem dicitur, fide careat necesse est. Nunquam, ex quo semel de amico decreueris, de amicitia dubitandum erit: alioquin perpetuò nutabit amicitiæ fundamentum fides. Itaque consilium Biantis à Valerio laudatum, quo monemur sic amare vt aliquando osuri, in meretricio forsan amore locum habeat, ab amicitia relegetur, quam cum nisi inter bonos esse non posse omnium nobilium iudicium sententiis diffinitum sit, omnis inde

malarum fraus artium omnis degener & indecora vafricies excludenda est. Nulla iam diffidentia, nullus metus. Cùm enim amicitiæ glutino iungantur animi, & è duobus vt dicitur vnum fiat, par est, vt quam quisque de se ipso eandem de amico spem concipiat. Multo ergo melius multóque iustius apud Tullium Lælius consilium illud & rationis ope & Scipionis auctoritate redarguit: cuius vt nominis, sic te morum & amicitiæ successorem eadem, qua ille fuit, docet esse sententia: nec amando odiũ cogitare, sed sic amare vt odisse nequeas, si velis. Magna quædam & diuina res est amicitia, sed simplex, magnæ consultationis egens, sed vnius. Antequam diligas, eligendum est: cùm elegeris, diligendum: post dilectionem electio sera est. Actum agere veteri prouerbio prohibemur. Nullus exinde suspicionibus, nullus odio locus nihil denique reliqui est, nisi amare. Quomodo verò illum ames hodie, quem cogites cras odisse? Iure igitur & responsum illud Platonicum laudatur cuius supra mentio est, & factum illud quod quoniam valde probo, sæpe commemoro, Alexandri Macedonis, qui licet in reliquis temeritate præcipiti, in hoc vno constantia tanta fuit, quod cùm æger ab amico medico temperatum poculũ accepturus, interim non cuiuscunque hominis, sed magni alterius amici literas accepisset, quibus medici illius in necem suam multo auro ab hoste corrupti cauere veneni insidias monebatur. Literas quidem legit, at repressit, donec qui accusabatur pro ministerio exequendo in cubiculum Regis ingresso, illico Rex assurgens & læua literas tenens, dextra poculum incunctanter arripuit atque hausit intrepide, legendásque mox literas innocenti stupentíque medico dedit: dignus ob hoc ipsum, qui vt tunc, sic semper suorum ab insidiis tutus esset. Hinc itaque rem deduco, vt amici crimen audire velle turpe, credere verò posse turpissimum ostendam. Et quisquis in amici vita fidem delatoris examinat, ipse iam læsæ amicitiæ reus est. Sed heu me miserum, quàm difficile quæritur omnis vitæ delectatio, quàm facile perditur. In sola quidem amicitia parum faustus Socrates, in qua vt maxime fœlix esset & amicitiæ studium & vitæ integritas

meo-

merebatur. Viginti octo annis amplius amauit te. quod præter te vnum nemo me melius nouit, vt vnus nebulo vna hora paucis te sibi falsis verbis eriperet, nec eriperet modò, sed de amico & fratre dulcissimo durum hostem faceret. Da veniam, frater, non debuit hoc accidere posse me viuo, vt non modo sine causa sed quantalibet quoque cum causa tanta distractio fieret animorum, quos & proprio amore coniunctos & visco meæ recordationis inseparabiles arbitrabar. Nunc quid agam, frater, nescio, &, Deum testor, ad suspirandum ne dicam lachrymandũ pronior sum, quàm ad loquendum, ita me perturbatio vestra perturbat & concutit. Loquar tamen vtcunque, quod in animo est. possem sacramentis paginam implere: sed quia sæpe minus creditur multa iurantibus, simplici verbo meo, si mereor, & si tibi placuerit, fidem dabis. Nũquam Socrates de te mali aliquid locutus est: mihi bona autem sic multa sæpissime. Multas adhuc literas digitis suis scriptas, si diligenter excuterem, inuenire possem, in quibus apertissime profitetur me alium amicum in curia non habere, nisi te vnum: Reliquos, qui fuerint vel vita vel patria vel officio decessisse. Te promotorem te perpetuum adiutorem vocat mearum rerum : te solum esse, cuius fides illa communia temporis & absentiæ damna non sentiat. De his & horum similibus & antiquas & nouas illius literas habeo. Huius ego sibi sum testis. Si furcifer ille his contrarias literas vidit, nescio: Sed hoc scio, quod ad me literæ non venerunt. Tu quidem cui potius fidem habeas an accusatori falso & nequam, an fideli & vero excusatori, ipse videris. Spero tamen apud te non vltimum fidei locum habiturum esse suspirium meum, O amantissime Læli, quod tibi per tot terras & per media Alpium iuga pios affectus meos & has anxias ac sollicitas voces perfert. Audies me, mi Læli, & nisi in te fallor, exaudies. Rogo igitur, obsecro, obtestor, adiuro per amicitiæ fidem, per mutuã charitatem, qua nulli vsquam cedere videbamur, per quicquid inter nos piũ, sanctum, fidum, iocundum, amabile fuit vnquam aut esse potest, vel, si hoc parum est, per memoriam illius modo gloriosissimi ducis nostri, qui licet ob eximiam veréque

Cæsaream animi magnitudinem Iulius Cæsar dici meruisset à nobis, vera tamen patriæ pietate Camillus nostrorum temporum fuit, aut Scipio, pérque illustris, sed heu nimium caducæ familiæ, natorum eius nostri dum Deo placuit, amantissimorum nobísque prædulcium & charorum pignorum, & super omnia per semper mihi flendi, semper memorabilis Ascanij nostri prorsus heroicam veréque nobilem animam, quæ festino abitu, non nostram modò, sed Romæ, sed Italiæ spem fefellit, & florem priscæ militiæ renascentis acerba morte præsecuit: per hos, inquam, per me, per temetipsum oro te, vt hunc scrupulum, qui me præmit, vrit, torquet, & cruciat, mihi quàm primum eximas, & si me diligis aut vnquam dilexisti, illico, antequā hæ literæ è manibus tuis abscesserint, Socratem ipsum miraculo antè huius tuæ mutationis attonitum fortunæ nunc natum suæ vel adeas vel accersas. Hoc precor, hoc facile est. Conuenite modò, distractósque animos vultúsque contrahite, neue alterutrum, quod valde amastis, horrescite, & nisi me vultis in lachrymis ac dolore senescere, redite in id ipsum, neu viscera mea canibus lanianda discerpite. Nunc videbo, si me diligis, vt fama est, quicquid aliud scribes, nisi factum esse, quod postulo, charus tibi diu falsò sum creditus. Sin conuenisse vos audiam voti certus euasero, vt quem tibi amicum abstulit aliena perfidia, restituat fides mea. Nullas susurronum voces, nullas iratum reliquias timebo. Multa inter absentes audet inuidiæ murmur. Magna autem intermissi congressus efficacia est. Hanc solam precor, hoc vnum rogo: id si mihi præstiteris, de reliquis non laboro. Quid te agere oporteat, & quid loqui, pietas ipsa & tam longi amoris recordatio, simul amici frons conspecta, monstrabit. In illius oculis leges, quod nec ego possim dictare, nec Cicero. Vale Mediolani, IIII. Cal. Augusti, prima face.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA LÆLIO SVO S. Epist. XIV.

Læta gratulatio, quod consilio precibusque suis steterit.

CRescens occupatio decrescente vita facit vt solito tardior ad scribendum sim, ac ne forte aliam suspiceris: occupatio, illa vetus, sed assiduè repullulans studiorum meorum, in quam, non senili er tepesco, sed iuueniliter mardesco, Mirum, cùm mihi omnia fastidio sint, illa vna sine tædij sensu, noua mihi indies oblectamenta congeminat. Hodie primum mihi videor cępisse. Impletur ad literam in me, quod ait ille vir sapiens: Cum consummauerit homo, tunc incipiet, & cùm quieuerit, tunc operabitur. Accessit absentia longior magna si quidem parte brumæ huius & Pataui & in angulo Venetorum, vt Liuij verbo vtar, moram traxi. Hoc ipso die & hac hora Mediolanum redij fessus & ventis ac frigoribus adustus. Non sunt ad scribendum instrumenta nec animus, hebes calamus, atramentum glaciale, papirus squalida, manus rigens, tempus intractabile sine exemplo, quod vsque ad Religionem (vt dicitur) & horrorem versum annum fecit insignem. Nunquam enim in memoria hominum inter Alpes & Apenninum tanta vis niuium incubuit. Magna nostris in vrbibus domorum, magna in agris arborum strages, magnæ vtrobique mortalium querelæ, quas nunquam tamen aut ver floreum, aut frugifera æstas, aut vinifer autumnus omnibus naturæ delicijs atque vbertate sedauerit. Ceterum annus hic annum retro quartum, hoc est, sextæ ætatis millesimi trecentesimi quinquagesimi quarti finem & sequentis initium, quibus nihil algentius fieri posse &, vt sic dicam, nihil hiementius videbatur quando hic in Ambrosij basilica Cæsar noster adeptus ferream coronam ad Romæ percipiendum aureum diadema profectus est, cuius ad vrbem iter an cursum dicam, tu, qui in Galliis quoque tunc eras, mira celeritate prosecutus familiaritatem eius arctissimā moribus & ingenio meruisti: annum, inquam, illum hic præsens gelu æquauit, niuibus vicit. Sed quid ago? Nū superuacuas horas au-

cupari videor qui necessariæ scriptioni modo imparem me dicebam: has delectatio vires habet, vt frigus æstumque non sentiat, & laborem amet, & lassitudinem aspernetur, denique nil recuset quod diu illam exoptata in operatione detineat. Ecce dum te alloquor & fatigationis & brumæ & cœpti immemor factus erã: Sed vt domum reuersus ad rem redeam, fideli nuntio præter spem reperto, etsi valde properet nullo modo pati potui eum sine meis ad te literis abire. Et festinationem eius, & occupationem meam & hyemis asperitatem vicit amor tui. Iam in primis totam, frater, exordine tuæ suspitionis historiam intellexi, neque miratus sum, vt putas, potuisse tibi tam multis ingeniis persuaderi. Nil detrahentium dolis imperuium, nil quò non palpitans & blanda vox penetret. Illud potius & miror & laudo quod tam cito iram tuam longo decoctam spatio ac digestam euomuisti pro salute animi rem optimam. Quid enim Læli, ais an te fauente ausim contra Aristotelem mutire? sacrilegio proximum multis forte videbitur cum forte potius illum pertinaciter in omnibus sequi velle sacrilegum sit. Certè Cicero ipse vir tantus elegantissima vrbanitate illa sua interdum culpam sibi tribuere maluit, quàm viri huius horrorem manifestè refellere: quale est illud quod cùm Aristoteles omnes ingeniosos melancholicos esse dixisset, Cicero, cui dictum non placebat, iocãs ait Gratum sibi quod tardi esset ingenij, clarè satis his verbis, quid sentiret, intimans. Sequamur & nos Ciceronis exemplum. Aristoteles quidem ait in Rhetoricis bene dixisse nescio quos quòd ira multò dulcior est melle. Quid hic dicam, nisi pergratum esse, quod mihi gustus hebetior sit, qui hanc dulcedinem non sentio. mirarique me gustum hunc Aristotelicum, vel illorum, quicunque prius id dixerint. Etsi enim apes, vt aiunt, mel dulcissimum ex amariusculis quibusdam herbis eliciant, ego tamen, vt dixi, hanc iræ dulcedinem non gustaui. Apud quemcunque verò melle dulcior, apud me felle tristior est ira. Ita dico, si de sensu proprio loqui velim. Quod si Aristotelis in verba iurare oportet, & quicquid ille dixit, quasi cæleste oraculum amplecti, vt non solùm

solum dulcis, sed multò etiam melle dulcior ira sit, fecisti tamen optimè, qui feram illam immanémque dulcedinem ac stomacho nocituram reiecisti, & segni situ contractam animi rubiginem detersisti. Pro quo quantam tibi gratiam habeam, quantúmq; mihi vel ad pristinum tui amorem vel ad iudicium tuæ virtutis accesserit, multò tibi facilius fuerit cogitando, quàm mihi loquendò assequi. Ad summam scito, cùm multa per omnem vitam mihi gratissima feceris ac dixeris, nihil ex omnibus vnquam gratius fuisse, quàm quod domitis affectibus tuis radicitúsque cõuulsis consilio meo, fido licet, opinioni tamen & sensibus tuis aduerso, tanta animi facilitate ac pietate, tam subitò paruisti, vt quoniam te amor vrgebat, nullásque moras charitas dabat, literis meis vix perlectis eásque ipsas manu proferens nostri Socratis in amplexus atque oscula in illo me etiam complexurus ac deosculaturus irrueres, multísque tam vestris quàm astantium lachrymis, quę vbertim per vestros oculos de meis pręcordiis erumpebant, fraternam in gratiam rediretis. Nunc quid in te possim scio, quod nec prius ignorabam, sed nouis experimentis vetus notitia solidata est. Agnosco Lælium meum. Is est quem sperabam. Semper detractores oderit, & sæpe hoc perditum tempus flebit. Nam Socratem multò ante noueram lamentis ac gemitibus tabescentem tuúmque dissidium illud inter grauia vitæ damna atque acerrimas fortunæ iniurias numerantem. Totúmque sequitur, epistolæ tuæ textum sciens transeo. Credo omnia, imò verò scio. Noui fidem tuam & curiæ mores noui. Sed vnũ vice versa mihi credi flagito, quod ne mihi neges, charitas iubet: si quidem non modò laborem illum magnum, perpetuum, inglorium, tędiosum & seruitutem illam hominum multorum nulla mihi ex parte placentium, postremo successionẽ Calui illius Parthenopei, boni hominis licet & soliciti &, vt dicere solebat, amici mei, nec literati tamen nec famosi: sed rubicundum quoque pileum non dico ambiendum precib9, sed vltro etiam oblatum si reciperem, vt modò res sunt & mores ordinis illius, abscisum gladio & rubenti sãguine madidum caput perdam. Crede mihi, si quid in terris

est veri, hoc verum siue vt emphaticè dixerim, veritas ipsa est. Quod ideo sic ardenter disserui, vt nunquam posthac vel pro tali vel pro simili causa laborem inutilem vel tu vel alij capiant amici: Neque verò se repulsis obiiciant pro eo quod si ingerentur abiicerem, quodque, si meministi, ante annos duodecim, quando & iunior & laboris patientior & dierum largior fui, & curiæ status & pontificum nobis fauor alius, oblatum, amici licet indignantibus, non recepi. Quo ergo nunc animo, qua mei obliuione iam senior successor alienæ sollicitudinis fieri velim, eoque aspirem quò cum honestiùs, tū promptius peruenire tanto ante potuerim, quó ve alter nunquam, nisi ego illi crederem, peruenisset: Sunt quidem, fateor, otiosi ac tranquilli iuuenes, occupati senes: sicut multos quoque vidimus; quorum castissima fuit adolescentia, libidinosa & lasciuiens senectus. De auaritia notum est cōmuni senum fere omnium morbo. Iuuenum vero non ita, qui non sunt, vt ait Aristoteles, pecuniarum amatores. Cuius apud eundem ratio illa est, quia nondum indigentiam experti sunt. An me forte igitur his exemplis de quietissimo iuuene laboriosissimum senem fieri vultis; aut vnum ex his, qui sani iacent ægri ambulant: aut ex his, qui totis diebus stertunt, totis noctibus fabulantur. Non sum ex hoc grege, Læli, cum in omnibus requiem quæsiuerim, sicut scriptum est, & eam ab annis teneris vsque ad desidiæ suspicionem semper amauerim: nunc penitus nihil quæro, nihil amo aliud, sine qua nulla mihi vitæ conditio non molesta sit. Hanc cum prope iam manibus apprehendisse videar, lectisque rudentibus vela deposuisse, rursus in fretum vocor. Non vos audiam, amici, sed orabo potius vt dextras adhibeatis nauim subducere molienti. Notum omnibus desiderium meum, ante alios tibi. Honestæ paupertatis appetens semper fui: nempe nullus melior, nullus tranquillior, nullus denique tutior vitæ modus. Hæc mihi hactenus conscriptorum patrum sancto iudicio negata est, cùm sæpe diuitias non negarint. Causam scio ideoque non miror. Non me diuitē volunt, sed voti compotem volunt. Parebo, sortémque meā letus sequar. Nam

quis

quis hominum nouit, quid expediat? eóque me solabor, quod quicquid sum, per eos vtique non sum, Deoque gratias agam, qui absque eis viuendi votum mihi potentiámque largitur. Cessent deinceps, oro te, laborum, cessent repulsarum causæ. Scis vbi, scis qualiter mori optabam. Quid vis? Si pauper esse nequiuero diues ero: quamuis in mediis opibus pauperem spiritu nil aut viuere prohibeat aut mori, quæ vna paupertas & habenti facilis, & amabilis Deo est. Et de nobis hactenus. Cœnobij ascensum lætus audiui. Amo hominem amaríque nos ab ille certus sum. Gratulor quidem sibi, imò non sibi, sed fortunæ suæ, seu verius nostræ, qui inter tot non Dei, non hominum amicos, vnum saltem habebimus amicum: sibi verò compatior & Musis, quæ tale ingenium non dicam perdunt, sed cum indignis consortibus partiuntur. Plane fateor, crumenæ ille consuluit, sed nec famæ nec vitæ, vt auguror, nec quieti. Et ô qualiter eunt res! non multum tempus est, quod ipse mihi fraterne condolebat, meque prædulcibus aculeis vrgebat, quod Mediolanum turbida ciuitas esset Helicon meus. Et hoc amantissimè quidem, sed vt reor, quid Mediolanum esset, nesciens & haud dubie ignarus, qualiter, quàm otiose, quàm libere, quàm solitarie, quàm tranquille hic essem, loquebatur, iam ante transalpinam moram meam solitus non laudare, dum ad fontem Sorgiæ peccatis homo, sed quiete animi prope angelus degebam, admirans quænam hæc Italo procul orbe voluptas. Verba ipsa teneo, liquit aculeum: dicebat autem hæc non, vt puto, præsagiens sponte sua se mox extra Italiam relegandum, sibique tam prope repositum Babilonicum Helicona, de quo non coniecturis inanibus, sed experientia doctus, si quicquid sentio, loqui cœpero nullus erit finis. Mihi autem satis superque odij in illo inferno conflasse iam veritas videtur. Cæterum ipse indies experiendo & videndo quid ego de suo nunc Helicone tacuerim, intelliget. Etsi bene noui, sæpe & horum meminerit verborum & Neapolitanum otium atque Italiam suspirabit ditior forte, sed occupatior certe, sed

mæstior. O quantum mihi nunc inuisurus si, vt ego procellas suas hinc video, sic ipse meum otium videret, & quam nihil præter animos nobis simile. Saluere illum iube, & vale. Mediolani, V. Id. Februarij, ad vesperam.

FRAN. PETRARCHA SOCRATI SVO S. Epist. V.

De amicitia inter Lelium & Socratem reformata lætatur, & Deo gratias agit.

IAm dudum, mi Socrates, cessat inter nos vicissitudo illa literarum, magnum absentiæ remedium, cuius cessationis & occupatio vtriusque nostrum & multæ forte aliæ sunt causæ. Illa, ni fallor, omnium maxima, quod materia deesse incipit scribendi. Neque mirum id nobis accidere, quod Tullio accidit & Attico. Nullus tantus est aceruus, qui non assiduè detrahendo decrescere & in nihilum verti queat. Quicquid sciebamus, credo iam iugibus scripturis exhausimus. Quod vnum hodie se offert, inter te & Lelium me hortante reformatam amicitiam & in gratiam reditum esse tuis & suis & multorum literis audio, & gaudeo me hercle, deque reconciliatione hac, quã de vlla re alia, lætior sum. Bene accidit: gratias Deo, gratias vobis. Ille inspirauit hos animos, vos spiritui aditum non negastis. Laudatis ambo certatim stilum meum qui cùm semper incultus, tunc improuisus ac tumultuarius, vt esset & anni tempus & diei hora & nuntij festinatio coëgerunt. Tantis tamen plenus affectibus pietatísque facibus ac stimulis fuit, vt ipse iã memini, Deum testor, inter scribendum lachrymas non tenerem. Eratis ante oculos vos duo, erant amici omnes vestro dissidio deiecti, erãt triumphãtes æmuli, erãt anni præteriti tanta concordia exacti, hinc impetus incompti sermonis, hinc lachrymæ scribentis, nõ ingeniũ, non stilus, sed propositũ & adiuncta diuinitus pietas valuit. Itaq; vos, vt libet: Ego nihil laudo, nisi diuinitatẽ, vnde est quicquid est boni, & vestrã humanitatẽ bonorum consiliorum non capacem modò, sed rapacem. Generosos & mei

amantissimos agnosco animos. Benedicti vos à Domino, qui & vobis dignissimam rem fecistis, & mihi gaudium, quantum abunde præberi non poterat, prębuistis. Mi So- Socrates vale nostri memor. Mediolani, IIII Idus Februarij antē lucem.



FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILIARIBUS,

LIBER XII.

FRAN. PETRARCHA ARNESTO ARCHIEPISCOPO PRAGENSI S. Epist. I.

Cur tot hostes habet veritas.



Vlta quæ animo conceperam calamoque pepereram, dicet is, qui hæc paucaque quę cernis, & plura, quæ audies, ad te viuis vocibus perferenda suscepit, vir quo nil tibi deuotius, nil mihi familiarius. Sancta quidem semper & honesta, sed non semper tuta veritas. Multos illa omnibus seculis sed nunquam plures, quam nostra ætate hostes habuit. Causa est, quia nunquam pauciores virtus habuit amicos. Nemo autem veritatem odit, nisi qui male viuit. Et hic metus virum fortem nunquam in mendacium, aliquando autem in silentium coget. Quos ego veri studio cũ

ctus & nunc & saepe aliàs, nisi postquam non locutus esse non poteram, non adverti. Et in sermone quidem mutuo prorsus irremeabilis est vox: in scriptis verò liberioribus remedium est vel supprimere vel delere quod scripseris. Primum feci, & multa coercui, quae forsan in posterum delebo, forsan viuere patiar, vt cùm hinc abiero ex insidiis erumpant, méque discipulum veritatis indicent, sed occultum propter metum Iudaeorum. Quis autem scit an vt est animus malignans nec laruarum metuens ipse ego praesens iter faciam prodire volentibus. Sed omissis, de quibus mihi sententia nondum stat, de me sic habeto, nihil magis tuum fieri posse, quàm ego sum. Memini anno altero dum iniūcta ad Imperatorem nostrum legatione fungerer, hominem peregrinum vix solo nomine cognitum, qua me fronte, quo animo, quibus verbis, quanta humanitate deuinxeris. Recole quam suauiter mihi illud identidem inculcabas: Compatior tibi, amice, qui ad barbaros venisti. Ego verò nihil barbarum minus nihil humanum magis profiteor me vidisse, quàm Caesarem; & aliquot circa eum summos viros quorum modo nominibus scienter abstineo: summos, inquam viros & insignos, dignos maiore memoria: quod ad haec attinet, abunde mites & affabiles velut si Athenis Atticis nati essent. Vale, Mediolani, III. Calendas Maias.

FRAN. PETRARCHA IOANNI EPISCOPO, IMPERIALIS AVLAE CANCELLARIO, S. Epist. II.

Multiplex gratiarum actio.

Nil luce clarius intelligā videámque quid de me sentias, & qualiter sis affectus, valde nō surd⁹ modo, sed securus sim. Neque enim verbo tantum animum tuum mihi, sed his quae, vt dicitur, mentiri nesciunt, rebus pandis. Nam quid per omnes quaeso caelicolas suauius epistola illa tua, qua me vagis vsquequaque distractum &, vt sic dixerim, sparsum curis ad te vnum cogitandum colendúmque dulcissimo quodam & insolito verborum artificio

tificio collegisti. Quid humanius. vt reliqua sileam. quæ promptius animo metior quàm sermone, quid, inquam, humanius? quid mitius, quam quod in epistolæ calce dixisti, nunquam Francisci tui nomen memoria Ioannis abiturum. Amplum, fateor, & præclarum, ac cuilibet virorum excellẽtium suffecturum in memoria tua locum exiguo & obscuro meo nomini deputasti, vbi iam securiùs habitans nihil durum nihil inhospitum in transalpinis regionibus vereatur. Profectò autem nunquam tibi in animum veniret, vt id diceres, nisi ante venisset vt sentires. Quæ sententia quantæ tibi mansuetudini, quantæque mihi sit gloriæ, quis non videt? Natura equidem tantum virum paruæ rei tam tenaciter meminisse non patitur. Ita ergo & magnitudinem tuam probas, & me hac tua de meis rebus opinione magnificas. Amori tuo gratiam habeo quanta humanis affectibus haberi potest, qui hoc sæpe mihi præstitit, vt doctissimorum hominum iudicia in mei extimatione perstringeret. Ego autem vt totum tibi meum pectus aperiam, neque vllas ibi latebras celem, nihil quo id merear, in me scio. Sed ita sum, quasi rusticus margaritæ nobilis inuentor, qui spem suam successibus victam stupens ac lucro attonitus percontatur obuios, & veri pretij ignarus è iudicio pendet alieno. Sic ego parumper tua in primis & illustrium aliquot extimatorum crebra laude superbio, & mihi (quid rides?) nescio quomodo iam sensu solito charior factus sum. Iocor tecum, meum decus, nec sum dubius totum hoc tui amoris esse non meriti mei, Non, si me totus orbis vna voce collaudet, mihi paruitatis meæ conscientiam extorquebit. Quid nunc de certioribus animi testibus, piis erga me semper actibus tuis, loquar? Quanto me nuper (nam antiqua prætereo, sed non obliuiscor) quanto me & quam raro priuilegio honestasti? Quod etsi olim feceras, secretum tamen Imperij signum & ingentem bullam auream liberaliter adiecisti. Cuius vel aspectus solus immensum quiddam maiestatis & gloriæ contemplantibus ingerit, & venerabundos cogit summi Imperij & veteris Romæ atque au-

roi seculi meminisse. Ab altera enim parte Caesar noster diademate insignis ac sceptro hinc Romana aquila, hinc leone patrio circumfultus celso sedet in solio. Ab altera Roma est superba templis ac moenibus, inque ipso auri pallore, vt Dauidico verbo vtar, blanditur oculis praedulciterque surrepit sacra, & venerabilis almae vrbis effigies. Pro tali munere, precor, nudam gratitudinem meam accipe: Nam quid referam non habeo. Gratias Caesari, gratias tibi. Nihil vnquam à vobis frustra volui. Ille me numero Palatinorum comitum inseruit, & multa superaddidit, quae paucis solet. Tu munus Caesareum augustum omni studio adornasti, atque augustissimum effecisti. Caeterum vt illius gratiae tuique fauoris semper egentem me profiteor, sic auri indigus non sum. Quamobrem vt caetera in donum non mediocre suscipio, & praesertim studium tuum, quod mihi, sicut ipse stilus indicat, in illis literis vigilantissime dedicasti, Sic tu, oro, bullae aurum à me accipe, quod tibi fert ille vir optimus militaris: Sacer amor noster tuarum rerum praeco ingens, mearúmque secretissime conscius, & quaecunque his literulis desunt, iocundissimo suppleturus eloquio. Viue foeliciter & vale. Mediolani, III. Cal Maias.

FRAN. PETRARCHA CHECEO FOROLIVIENSI S. Epist. III.

Excusatio super petita ope non praestita & consolatio cum latenti consilio.

CArmen egregium, nec responsione tantum sed petitae opis exhibitione dignissimũ, longo post tempore quàm id excuderas legi. Sed neque mihi ad respondendum sat otij est, neque vt sit, iuuenilis ardor ille Pyerius solitis facibus ingenium accendit, Cui iam satis est congesta degerere, inque id ipsum factus est segnior: neque mihi meis viribus ferendae opis occasio visa est. Misereor tamen haud nescius scriptum esse, Cur miserearis potius quàm opem feras? At illud, vt dixi, nequaquam arbitrij mei est. Quod si esset, aut fuisset, quam uis om-

uis omnium, quas audierim aut legerim, longe iustissimas preces tuas hactenus expectaturus non fui. Sic me vester amor, sic pietas insita, sic ipsa rerum indignitas vrgebat iam inde vestrorum ab initio laborum, vt hac in parte freno mihi non calcaribus opus esset. Me quidem vera loqui Deũ omnia videntem, conscientiámque meam & huius fœdissimi hominis memoriã testor. Quando ergo quod cupio, negatum est, quod negari quouis imperio non potest, nudo licet ac libero affectu rebus oppressis milito, & vt vestrum vnus euentum fati anxius atque animo suspensus oppetior. Proinde quid sperem, seu quid loquar amplius non habeo, nisi Philonis graue illud & dicentis ingenio & præsenti rerum statui conueniẽs dictum: Bono enim animo esse oportet, quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. Et illud Terentiani senis in Adelphis: Ita vita est hominum, quasi cùm ludas tesseris. Si illud, quod maxime est opus iactu non cadit, illud quod accidit forte, id arte vt corrigas. inde tibi, oro, qua potes, afflictęque Reipub. solamen, huic consilium elicito, & vale nostri memor. Raptim ambigua iam luce. VII. Cal Nouembris.

FRAN. PETRARCHA BARTHOLOMAEO IANVENSI S. Epist. IV.

Quid inter adolescentium ac senescentium mores ac Studia intersit.

AMicum facie ignotum in literis video: florens atque integra est ætas, ardens ingenium, expeditum, velox læta mẽs & otio abundans, amicitiæ multa vis. horum mihi præter vltimum nihil est. Ætas iam deuexa, vt qui ægrè superato vertice lapidosi montis iam descendere incipit, & qui nitens ascenderat, pronus fertur ad reliqua: ingenium tepidum & algenti proximum multaque rerum sarcina pressum pariter ac defessum: mens mundi odio & sui status extimatione subtristior: non quia senium iuxta est (id enim gaudij materiam, resolutionem proximam cæci carceris exitum ac mæsti exilij finem spondet) sed quia lente admodum & serius aliquanto quàm vellem, iuuentæ laqueis absolutus

sum: viden amice, quàm diuersis tramitibus ad vnam metam pergimus: imo quidem prope vno calle gradimur, sed vt sit aliis atque aliis viæ spatiis, vbi es, fui, vbi sum, eris. Itaque finis idem inter nos amicitiam fecit, euntium imparitas varios fecit affectus vsque adeo vt silétium meum quod apud te mirabile est & more amantium exquisitis coloribus excusatur, apud me non excusabile modo, sed necessarium sit, & mirandum potius quod inter tot obsidentium me curarum strepitum seorsum aliquid loqui vacet. Durum id tibi quidem, vt suspicor, auditu, verũ perge fœliciter & viue. Cũ veneris, quò perueni, cernes oculis ita esse, vt loquor & qui mihi vix crederes, rebus credes & tibi perinde. Me, si quis est vsus, iure tuo vtere inque amicis certa fiducia habeto. Silentio autem meo parce, neque crebras neque longas epistolas ex me speres. Multa, quæ modo mihi solatio erant, vt humana rapiuntur, iam supplicio sunt. Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI OLMVTIENSI EPISCOPO, S. Epist. V.

Sacer amor summopere illi commendatur.

VEnit ad Cæsarem Saceramor vir optimus & quod sæpe dicere soleo, nisi me amor fallit, hoc nomine atque omni veræ amicitiæ laude dignissimus. Non modo enim amans vel amicus, sed vt quod cupide facio, tuo verbo vtar, emphaticè amor est. Totus est, inquam, amor: neque amor quilibet sed sacer amor. Venit ergo ad Cæsarem, & ad te venit, cuius me amor compulit, vt nota & ardenti fiducia illa mea de hoc viro, quod mihi visum est, Cæsari scriberem. Quid scripserim non repeto, nec oportet, quod illarum tu solus interpres & adiutor literarum eris, vt solitus es. Tibi verò hoc vnum dixisse satis sit, Si vnquã vel credidisti vel crediturus es, mihi crede, quod hic tota te mente, tota anima, toto pectore diligit, colit, suspicit, veneratur, séque in summis operibus atque honoribus suis ponit. Aut ego fallor, aut sæpe iure amicitiæ in intimas animi sui latebras admissus semper ibi vel primum vel primo, hoc est, Cæsari proximum te notaui. Cæterum quod exterius patet, nemo certe, quem nouerim,

rim,nemo vsquam tui nominis & tuarum rerum clarior atque sonantior præco est. Rite ergo teque rem dignam feceris,si eum reciproca charitate complexus ostenderis te,vt ingenio,vt eloquio,vt virtute animi,sic beniuolentia & amore à nemine vinci posse.Plura dicerem, si apud alium loquerer:nunc ad illum mihi sermo est. qui me,vt spero,vel breuiloquum intelligit,vel tacentem. Cum Africano minore concludam:En habes virum dignum te. Illud sciens sileo, quod in literis tuis stilo te meo imparem facis vsque adeo,vt stuporem vel simules, vel si,quod opinari nequeo, verus est stupor, non stili quidem mei, sed tuæ paternæ indulgentiæ stupor sit. Tú ne enim, cuiusuis vel ipsius Ciceronis ad stilum stupeas? Quære alium,cui hoc imprimas.Sed vt se superbia super id quod est, sic se humilitas infra extimat, & cum magna sæpe aliis,sẽper sibi pusilla est De reliquo. Munus tuum quoniã ita cogis,accipio, non grato animo, sed iocundo. Licet, vt verum fatear, aurum ex te nollem, neque auri egens, vt tibi olim scripseram, & tua contentus aurea voluntate.Vale fœliciter,&idem oro,vt quod pollicitus es verum sit,ne me vnquam de memoria tua locus aut tempus excludat,Mediolani,VIII.Cal.Aprilis.

FRAN. PETRARCHA ARNESTO ARCHIEPISCOPO PRAGENSI, S. EpistVI.

Idem Sacer amor hic commendatur.

MVlta loqui temporis vetor angustiis: Sed pergrati mihi hominis nec minus veri amore loqui aliquid cogor.Ecce enim vir egregius & tui amantissimus,quem ita partiri solebamus,vt corpore nunc vester, nunc vicissim noster, animo autem semper esset vtrorumque, iste tandem totus ex integro nobis cedit: in quo de se alij iudicent: Ego nempe iam hinc quantum mihi quantumque vitæ meæ solatium decrescat,intelligo vt accessione vestra læt⁹,sic meo mœst⁹ incõmodo. Aut enim male extimo,aut viro bono inuẽto nullũ mai⁹ lucrũ,nulla iactura maior perdito. Quid hic aliud dicã? multa quidẽ dici posset,si vt talium plena mẽs, sic mihi vacuũ tempus esset.

vnum tibi dicere ausim, quod Cæsari nostro dixisse ausus sum, Si amoris ac fidei obligatio magna est, multum & tu pater, & quotquot ibi estis debetis huic viro. Nihil æque in terris vt Cæsarem & vos amat, & si nihil de vobis mereretur, esset tamen humanitatis atque animi tui opus & cæterorum Cæsareum latus ambientium, talem virum ita complecti, vt ex merito totus & Cæsaris esset & vester. Plura non dicam, vtilius arbitrans, vt ait Cicero, teipsum, quàm aut me aut quemquam loqui tecum præsertim de re tibi notissima, nec iam amplius inculcanda. Feliciter vale, & inter tuos, si & ipse nulla licet re alia nisi amando mereor, me numera. Mediolani VIII. Calen. Aprilis.

FRAN. PETRARCHA CAROLO QVARTO ROMANORVM IMPERATORI, S. Epist. VII.

Commendat amicum de Cæsare déque Imperio benemerito.

AVdaces & timidos amor facit. Sæpe quidem hoc dixisse videor, sæpe nunc etiam vt auguror dicturus. Ita est enim expertus loquor. Et videt ingentia, & minima metuit verus amor. Sed vt metu amantium dilato de audacia tantũ loquar, & omissis iis quæ humanos animos trahit amor insanus, honesti stimulos amoris quantum hodiernæ materiæ est opus, attingam exemplo vnico præsentíque. Quando ego, nisi vehemẽter amarem, Romano Imperatori auderem ita dicere, Vir hic, qui has literas Maiestati tuæ dabit, bene de te meritus & tua gratia tuáque beniuolentia dignus est. Multum illi non tu modo, sed tuo nomine totum debet Imperium. Quantùm verò te amet, superuacuum videtur metiri velle, dum te alloquor, quem deceat affectus animorum ipsis in frontibus legere. Scio quotiens ad te ille vel imbribus vel æstibus importunus quàm sagaciter quámque impigrè venerit superatis iugis Alpium & omni temporum ac viarum difficultate perdomita, dum tibi obsequitur oblitus sui. Tuo ille quidem in Italiam aduentu, quia, vt tibi tunc præsens dixi, ne forte Germanus miles mutati cœli temperiem exhorreret Archangelo tecum simul finibus nostris inuexerat. Omnes vidimus quàm sæpe nocte media hyeme

hyeme impia tibi tuęque gloriæ inuigilans, iuit ac rediit, vt quodam modo illam tantam cœli terræque duritiem sui amoris ac fidei feruore compesceret, & ardenti animo non sentiens quid exterius ageretur, egregiè suum nomē rebus impleret. Neque enim casu fortuito ab ipso fontē baptismatis id sibi nomen impositum reor, vt scilicet Sacer amor diceretur, sed certo quodam præsagio futurorum. Nam si omnis iustus amor proximi sacer est, ille profectò multo dignius habet hoc nomen, quo Romanus princeps amatur vere Christus Domini, vere sacer, quia ergo tecum ille suum amorem totúmque suum animum tibi dedicaturus, nascebatur, æquum fuit vt renascenti sibi nomē hinc eius futuro inque ipsa Dei præscientia iam præsenti proposito consonum obueniret. Multa de hoc viro narranda suppetit materia, quæ nulli quàm tibi, Cæsar, notiora crediderim: vnū ex mille perstringam. Si quidem anno illo tui aduentus, cùm tu me suis verbis ad te Mantuam euocasses, & ego paucis post diebus iter agerem, contigit vt cum Ardui amnis in ripa serò substitissem, mane meis ipse stimulis excitus & ad te properans ante lucem domo egrederer, non comitum modo sed famulorum murmure, quod vbi vix per diem in thalamis ante ignem tolerari posset insoliti vis algoris, ego per noctem & rigidis niuibus & lubricæ glaciei & cœli inclementiæ minime ferreum corpus obiicerem. Tum ecce limen oppidi transgressus iste fit obuius, qui Cremona sub intempestæ noctis silentio digressus iam duodecim millia passuum exegerat, vt illo toti' anni breuissimo die Mediolanum perueniret. Et licet famulis atque comitibus suis frigore enectis & labore confectis vnus ipse sic ibas, quasi ad æstiuæ noctis auroram herbosum breue iter ingressus & identidem requiescens in tuo nomine & in tui memoria recalescens: agnoui vocem, tenebræ notitiam vultus abstulerant. Compello hominē: accedit cupide. Et, Deus bone, quos ille de te rumores, quas spes, quos in aurem susurros gauisuro mihi lætus intulit! Ibat enim, Cæsar, vt arduum tibi complanaret iter, & secūdum illud Isaiæ, Omnis mons & collis humiliaretur, & essent praua in directa & aspera in

vias planas, quod mox cœlesti ope tuis fauente consiliis supra spem fœliciter adimpletum est. Inde post anni spatium ad te & ad tuam Boemiæ regiam ambo pariter missi sumus. Nihil fere per tam longum viæ tractum nisi de te loquentes, déque tuis Imperij rebus. Et ad summam aut ipse nimium astutus, aut ego nimium rudis sum: aut hic te tuúmque nomen & salutem tuam præ cunctis aliis suis affectibus cordi habet, & adeo plus tuus est, vt nullus æque sit, nempe qui fixū habeat in tuo statu suum statulum contineri, Cuíque votorum omnium summa sit sub te viuere, sub te mori. Ego autem in re certissima nimis versor. Parce oro: & de illo loqui & te alloqui dulce est. Nunc vero preces insererem, nisi quia multum habet, quod de fortuna propria queri possit, si apud te illi vel meæ vel cuiusque necessariæ preces sunt. Testor maiestatem tuam, Cæsar, quæ mihi quasi cuiuspiam numinis loco est, virum hunc Cæsareo fauore dignissimum. Nosti hominem, Imperator, qui si tibi semper cognitus fuisset, auderem tamen asserere, non indignum vt tam strenui militis obsequio vti velles, idque vel maxime ad tuam immortalem gloriam pertinere: vt cùm cæteri principes cunctíque fere mortales & auro inhient & voluptatibus famulentur, princeps Romanus primum in hominibus locum tenens & hæc ex alto despiciens delectationibus aliis vacet, & aliarum operum, consilij scilicet ac virtutis atque in primis illustrium abundantissimus sit virorum. Ecce nunc ergo, decus nostrum, quod dicebam, amor fecit audacem. Viue, Cæsar, & Vale, & de te, & de nobis, & de Imperio cogita Mediolani. VIII. Cal. Aprilis.

FRAN. PETRARCHA ANNÆ IMPERATRICI, S. Epist. VIII.

Responsio gratulatoria super eius fœmineo licet partu, & ob id ipsum multa de laudibus fœminarum.

TVæ serenitatis epistolam, gloriosissima Augusta, lætus reuerensque suscepi, vbi quid primū mirerē tantám ne hac tam iuuenili ætate sapientiam? an eminentissima hac fortuna tam insolitam & tam rarā humanitatē tuā, qua me vnū ex pusillis tuis toto pene orbe disiunctum

iunctum facundissimo nuntio,& familiarissimis literis gaudij tui participem fieri velle dignata es? Pro quo quidem non lucinæ, vt olim veræ lucis ignari gentiles, sed Christo lucis & vitæ & bonorum omnium auctori quantas possum tecum gratias ago, qui adolescentiam tuam non tibi tantum, sed toti Imperio votiua fœcunditate lætificat. Tibi quoque pro hac tua dignatione, quoniam aliud nihil est mihi, quod tanto muneri par rependam,in his literulis venerabundus assurgo. Neque vero tuum hoc & meum & cõmune gaudium imminuat,quod primus tibi fœmineus partus est. Nam,vt sapientibus placet, Sæpe principium debile melior fortuna prosequitur. Solent qui maxima moliuntur humiliter exordiri. Quod in te modò credibile est egisse naturam, & hoc loco vnico partu tuo multos tibi lætissimos polliceri. Satis est nobis,, quicunque de te déque illustri consorte tuo iuniores prosperos exoptamus, iam te summi Imperij nosse puerperam. Non hic desines, sed quod es orsa feliciter, felicissimè consummabis Quánquã non potest vtique sexus ille contemni,vnde cælestis Imperator temporalem traxit originem, qui, vt ait insignis veri professor Augustinus, ne quis forte sexus à suo creatore se contemptum putaret,virum suscepit, natus ex fœmina est.vnde præterea & terreni Reges primi hominum & qui summum in regibus locum tenent,Diui Cæsares oriuntur.Adde quod nec partu tantum,sed ingenio supergressa atque ob eam rem sapientia, & virtute multiplici & rebus gestis & regni gloria sexus est nobilis: vt enim pauca de multis prætereundo contingam. Apud antiquissimos Græcorum repertrix variarum artium Minerua virósque omnes ingenio supergressa atq; ob eam rem sapientiæ dea est. Isis Inachi filia Ægiptiis prima literas dedit. Apud nos verò Carmentis Euandri Regis mater harum, quibus vtimur, literarum fertur inuentrix.Sapho Græca puella libros scripsit, qui magnorum Poetarum ingeniis compararentur. Proba quædam Adelphi vxor, vtriusque gnara sermonis, apud Græcos Homericis,apud nos Virgilianis versis in rem suam versibus mundi originem & fortunas patrum,& Christi aduentum historiámque breuissimo suo quidẽ ordine alie-

nis verbis amplexa est. Transeo Sibillas diuinas fœminas & præscias futurorum, & diuini consilij conscias. Vnde nomen omnibus vnum inditum perhibetur cùm decem fuisse illas, & patria & ætate distantes Marco Varrone teste nouerimus. Quarum tam multa vsque in finé mundi præcipueque de Christo prænunciata didicimus & impleta, vt vnum hoc commune omnium Sibillæ nomen à doctoribus nostris Prophetarum sacris nominibus inseratur. Aliud dehinc genus fœmineæ laudis attingendum est. Orichia Amazonū Regina, vt reliquas sileam, tanta belli scientia & virtute traditur fuisse, vt inter duodecim famosissimos labores, quos Herculi illi inuicto Euristheus Græciæ Rex injunxit, ceu rem impossibilem afferri sibi reginæ huius arma deposceret. Eiusdem generis & Penthesileæ apud Troiam, & Camillæ per Italiam nota virtus. Cuius non ad aurem venit Hipsicrateæ Reginæ coniugalis amor & inuicti vigor animi. quæ Mithridatem suum Ponti Regem illo graui & diuturno, quod cum Romanis gessit bello non modo dum res anceps stetit, sed victū etiam ac desertum à suis sola per omnes casus indefessa pietate comitata est. Neglecta, qua singulariter pollebat, formæ cura, mutatóque habitu, Equo & armis ac laboribus cunctis assuefacto corpore, quod inter delicias regias educatum erat, gratum prorsus & vnicum illi afflicto regi solatium in extremis miseriis coniunx fuit. Apud Pœnos, apud Lacedæmonas, apud Theutones, apud Cimbros bellicosissimas gentes quibusdam in prœliis animosius mulieres egisse, quàm viros notissimæ loquuntur historiæ: magna hæc: maiora illa. Apud Assyrios Semiramis non regnauit modò, sed mirum in modum propagauit auxitque regni fines, Indis atque Æthiopibus victis bello. Babilonem prima, quod quibusdam placet, condidit, quod nemo dubitat, muro cinxit amplissimo. Cuius vrbis inopina rebellio cum sibi capitis cultui muliebriter intentæ subito nuntiata esset, tantus animi fœminei ardor fuit, vt altera comarum parte composita, altera autem adhuc sparsa, sicut erat armis arreptis ad expugnandam Babillona contendoret: adiuuítque fortuna virtutem, vt non prius ad ordinem comæ pars, quàm tota ciui-

ta ciuitas ad obsequium remearet. Cuius facti testis statua eodem illo festinantis reginæ habitu multis seculis in ea vrbe permãsit. Fuit apud Scithas Thomiris tanti animi regina vt formidatum illum famosumque regem Asię Cyrum cum ducentis millibus Persarum vno prælio trucidaret, inque filij vindictam & solamen sui tantas teneris manibus daret inferias, capite insuper regis trunco, & in plenum cruoris vtrem merso exprobrata crudelitate, quod humani sanguinis sitiens atque insatiabilis extitisset. Regnauit apud Ægyptios Cleopatra: Cænobia apud Persas, quæ se reginã diceret Orientis: mulier fiduciæ ingentis, clarissimæque virtutis: inter cetera, quod Cleopatræ defuit, castitatis eximiæ, cuius laudem formæ raritas geminabat. Harum vtraque Romanum inuasit imperium tanto nisu, vt prior ancipitem Augusto victoriam faceret: secundam verò Aurelianus princeps & pugnantem metuere videatur, & domitam glorietur. Ac ne totum sibi vendicasset vetustas, apud nos nuper non exiguam Macilis comitissa partem Italiæ possedit, & ipsa Romani imperij non leuis æmula, & quę virili animo bella tractaret, imperiosa in suos, in hostes acerrima, liberalissima in amicos. Cuius profusam & plusquam femineam largitatẽ Romana in primis Ecclesia testatur: minora Illa forsitan relatu vera vel paria vel maiora, miseram matrem in carcere destinatam vltimo supplicio, sed commiseratione reseruatam vt fame consumeretur, exorato custode sæpius admissa filia, sed excussa diligentius nequid alimoniæ subinferret, clam vberibus suis pauit: Altera autem patri eodem in statu par obsequium impẽdit Quod vel Athenis vel Romę factum opinari licet. Nam & vtroque trahentes coniecturas habeo de scriptorum dictis nec ab vtriusque vrbis reliquis moribus res abhorret, Et vtrobique factum esse nil prohibet, præsertim cum historici quidam Cymonis Atheniensium magni ducis filiam alij humilem & ignotam fœminam scriptis indiderint. Cæterum vt omissis dubiis certa commemorem, Cum admiratio primum orta quod vltra naturalem modum tibi inops vita protenderetur, deinde obseruatio intentior adhibita esset, atque ita

res à custodibus intellecta ad triumviri, qui supplicijs præerat, ac per eum ad prætoris, qui sententiam tulerat, inde autem ad consulum notitiam peruenisset, vel humanitate Attica vel Romana maiestate dignum opus, donati liberis ereptíque legibus rei & vtriusque filiæ pietatem parentis absolutio consecuta est. Nam cuius oro animum spectacula illa non flecterent. Iuuenis natæ vbera famelica mater anus, sed multo maxime inedia confectus & senio fugiens pater. Itaque hic illud amplius sacellum ex carcere & in memoriam pij actus pietati cõsecratum locum legimus. Iam quis illud apud Lacedæmonios non audiuit, vt fidissimæ vxores quasi viros capitalium rerum reos supremùm allocuturæ permissu custodum noctu carcerem ingressæ, quo tempore more gentis de condemnatis supplicium sumebatur, permutatis vestibus, & per speciem doloris capitibus obuolutis, & hora consilium adimente, illis emissis eorum in se periculum transtulerunt. Vt in eadem vrbe Leonide Regis soror virgo viris in consilio hesitãtibus prima bellum patriæ imminens deprehendit. Quis non nouit in Asia Ephesum vrbésque alias à fœminis subiugatas? Quis nescit in Africa Carthaginense Imperium vnius viduæ virtute fundatum? Quis non legit Israeliticum populum è duarum vnius viri coniugum, totidémque sponsalium ancillarum fœcunditate progenitum, & vnius viduæ constantia liberatum ducis hostium caput in gremio referentis. Europa quidem, nisi amore decipior, optima & nobilissima pars terrarum vnius regiæ virginis nomen seruat, cuius materna auia mater Agenoris Lybie nomen dedit. Nec minus Asia numero tertia spatio dimidia mundi pars & ipsa fœmineum nomen est. Ita trina tripertiti orbis appellatio, dictu mirum, & pro sexu infirmiore magnificum, non aliunde quàm de trium fœminarum progressa nominibus manet hactenus: nec video cur non cum ipsa mundi ætate mansura sit Italiæ vrbes, Mantua, Parthenope, Caieta, Lauinia, Graia, insuper vrbs Athenæ, ciuitas Cimmereis, quid sunt aliud quàm muliebria nomina. Quid verò nunc Romanas eloquar matronas,

quibus nihil honestius habuit, nihil candidius orbis terræ: profecto si cœpero, vix desinam. Huius enim orationis quod de magni Pompeij laudibus ait Cicero, difficilius est exitum quàm principium inuenire. Nam quis, quæso, Lucretiam verbis æquet pudicitiæ seuerissimum exemplar? Cuius etsi factum vsquequaque non probem, quod alienum scelus tam grauiter in suo corpore vlta est, nequeo tamen generosam iram & omnis turpitudinis impatientem animum non mirari. Quis Cœliam virginem digne explicet, quæ hostilis exercitus elusa custodia Tyberino gurgiti innatans virgineam aciem puellarum obsidium patriæ reddidit? Quam virtutem æque stupuit hostis ac ciuis, æque honore & præmio dignam duxit. Quis Corneliam Aphricani filiam Gracchorum matrem? quæ duodecim filiis partim morbo, partim ferro amissis, quorum fortissimos interfectos à populo atque inhumatos & in Tyberim abiectos oculis suis ipsa conspexerat. Tantam ruinam atque orbitatem viriles quoque animos concussuram tam inuicte pertulit, vt nullis complorantium matronarum fletibus induci posset, quin se miseram, sed fœlicem diceret, quæ tales filios genuisset? digna, me iudice, mulier quæ tales pareret indigna quæ perderet. Quis Catonis Martiam, quam sanctam vocat antiquitas? Quis huius natam Porciam: quæ viri morte nuntiata, ne illi superuiueret, quia præsens ferri copia non erat, viuis ore carbonibus absorptis viri sui amantissimum & sequi properantem spiritum exhalauit. Multas sciens voléns que prætereo, præcipue tibi notissimas virginibus nostris quæ non pro terrenis affectibus, sed pro pietate, pro veritate, pro castitate, pro fide, pro æternæ vitæ desiderio teneris corporibus, fortibus animis dura tulere supplicia, duras mortes. Et fateor in his ipsis de industria longus sum, vt sexus, cui infamando scriptorum aliqui studuere, qualicunque stilo vero certe, ni fallor, rerum testimonio ornatus laudum suarum parte non careat. Verùm vt in summo pedem figam, téque præillustris Augusta cum altissima omnium & tuæ sortis fœmina dimittam, quæ virtus Lunæ: quæ maie-

ftas? quæ gloria: hæc apud Cæsarem Augustum eum tenuit locum, quem tu hodie apud eius successorem Cæsarem nostrum tenes; non chori tantum sed consilij totiúsque vitæ particeps, facunda ante omnes & affabilis & quæ fide, prudentiáque sua meruit integrum atque perpetuum tanti principis amorem, quam ante se coniugum nulla meruerat. Quod te quidem iisdem artibus & fecisse & facturam esse confido: Sed ne sermo longior tædium ferat, filiam tibi datam cælitus velut arram nobilioris partus & gaudij plenioris læta complectere, & quod te séque dignum est, tuis illam moribus imbue, tui effice miratricem. Neque diffidas, quam Cæsar ex te genuit & parentibus similem & Cæsareo quoque coniugio dignam fore. Mediolani X. Cal. Iunias.

FRAN. PETRARCHA SOCRATI SVO S. Epist. IX.

Consolatio cum consilio.

MOuisti animum, fateor, Et nisi iam ratio viam gemitibus obstrueret, fixúmque esset fortunæ nolle succũbere, mouisses forsitan & lachrymas. In literis quidem tuis verum sensi, quod oratoribus placet, plus ad commiserationem excitandam posse virilem querimoniam, quam femineos eiulatus. Si enim status tui duritiem molliter questus esses, Si fortunæ violentiam, vt magna pars hominum, muliebriter deplorasses doluissem vtiq; Nam quis vnquã amicus amici damnum lætus audiuit? Nunc verò cũ te videam inter procellas humanarum rerum quamuis iratum ventis, erectum tamen, eò tibi profundiori charitate cõpatior, quò magis intelligo indignum te hac sortis iniuria, & nisi me amor fallit, lætiora promeritum. Præcipue ante motus sum & altius indolui ad illũ epistolæ tuæ locũ, vbi ais, te & naturæ tenerioris & in diebus iam progressum tuis vereri ne deserta patria, vbi mori optabas, cogaris tandem alienas ambire prouincias peregrinatione intempestiua & molesta & qua nil tristius pati possis. Quid ad hæc dicam? integem

gem grauia esse, quæ sensus animi docet esse grauissima? Iubeam ferreum esse, cum sis carneus? moneam non videre quæ in oculis sunt? horter obliuisci vulnerum, quæ nouis ictibus assiduè recrudescunt? Faciliùs dicuntur ista quam fiunt. Fiunt tamen, si ingenti nisu assurgens animus frena momorderit, seque supra se ipsum erigens pedibus humana substrauerit. Quod ipsum fateor, sine præsentissimo Dei auxilio fieri nequit. Hoc vnum, hoc primum atque vltimum, quod scrutantes cuncta philosophi non viderint, nobis in omni nostra aduersitate suppliciter implorandum est. Cętera illa vulgata sunt, ludos suos agere Fortunam, dum blanditur metuēdam; irridendam dum tonat, dum fulminat cōtemnendam: eò sibi minus fidei esse, quò lætiora promiserit, eò minus constantiæ inesse quò maiora præstiterit, eò min' telorū superesse, quò plus sparserit, facilius illam sub iugum mitti, quàm ad stabilem amicitiam trahi posse, Cedere solitam insultantibus, cedentibus insultare, nutantes impellere, cadentes opprimere, nullis hanc armis melius quam patientia superari: magnis malis magno animo resistendum: nullam in hac area laborum spem quietis non militiam modò, sed prælium esse vitam hominis: in aciem venire, quisquis in lucem venit: Nil vallo, nil excubiis profici, Nullum tempus induciarum paratum, semper esse discrimen, nec nisi te, hoc est, morte pugnam dirimi. Contra Fortunæ impetus fortitudinem esse pro clypeo, pauidos pro inermibus haberi; his qui plus metuunt plus esse periculi, vrgeri profugos, stratos obteri, stantes non posse calcari, & corpus, etsi nolit, animum, nisi consenserit non prosterni, Nil volenti difficile, nil importabile sapienti, nil mœstum nisi quod mœstum creditur, pro arbitrio fingi vel amara vel dulcia, omnia ex opinionibus pendere, forti animo nihil durum, molli autem dura omnia videri, fœlicibus male, miseris bene esse si velint, Non cedendum difficultatibus, adesse finem terribilium, iri per labores vitæ ad sepulchri requiem; Fugere ista, dum torquent, Grauia vitæ bella, sed breuia. & perexigui operis ingentia præmia; In alto sitam esse gloriam, in imo de-

decus, in aperto voluntatem, in confragoso virtutem: marcescere animum deliciis, laboribus splendescere; è mollicie contrahi solere rubiginem, asperitate detergi, Nil tam viro proprium quàm laborem, ad hunc nasci hominem, vt ad volandum auis, ad natandum piscis; Scortum infame sub meridie in sinu fœdi amatoris conquiescere, virginem sacram, gelu hispidam, media solam nocte consurgere; Iacere ægrum in grabatulo, Sedere parasitum in conuiuio, Stare in prælio bellatorem, inter fluctus nautam, inter pocula bibulum, inter vulnera militem spectari, Sudare Thersitem sub lodice, sub armis Æacidem, Sardanapalum somno & voluptatibus infamem, clarum laboribus Herculem, Stertere lixas ac lenones, dum dux vigilat, durum athletam duellis durioribus exerceri: Cariorem Regi suo, quem grauioribus probat experimentis: languidum otium his permitti, in quibus spes gloriosi negotij nulla sit, Cum prosperitate pacem nobis ambiguam, honestum cum aduersitate certamen: vnum in vita bonum esse, vnum malum, reliqua indifferentia & quæ sequi soleant animum possidentis speciosam, sed onerosam sarcinam esse diuitias, errore potius vulgi quàm doctorum iudicio pretiosas: Splendidam esse, sed grauem auream catenam: Eminentis fortunę gradum præcipitio proximum: humanam potentiam nil aliud quàm claram optatámque miseriam: sublimis vitæ cursum nil aliud, quam sonoram & lucidam tempestatem: nil exitum aliud quam ruinam. Non minus pungere gladium, cuius capulum iaspis illustrat, neque minus stringere laqueum cui pretiosus è serico nodus est: Patriam viro omnem mundi angulum, exilium nusquam esse, nisi quod impatientia fecerit, Cùm inhiare cælestibus mens cæperit vbique illi exilium fore, donec peruenerit quò suspirat, Sapientem bona sua secum ferre quocunque ierit, nihil illi naufragium obesse, nihil incendium seu rapinam: eam quæ paupertas dicitur, leuamen esse solitudinum atque discriminum: Id quod exilium vocant, fugam innumerabilium curarum: mortem bonis & laborum finem & fœ-

licissimæ

liciſſimæ quietis initium. Mille ſunt huius modi, & magna licet ex parte vulgo incredibilia videantur, inter doctos tamen atque expertos nihil verius, nihil eſt certius. Quæ quoniam ſuperuacuè, niſi fallor, auribus tuis inculcem: ad alia protinus ſtilum flecto. Sentio te perſecutionem pati propter meum nomen. Quod in me non audent, in te liuidum virus effundunt. Curabo ne noceant, ſed quod inuidiæ proprium eſt, ſeſe malo ſuo crucient eò miſeriores, quò nobiſcum agi ſenſerint fœlicius. Non patiar vt mali plus quàm boni tibi attuliſſe noſtra dicatur amicitia. Afferri tibi vis non poteſt, ne te viliſſimorum minæ hominum deiiciant caue. Solare mæſtum animum. Non eſt ille miſer, nec erit quidem, niſi ſe faciat. Vis videre quàm non ſis miſer, cogita quam multis inuidiam facias. Nemo ſimul inuidioſus & miſer eſt: dum vrgeris, ſta: dum terreris, fide: aſſurge, dum premeris: dic animo, dic corpori virgilianum illud famoſiſſimum:

Durate & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Dic illud eiuſdem:

O ſocij neque enim ignari ſumus ante malorum,
O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

Ille, inquam Deus qui aliis multis & variis finem dedit. Cura, obſecro, ne tuis & bonorum omnium publicis hoſtibus captatam ex te gaudendi præbeas materiam, neue illis vacuum locũ linquens patriam deſerendam putes. Non eſt firmi animi & in ſolido fundati, leuis auræ flatibus agitari. Cannenſi clade debilitatis animis auctore Cæcilio Metello conſilium initum fuerat Italiæ relinquendæ. Id Africani tunc adoleſcentis virtute diſcuſſum eſt, qui ſtricto gladio ſuper capita conſultantium iureiurando aſtrinxit, eos neque patriam deſerturos, neque paſſuros deſeri. Aude, vir, in primo fortunæ murmure, quod adoleſcens in extremo eius vulnere eſt auſus. Aude in te ipſum, quod ille in alios: aude in vnum, quod ille in plurimos auſus eſt. Conſternatis affectibus gladium rationis intenta: coge illos mutare conſilium, ſi conſilium abeundi placuit: alioquin fluctuantem ſiſte animum, & coge in meliorem iurare ſententiam. Multa fert ſecum dies: nulla fortuna perpetua

est multa remedia non expectantibus peruenere. Nunquam desperatio sera fuit: vnde forte non putas, veniet auxilium tibi. Quod ad me attinet communicare tecum omnia propositum est, atque in primis amicitias. Qua in re nulli vsquam meæ sortis homini cesserim, vel nobilitate, vel gratia, vel fide, vel numero. Scripsi iam nunc magno illi amico de rebus tuis vt petisti, Opémque eius minimè defuturam tibi persuadeas velim. Interim forte ipse adero. Psyllum venturum credito. Abrocinum erit in manibus spero fore vt vel afflatu ipso serpentum sibila côticescat. Sin omnino pro tempore subducere caput inuidiæ decreuisti, habes in tempestate hac vicinum & paratum portum. Scio te magno mei desiderio teneri. Etsi enim animos virtute coniunctos, vtque ait *Hieronymus*, Christi glutino copulatos nihil sit quod separet, non locus, non tempus, non obliuio non tædium, non spes, non metus, non inuidia, non ira, non odium, non fortuna, non carcer, non vincula, non diuitiæ, non paupertas, non ægritudo, non mors, non sepulchrum & resolutum corpus in cineres. Ideóque veræ amicitiæ immortales sint: est tamen dulcedo quædam non parua, præsentia. Ea nunquam ex quò primum distrahi cœpimus tam diu nobis ante hoc tempus erepta est. Iam mihi septimus sine te in hac Regia vrbe annus agitur. Age ergo, quid cessas expectatus, exoptatus aduenı exoratus, sic tamen vt non metu hostium pulsus, sed amici tractus desiderio videare. Veréque ita sit, pelle moram, gesseris, multísque præterea quibus pridem charus, nondum notus, magnam tui opinionem, quam præsentia, mihi crede, non minuet, præmisisti. Surge, non te desuetudo segnem fecerit, nil te terreat, nil moretur. Surge, breue est iter. Alterum fiet, aut ego te hic vinciam, aut tu me hinc solutum tecum reuehes: vtrumuis accidat, haud irritus fuerit aduentus tuus: nempe & me reuiseris, & Italiam inuiseris, & tantisper interea quieueris frustra inuentos inuidia sæuiente. Dirimenc te Alpes ab anguibus, quæ nunc dirimunt ab amico, & quem impediunt, tuebuntur

buntur & regent donec veneni fons ac principium aruerit: quod propediem mihi futurum spondeo. Tu quæso ne dubites, sed siue moram siue iter elegeris, magno fiat animo quicquid fiet. Quæ summa spei est, aderit Deus superborum hostis, dux humilium. Deus, inquam, ipse aderit, & ego pro viribus absens præsénsque non deero. Proinde, quia facilitatem simul ac magnitudinem animi tui noui, non instabo amplius, ne quod amicitiæ est, diffidentiæ videatur: vnum peto memorem te mei, ne oblitum tui. Demum, vt Cæsareo verbo vtar, iubeo te bene sperare. Viue & vale. Mediolani IX. Cal. Iulias.

FRAN. PETRARCHA NERIO MORANDO FOROLIVIENSI, S. Epist. X.

Gratulatio recuperatæ valetudinis, & fugiendi periculosi consilium laboris. Multa insuper de acerrimo & proprio quodam casu suo.

GRatum vt in malis habui quod ad me conualescentiæ tuæ prius quàm ægritudinis fama perlata est. Deo gratias, qui minatur crebrius, quam ferit, tonátque sæpius quam fulminat, & sæpe nos concutit non vt deiiciat, sed vt firmet nostræque conditionis admoneat. Nullius vnquam patris pietas tanta fuit, quæ patris æterni collata clementiæ non seueritas, imo verò crudelitas videretur. Hanc ille clementiam in nobis iugiter & sæpe non sentientibus nobis, exercet. Cuius intermissio si vlla esset, nos nihil essemus: sed tunc conspectius eminet, quando graui cuipiam præsentíque periculo eripimur. Et vbinam, quæso, mortalibus non graue semper præsénsque periculum? Nec vnquam certe nec, vsquam sine periculo viuamus. Etsi interdum alicubi sine periculi suspicione viuamus, par vbique periculum, non par metus. Vnde fit, vt non semper periculo liberati gratias agamus, ignari scilicet rerum & ingrati salutis, vt Maro ait: alioquin nunquam mens, nunquam lingua cessaret, nunquam cessante misericordia. Compresso autem metu aliquo insigni, tum

demum grates agimus, tum vota persoluimus. Pro hac causa & tu nunc in propria, & ego in amici salute voti reus sum, non prophanis extorum sacris, sed sacrificiis laudis aram cordis restitutori tuo, seruatori omnium adolentes Tibi vero præterea pauca subiunxerim: sæpe te monui, ne corpus tuum necessariis satis attritum atterendúmque, laboribus superuacuis premeres, ne ingenium ad literas natum ad arma conuerteres, vbi & periculi amplius, & minus delectationis aut gloriæ est, quamuis, vt verum tibi preconium non subtraham, vix norim cui magis hac ætate conueniat illud Catoni seni à Tito Liuio tributum, Cui scilicet versabile ingenium sic pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum diceret, quodcunque ageret. Non tamen id mihi negaueris, ipsum ingenium tuum si suam illi libertatem addideris, si frena laxaueris, etsi ad omnia possit, ad literas diuersurum. At tu quasi consilij mei tuíque corporis immemor, & tui desertor ingenij, per æstus & glaciem, per imbres & puluerem, per vepres & lubricum assidue volueris, nec ancipites casus vides, nec circumfusa discrimina. Oro te opiniones hominum pessimas atque falsissimas auersare: & naturam sequere. Illa reducet ad tuum finem. Nunc aliena sectaris, non quia tibi hæc placeant, cui nil penitus præter honestum placet, sed vt tu aliis placeas, quibus forte non placuisse sit satius. Et de te quidem hactenus. Ad me ipsum redeo. Ruri habito haud procul ab ardua amnis ripa. Et quoniam non aliter mei quam tui me sollicitum scio, olim me ex omnibus qui apud vllas gentes quocunque tempore scripserint, tecum in hoc, vt in multis vnanimem singulariter Ciceronem mirari & amare. Neque enim vereor, ne parum Christianus sim, si Ciceronianus fuero. Nihil enim contra Christum Cicero loquitur, quod certe meminerim. Et si quid forte contra Christi doctrinam loqueretur, id vnum est, quod nec Ciceroni, nec Aristoteli crederem, nec Platoni. Quando enim homini crederem, qui nec angelo crediturus sim, Apostolico consilio fretus, vbi ait ad Galatas: Sed

licet

sed licet vos aut Angelus de cœlo euangelisaret vobis præterquam quod euangelisauimus vobis anathema sit? néue à Cicerone digrediar, Sæpe ille quidem deos nominat seculi sui morem sequens: quin & volumine integro deorum naturam tractat, vbi si acrius attendatur, deorum turbam & inania nomina non tam celebrat, quam irridet ac detegit. Et certe vbi ex proposito loquitur, vnum Deum eúmque principem mundíque rectorem vocat Et licet, vt sæpe dixi & scripsi, forte paratum veritati periculum timeret, alicubi tamen ingenue fassus est, non conuenire Philosopho dicere, Deos esse. Quis mihi igitur veræ fidei obicere Ciceronem statuat, aut quasi peregrini vel quod maioris inscitiæ sit inimici nominis conflet inuidiam: Christus equidem Deus noster: Cicero autem nostri princeps eloquij. Diuersa fateor: aduersa negem. Christus Verbum est & virtus & sapientia Dei patris: Cicero multa de verborum arte, déque virtutibus & humana sapientia loquutus est. Vt vera vtique & idcirco veritatis Deo absque vlla dubitatione gratissima. Cum enim Deus Veritas viua sit: Cum, vt ait pater Augustinus, omne verum à veritate verum sit, haud dubie quicquid ab vllo verum dicitur, à Deo est. Christum, fateor, nosse non potuit paulo ante rebus humanis exemptus, quam Christus Deus homo fieret, flenda nempe viri sors. Nam vt altissimi & diuini prorsus fuerat ingenij, si vidisset Christum, aut nomen eius audiuisset, quantum ego opinor, non modo credidisset in eum, sed eloquio illo incomparabili Christi præco maximus fuisset. Quale aliquid de altero principe Latinæ facundiæ Virgilio poëta, cum ad eius tumulum venisset Apostolus Paulus & fleuisse legitur & dixisse. Cur autem id Christus ipse noluerit, non est quærenda ratio ab illo, cuius voluntas ratio summa est. Quantum tamen ad altitudinem diuini consilij humanæ se erigunt coniecturæ, nec potentiam, cum posset, nec mundanam sapientiam, nec eloquentiam quæsiuit, cui non persuadere dictione, vt rethorici docent, sed

cæcis & errantibus nudæ lumen veritatis ingerere propositum erat, atque infirma mundi eligere, sicut scriptum est, vt fortia quæque confunderet, & sapientiam sapientum perdere, & prudentum prudentiam reprobare, denique stultam facere sapiẽtiam huius mũdi, & per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, ne si aliter fecisset, non cælestis & diuina veritas, quam docebat, sed terrena vis aut humanum artificium videretur, atque in sapientia verbi, vt ait Apostolus euacuaretur crux Christi. Cæterùm vir ille, de quo loqui cœperam, mihi ab ineunte ætate tam charus semper & tam cultus, Cicero, qualiter modo mecum luserit, hinc audies. Est mihi volumen Epistolarum eius ingens, quod ipse olim manu propria, quia exemplar scriptoribus nuperrimum erat, scripsi, aduersa tunc valetudine, sed corporis incõmodum & laborem operis magnus amor & delectatio & habendi cupiditas vincebant. Hunc librum, vt mihi semper ad manum esset, in bibliothecæ ostio posti innixum stare solitum vidisti. Dum verò sępe locum alium cogitãs ingredior, accidit vt togæ fimbria inaduertens librum ipsum impingerem. Ille cadens læuum mihi crus non multo supra talum ictu exiguo perstrinxit. Ergo illum iocans: & quid, inquam, rei est, mi Cicero, cur me feris? Ille nihil, sed eodem postridie redeũtem rursum ferit, rursumq; cũ iocis erigitur in suam sedem. Quid te moror? Læsus iterum atque iterum expergiscor, & quasi indignantem humi esse altius attollo. Sed cum iam crebra cõcussione repetiti loci fracta cutis nec spernendum vlcus staret, spreui tamen, potius rei causam quàm rem ipsam librans. Itaque nec aquis abstinui, nec equestri vectatione, nec pedestri itinere temperaui, expectans finem paulatim quasi se sperni dolens vulnus intumuit, & subinde nescio quænam tetra discolor & virulenta succreuerat. Tandem igitur cum iam dolor non iocos tantum, sed somnos requiémque lacesseret, vt non magni animi contẽptus, sed amentiæ videretur, medicos coactus accerso, qui multis iam diebus huic non amplius ludicro vulneri incumbunt non sine cruciatu & periculo læsi artus, vt perhibe-

perhibent. Etsi illorum prognosticis in vtramque partem quantum sit fidei apud me, nosse te credam, & fomentis tamen crebris vrgeor & solitis cibis arceor, & insueta corporis quiete contineor. Inuisa omnia, atque illud inprimis quod voluptuosorum epulis vti cogor. Sed iam res ad salutem spectat, vt & tu quoque prius conualescere, quam ægrotasse me noueris. Vna mihi frequens indignatio, quod omnis ferme collisio ac dolor in hanc vnam corporis partem præscripto de more incidit, vt non inepte famulus mecum iocans inter familiaria seruitia sæpe fortunarum tibiam nuncupare soleat. Sæpe illa me per omnem vitam exercuit multum tempus à puero incipiẽs. Id, quo nihil tristius facio, iacere compulit. Quid dicam? Parum abest quin non dico admittam, sed lentius respuã fati nomen, quando non modo quisquis hominum, sed humani quæque pars corporis atque animæ suam sortem habet. Et sane suspectum potius nomen hoc pro eo quod ad impium sensum quibusdam prauis & obliquis ingeniis trahi solet, quàm res ipsa falsa est Si quidẽ à fando fatum dicitur, & vt ait Dauid, semel locutus est Dominus. Et quod ille locutus est, vtique fatum est, vt enim Propheticæ grauitati poeticum assit eloquium, Graue & inimitabile sanctis pondus adest verbis,

Et vocem fata sequuntur,

Vt ait Statius Papinius. Atque ita fatum ac diuina prouidentia vnum sunt. Quod qui ita intelligit, non fallitur, licet propter eam, quam dixi, suspicionem nominis tenendam sententiam, corrigẽdam linguam admoneat Augustinus. Nos autem verbi disputationibus omissis, rem ipsam pia & minime pertinaci opinione teneamus ipsam in omnibus veritatem, non victoriam aucupantes, & semper ex verbis animi præsidium elicientes intrepidi paratique simus, non ad hoc aut illud mali genus, sed ad omnia. Nihil enim mali est, quod non homini, dum viuit impendeat. His malis omnibus vitæque periculis sola mors liberat. Cæterùm in hoc meo casu, de quo plus quàm pro re dixerim, suum forte impletur nomen, sic enim vulgo quod infaustum est, læuum aut sinistrum di-

citur: quamuis illud non me lateat, in auguriis læua eadem esse, quæ prospera vnde est apud Poetam: *Intonuit Læuum*, lætúmque est tonitru, quod est læuum ea scilicet ratione, quod quæ læua sunt nobis dextra sunt superis vnde omnis prosperitas expectanda est. Licet hic quoque inter nos, Graiósque & barbaros multa sit lis, quod vt diximus nos sinistra, illi etiam in auguriis dextra putant esse fœlicia. Quæ ambages quoniam procul ab incœpto sunt, illud ad summam noueris, hanc infaustam ac sinistram: tibiam passam modo, quod solita est, sed insperato ab hoste, Ita dilectus meus Cicero, cuius olim cor, nunc tibiam vulnerauit. Tu integer & illesus vale. Idibus Octobris, nocte media.

FRAN. PETRARCHA NERIO MORANDO FOROLIVIENSI, S. Epist. XI.

De amico suo quodam fidelissimo viroque honesto.

IAm satis rerum mearum minutias legisti, satis Ciceroniani vulneris processit historia. Ne autem solum Ciceronem diligi ab ignotis credas, vnum illis adiiciam, quod licet vetus apud te, noua animum admiratione perfundat. Est hic semper in oculis Pergamum Italiæ Alpina vrbs. Nam, vt nosti, alia huius nominis in Asia est, olim Attali, regia, Romanorum post hæreditas. In hac nostra vir est vnus literarum tenui notitia, sed ingenio acri si tempestiue literis datum esset, artificio autem aurifaber inque eo longe eminens, quodque optimum habet hominis natura, mirator amatórque rerum excellentium: auri vero, quod quotidie tractat, opúmque fallacium, nisi pro necessitate contemptor. Et hic quidem iam ætate prouectior, cùm forte meum nomen audisset, famæ lenocinio confestim in amicitiæ meæ studium vehementer exarserat: longius eam, si quibus ille tramitibus ad huius modestissimi voti successus ambierit, exequar, quid fidei honestarúmque blanditiarũ in me meósque omnes exercuerit, vt ad me longe positum fa-

miliariter atque ardenter accesserit, ignotus facie, sed iã proposito notus] & nomine, quidue animo gereret, in fronte atque oculis scriptum habens. Quid putas? Num sibi me negaturum, quod nulla barbaries, nullum ferox animal negasset. De liniimentis & fido ac perpetuo flexus obsequio tota virum mente cõplector. Neque enim sat me hominem rear, si honeste amanti sim durior ad reddẽdam vicem. Ille autem exultare, gloriari, gaudium animi, vultu, voce, gestu prodere, & quasi voti compos au gustissimi altiora respicere, & totus in virum alterum repente conuerti, iam primum patrimonij sui partem non exiguam in meum decus expendere, signum, nomen, imaginem noui amici in omnibus domus suæ angulis, sed in pectore altius insculptam habere: Partem alteram scribendis quæcunque mihi stilo quolibet effluxerunt. Et ego, negata maioribus sibi haud duriter, scripta largiri ardore hominis ac nouitate propositi delectatus. Quid vis? paulatim ille priorem vitam actus & studia moresque dedidicit, & pene omne, quod fuerat, sic exuit, vt sui omnes mirentur ac stupide stupeant. Ad extremum me dehortante & sæpius admonente ne sero literarum studio curam rei familiaris abiiciat, ad hoc vnum mihi surdus & incredulus fabrilem deseruit officinam, Gymnasium & artium liberalium magistros colit, delectatione eximia, mira spe, quam fortunatus studiorum nescio, sed votiuo nisi fallor dignus euentu, qui tanto impetu tam honestam rem tantoque reliquorum omnium contemptu appetat. Et sibi quidem ingenium feruorque animi, Ciuitati autem illi magistrorum copia semper fuit, obstare sola videtur ætas hominis: quamuis & Platonem & Catonem tales viros, illum prouecta ætate Philosophiæ, hunc in senectute literis Graiis haud frustra operam dedisse compertũ sit: Fortasse autẽ hic meus ob hoc ipsum nõ indignus fuerit, qui aliqua in parte mei operis inueniat locũ. Est igitur viro nomẽ Henric⁹, cognomẽtũ Capra, animal expeditũ impigrũ, frõdis amãs & natu sẽper in altũ nitẽs. Inde autẽ dictũ Varro extimat, quòd virgultum carpat, vt sit capra transportata litera quasi carpa. Quod si cuiquã haud dubie huic nostro debitum

scias, qui si mane syluam attigisset, crede mihi, distentum vber atque vterum retulisset. Hæc tibi olim cuncta notissima, sed noscenda aliis dicta sint. Quod sequitur, adhuc nescis. Hic ergo talis in se, & erga me talis, iam dudum orare institit, vt séque suúmque larem aduentu dignarer meo, & vnius saltem lucis mora, sicut ipse aiebat, omnibus seculis gloriosum ac fœlicem facerem. Hoc eius desiderium non absque difficultate aliquot iam per annos traxeram. Nunc tandem & in ciuitate loci & non precibus solum, sed obsecrationibus & lachrymis euicit vt flecterer, elatioribus licet amicis obstantibus, quibus honore indigna videretur humilitas. Veni ergo Pergamū III. Idus Octob. ad vesperam. eodē illo duce, qui hortator fuerat, & subinde trepidulo, ne me interim consilij pœniteret, atque ideo modis omnibus satagente per se perque alios, vt à sensu itineris confabulando diuerterer. Itaque planum iter & breue non sentientes egimus. Quidam verò me nobiles prosecuti erant ob id maxime, vt tam feruidi hominis secreta cognoscerent. Cum ad vrbem igitur ventum esset, & ab amicis obuiam progressis multo cum gaudio excipior, & à præside prouinciæ & à belli duce & à pimoribus populi certatim pro te quoque instante in palatium publicum & nobilium domos vocor: illo interim mire anxio & tantis precibus pauente ne vinceret: Feci autem quod me dignum credidi, ad humilioris amici domum cum sociis descendi. Ibi vero ingens apparatus. Cœna non fabrilis non philosophica, sed regia, thalamus auratus, cubile purpureum, vbi nec iacuisse, nec iaciturum esse alium persanctè iurat, librorū copia non mechanici sed studiosi hominis & literarum amātissimi. Ibi noctem illam egimus: nec vnquam puto lætiore hospite vlla nox acta est. Tanta enim lætitia gestiebat, vt timerent sui, ne forte in morbum aut amentiam verteretur, siue quod multis olim accidit, etiam in mortem. Inde verò die proximo honoribus & concursu hominum pulsus abij præside ipso atque aliis multò pluribus longiúsque quàm vellem comitantibus, & amicissimo hospite vix serum lateri auulso sub noctem ipse rus redij. Habes, mi Neri, quod tibi non incognitum volebam. Hic no-

cturnarum epistolarum limes sit. Iam enim hæc iugiter ad auroram scribendo tulit impetus, fessúmque matutinæ quietis admonet soporifera noctis pars. Tu vale feliciter nostri memor. Scripta rurali calamo, Idibus Octobris ante lucem.

FRAN. PETRARCHA IOANNI DE CERTALDO, S. Epist. XII.

Purgatio ab inuidis obiectæ calumniæ.

MVlta sunt in literis tuis haud quaquam responsionis egentia, vt quæ singula nuper viua voce transegimus. Duo ex omnibus non prætereunda seposui. Ad hæc breuiter, quàm se obtulerint, dicam. Primum ergo te mihi excusas, idque non otiose, quod in conterranei nostri popularis quidem quod ad stilum attinet, quod ad rem, haud dubie nobilis, poetæ laudibus multus fuisse videare. Atque ita te purgas, quasi ego vel illius vel cuiusquam laudes meæ laudis detrimentum putem. Itaque quicquid de illo prædicas, totum si pressius inspiciam in meam gloriam verti ais. Inseris nominatim hanc huius officij tui excusationem, quod ille tibi adolescentulo primus studiorum dux & prima fax fuerit. Iuste quidem, grate, memoriter, & vt propriè dicam, piè. Si enim genitoribus corporum nostrorum omnia, sed fortunarum auctoribus multa debemus, quid non ingeniorum parentibus ac formatoribus debeamus? Quanto enim melius de nobis meriti sint qui animum nostrum excoluerè, quàm qui corpus, quisquis vtrique iustum pretium ponit, intelliget, & alterum immortale munus, alterum caducum & mortale fatebitur. Age ergo non patiente, sed fauente me illam ingenij tui facem, quæ tibi in hoc calle, quo magnis passibus ad clarissimum finem pergis, ardorem præbuit ac lucem, celebra & cole, ventosisque diu vulgi plausibus agitatam atque, vt sic dixerim, fatigatam tandem veris, téque seque dignis laudibus ad cœlum fer: in quibus omnia placuerunt. Nam & ille dignus hoc præconio, & tu, vt ais, huic officio obnoxius: ideoque carmen illud tuum laudatorium amplector, & laudatum illic vatem ipse quoque collaudo. In

excusatoria autẽ epistola nihil est, quo mouear, nisi quod parũ tibi nunc etiã not⁹ sim, cui me plane notissimũ arbitrabar. Ergo ego clarorũ hominũ laudibus nõ delecter imò & glorier? Crede mihi, nihil à me lõgius, nulla mihi pestis ignotior inuidia est: Quin potius vide, quã procul inde absim scrutatorem mentium Deum testor, vix me aliud in vita grauius pati, quàm quod bene meritos & gloriæ & præmij omnis expertes video: non quod aut hinc damnum ipse proprium querar, aut contrario lucrum sperem, sed publicam sortem fleo, ad obscœnas artes honestarum præmia translata conspiciens. Etsi non sum nescius, quod quamuis meritorum gloria ad merendi studium animos excitet, vera tamen virtus vt Philosophis placet, ipsa sibi stimulus, ipsa est præmium, ipsa sibi cursus & brauiũ: proinde quia tu mihi materiam obtulisti, quam quæsiturus sponte non fueram, libet insistere, vt non tantum falso, sicut de se ipso & Seneca Quintilianus ait, sed insidiose etiam penitúsq; maliuole apud multos de me vulgatam opinionem in iudicio viri illius apud te vnũ ex parte apud alios expurgẽ. Dicunt enim, qui me oderunt, me illum odisse atque contẽnere, vt vel sic mihi odia vulgarium conflent, quibus acceptissimus ille est. Nouum nequitiæ genus, & mirabilis ars nocendi. His pro me veritas ipsa respondeat. In primis quidem odij causa prorsus nulla est. Erga hominem nunquam mihi nisi semel, idque prima pueritiæ meæ parte monstratum. Cum auo patréque meo vixit auo minor, patre autem natu maior, cum quo simul vno die atque vno ciuili turbine patriis finibus pulsus fuit, quo tempore inter participes ærumnarum magnæ sæpe contrahuntur amicitiæ, idque vel maxime inter illos accidit, vt quibus esset præter similem fortunam, studiorum & ingenij multa similitudo, nisi quod exilio, cui pater in alias curas versus & familiæ sollicitus cessit, ille obstitit, Et cùm vehementius cœpto incubuit omnium negligens soliúsque famæ cupidus. In quo illum satis mirari & laudare vix valeam. quem non ciuium iniuria, non exilium, non paupertas, non simultatum aculei, non amor coniugis, non

natorum

natorum pietas arrepto semel calle distraxerit: cum multi quàm magni tam delicati ingenij fuit, vt ab intentione animi leue illos murmur auertat, quod his familiarius euenit, qui numeris stilum stringunt, quibus præter sententias, præter verba iuncturæ etiam intentis & quiete ante alios & silentio opus est: odiosum ergo, simúlque ridiculum intelligis odium meum erga illum nescio quos finxisse, cum, vt vides, odij materia nulla sit, amoris autem plurima, & patria scilicet, & paterna amicitia & ingenium & stilus in suo genere optimus, qui illum à contemptu late præstat immunem. Ea verò mihi obiectæ calumniæ pars altera fuerat, cuius in argumentum trahitur, quod à prima ætate, quæ talium cupidissima esse solet, ego librorum varia inquisitione delectatus nunquam librum illius habuerim, & ardentissimas semper in reliquis, quorum pene nulla spes superat, in hoc vno sine difficultate parabili nouo quodam nec meo more tepuerim. Factum fateor, sed eo quo isti volunt, animo factum nego. Idem tunc solo deditus vulgari eloquio ingenium exercebam. Nihil rebar elegantius, nec dum altius aspirare didiceram, sed verebar ne si huius aut alterius dictis imbuerer, vt est ætas illa flexibilis & miratrix omnium, vel inuitus ac nesciés imitator euaderem. Quod vt erat animus annis audentior, indignabar, tantúmque fiduciæ seu elationis indueram, vt sine cuiusquam mortalis auxilio in eo genere ad meum & proprium quendam modum suffecturum mihi ingenium arbitrarer. Quod quàm verè crediderim alij iudicent. Hoc vnum non dissimulo, quoniam si quid in eo sermone à me dictum illius aut alterius cuiusquam dicto simile siue idem forte cum aliquo sit inuentum, non id furtim aut imitandi proposito, quæ duo semper in his maxime vulgaribus, vt scopulos declinaui, sed vel casu fortuito factum esse, vel similitudine ingeniorum, vt Tullio videtur, iisdem vestigiis ab ignorante concursum. Hoc autem ita esse siquid vnquam mihi crediturus es, crede. Nihil est verius. Quod si mihi nec pudor, vt credi debeat, nec modestia præstitisset, iuuenilis

animi tumor præstat. Hodie enim ab his curis longe sum. Et postquam totus inde abij sublatúsque, quo tenebar, metus est & alios omnes & hunc ante alios tota mente suscipio. Iámq, qui me aliis iudicandum dabam; nunc de aliis in silentio iudicans variè quidem in reliquis; in hoc ita vt facile sibi vulgaris eloquentiæ palmam dem. Mentiuntur igitur me illius famam carpere, cum vnus ego forte melius quam multi ex his insulsis & immodicis laudatoribus sciam quid id est eis ipsis incognitum, quod illorum aures mulcet, sed obstructis ingenij tramitibus in animum non descendit. Sunt enim ex illo grege quem Cicero in Rhetoricis notat, cum, inquit, legunt orationes bonas aut poemata, probant oratores & poetas, neque intelligunt quare commoti probent, quod scire non possunt, vbi sit nec quid sit, nec quomodo factum sit id quod eos maxime delectet. Id si in Demosthene & Tullio inque Homero & Virgilio inter literatos homines & in scholis accidit, quid in hoc nostro inter idiotas in tabernis & in foro posse putas accidere? Quod ad me attinet, miror ego illum & diligo, non contẽno. Et id forte meo iure dixerim, si ad hanc ætatem peruenire illi datum esset, paucos habiturum quibus esset amicior, quàm mihi: ita dico, si quantum delectat ingenio, tantum moribus delectaret: sicut ex diuerso nullos, quibus esset infestior, quam hos ineptissimos laudatores. qui omnino quid laudent, quidue improbent ex æquo nesciunt. Et qua nulla poetæ præsertim grauior iniuria scripta eius pronũtiando lacerant atque corrumpunt: quæ ego forsitan, nisi me meorum cura vocaret aliò, pro virili parte ab hoc ludibrio vendicarem. Nunc quod vnum restat, queror & stomachor illius egregiam stili frõtem inertibus horũ linguis conspui fedarique vbi vnum, quod locus exigit, non silebo, fuisse mihi non vltimam causam hanc stili ei⁹ deserendi, cui adolescens incubuerat. Timui enim in meis quod in aliorum scriptis, præcipuéque huius, de quo loquimur, videbam, neque volubiliores vulgi linguas aut spiritus molliores meis in rebus sperarem quàm in illorum esset, quos vetustas & præscriptus fauor theatris ac com-
pitis vr-

patis vrbium celebrassent. Meque non frustra timuisse res indicat, quando in his ipsis paucis, quæ mihi iuueniliter per id tempus elapsa sunt, vulgi linguis assidue laceror. Indignans, quodque olim amaueram perosus quotidie nolens & ingenio iratus meo in porticibus versor, Vbique in doctorum acies, vbique Dametas meus in triuiis solitus *Stridenti miserum stipula disperdere carmen.* Sed iam satis multa de re modica nunquam mihi tam serio agitanda: cum hanc ipsam horam minimè amplius redituram curis aliis deberem: nisi quia excusatio tua horum accusationi nescio quid simile sapere visa est. Solent enim plerique mihi odium, vt dixi alij contemptum viri huius obiicere, cuius hodie nomine scienter abstinui, ne illud infamari clamitans, cuncta audiens, nihil intelligens vulgus obstreperet. Alij autem inuidiam obiectant, hi scilicet qui mihi meóque nomini inuident. Nam etsi magnopere inuidiosus non sum, tamen, quod aliquando non credidi, quodque sero admodum aduerti, certe sine inuidis non sum. Atqui ante multos annos quando equidem in me magis affectibus licebat, non verbo aut scripto quolibet, sed carmine ad insignem quendam virum misso conscientiæ fidens profiteri ausus sum, me nihil vlli hominum inuidere: Sed esto: non sim dignus, Cui credatur, quam tandem veri faciem habet vt inuideam illi, qui in his ætatem totam posuit, in quibus ego vix adolescentiæ florem primitiásque posuerim, vt quod illi artificium nescio an vnicum, sed profecto supremũ fuit, mihi iocus atque solatiũ fuerit ingenij rudimentũ? Quis hic precor, inuidiæ locus: quæ ve suspicio est? Nam quod inter laudes dixisti, potuisse illũ, si voluisset, alio stilo vti, Credo ædepol. Magna enim mihi de ingenio ei⁹ opinio est: potuisse enim omnia, quib⁹ intendisset, nũc quib⁹ intẽderit palã est. Et esto iterũ, intẽderit, potuerit, impleuerit, quid tãdẽ? Ideoq; ne inde mihi inuidiæ & nõ poti⁹ gaudij materia, aut cui tãdẽ inuideat, qui Virgilio nõ inuidet? nisi forte sibi fullonum & cauponum & lanistarũ ceterorũue, qui quos nolunt laudare vituperãt, plausum & raucum murmur inuideam; quibus cũ ipso Virgilio cúmque Homero careremе gratulor. Noui enim

quanti sit apud doctos indoctorum laus: vel, nisi Mantuanus Florẽtino ciue mihi charior est credendus, quod origo per se ipsam, nisi quid aliud accesserit, non meretur. Quamuis illud non inficier, inter vicinos potissimum inuidiam regnare. Sed suspicionem hanc, precor, multa quam diximus, aetatum quoque diuersitas non recipit, quoniam, vt eleganter ait ille, qui nil inelegans ait, Mortui odio carent & inuidia. Iurato mihi fidem dabis, delectari me hominis ingenio & stilo. Neque de hoc vnquam me, nisi magnificè loqui solitum. Vnum est quod scrupulosius inquirentibus aliquando respondi, fuisse illum sibi imparem, quod in vulgari eloquio quam carminibus aut prosa carior atque altior assurgit. Quod neque tu neges, nec rite censentibus aliud quam laudem & gloriam viri sonat. Quis enim non dicam nunc extincta comploratáque iam pridem eloquentia, si, dum maximè floruit in omni eius parte summus fuit? Lege Senecae declamationum libros. Non id Ciceroni tribuitur, non Virgilio, non Salustio, non Platoni. Quis laudem ingenij negatam ambiat? Viro in genere excelluisse satis est. Quae cum ita sint, sileant, quaeso, qui calumniam struunt. At qui forte calumniantibus crediderunt, hi si libet, iudicium meum legant. His ergo, quibus premebar, apud te depositis ad secundum venio. Quod de tua salute tam sollicitus fuerim gratias agis: vrbane potius & vulgari more, quam quod nescias superuacuo id fieri. Nam cui vnquam pro sui ipsius cura, próque re propria bene gesta gratiae actae sunt? in te, amice, mea res agitur. Et si equidem in rebus humanis amicitia post virtutem nihil sanctius, nihil Deiformius, nihílque coelestius, tamen referre arbitror, an amare incipias, an amari, aliquantóque religiosius colendas, amicitias in quibus amoris vices reddimus quàm in quibus accipimus. Nempe vt sileam multa, vbi me tuis obsequiis atque amicitiae muneribus victum scio: Vnum illud obliuisci nunquam possim, quod tu olim me Italiae medio iter festinantius agentem iam saeuiente bruma non affectibus solis, qui quasi quidam animi passus sunt, sed corporeo etiam motu celerrimo

miro nondum nisi hominis desiderio præuenisti, præmisso haud ignobili carmine. Atque ita prius ingenij, & mox corporis tui vultum mihi, quam amare decreueras, ostendisti. Sera tamen diei illius & ambigua iam lux erat, dum me longo postliminio redeuntem & intra muros tandem patrios deprehensum officiosa & supra meritum reuerenti salutatione complexus renouasti illum poeticum cum Anchise congressum Regis Arcadij,

Cui mens iuuenili ardebat amore
Compellare virum & dextræ coniungere dextram.

Quamuis enim ego non, vt ille, cunctis altior irem, sed humilior, tibi tamen non minus ardens animus fuit. Non tu me Phinoi sub mœnia, sed amicitiæ tuæ sacris penetralibus induxisti. Nec ego tibi insignem pharetram Liciásque sagittas, sed perpetuam & sinceram beniuolentiam meam dedi. Multis rebus inferior hac vna nec Niso vnquam nec Pithiæ volens cesserim nec Lælio. Vale.



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILIARIBUS,

LIBER XIII.

Indignatio & querela contra illum, quisquis sit, qui deberet conterere, quæ dicuntur societates prædonum nunc Italiam peruagantes.



LOQVOR, quia cogor: vrget enim pietas, ardentésque stimulos anxio figit in pectore, qui me tacere non sinunt. Et scio me nequicquam loqui, neque Ouidiano releuor solatio, quod scilicet perdere verba leue est. imò enim nihil grauius homini silentium amanti. Loquor tamen, sed coactus, vt dixi, & loquor vobis, quibus heu nescio. O libertatis & pudicitiæ ingens vltor Brute, qui superbos fœdi seruitij auctores solio deiecisti, & impudicitiæ magistros vsque ad inferos gladio vindice persecutus es, vtinam viueres, tibi loquerer. O gloriose Camille, qui nostro sanguine despumantem transalpinam rabiem in ipsis adhuc fumantis patriæ cineribus extinxisti, vtinam viueres, tibi loquerer. O summe virorum Scipio, qui Hannibalem septimum decimum annum iam Italiæ incumbentem hinc vi detractum in propria patria virtute ac for-

fortuna concurrentibus mirabiliter confregisti, vtinam viueres, tibi loquerer. O Paule Æmili, qui reges Macedonum vetusto Imperio elatos & aduersus Italiam rebellantes vinctos ante currum in Capitolium egisti, & Romani iugum imperij ferre docuisti, vtinam viueres, tibi loquerer. O Mari, vt compatriota tuus ait Cicero, rusticane vir sed verè vir, qui barbaros in Italiam irrumpentes ipsis eorum in finibus tanto impetu superasti, vt de cruentis fluminibus ab exercitu sitiente non plus aquæ quam sanguinis biberetur, quique mox ad aliam mundi plagam mira celeritate conuersus ita furorem Cimbricum oppressisti, vt vix cadaueribus suis vtrobique victa barbaries, vix agminibus captiuorum victrix Roma sufficeret: vtinam viueres, tibi loquerer. O magne Pompei, qui infamem prædonum cateruam Romanis classibus Italicísque littoribus infestam, ac toto iã pelago sæuientem breuissimo tempore domuisti, atque in vincula coniecisti, vtinam viueres, tibi loquerer, & precarer vt sicut omnia maria infecta purgasti, ita nunc non dico omnes terras, sed Italiam saltem tuam noua prædonum manu miserabiliter inquinatam solita virtute purgares. O Iuli Cæsar, qui incursus hostium non expectans raptim superatis Alpibus, Rheno, Rhodano, ac Garumna fluminibus impigre transmissis incertum an fortunatior an fortior victrici acie Germaniam, Gallias, Britanniam, atque Hispanias peragrasti, vtinam viueres, tibi loquerer. O Cæsar Auguste, qui Reges terræ & legationes populorum omnium ad genua procumbentes atque, vt propriè dicam, ipsum orbem terrarum supplicem & affusum ex altissimo solio vidisti, & pace terra marique composita bellicum Iani templum fœlicissimè conclusisti, vtinam viueres, tibi loquerer. O insigne par hominum Vespasiane & Tite, digni alterutro & patre filius & filio pater, qui vno curru, quod nunquã antea visum erat, & Christi gloriosissimam vltionem & triumphum clarissimum de Ierosolymis retulistis, vtinam viueretis, vobis loquerer, & vt Christi iniurias iterum vindicaretis hortarer. O fortissime vir Traiane, qui iam senio frigef-

centis imperij membra multo spiritus feruore refouisti, ac præter spem iuuenescere coëgisti, nunquam certe vel tam gelatum atque decrepitum imperium, vel tam necessarius feruor tuus: vtinam viueres, tibi loquerer, & rogarem vt moribundæ patriæ opem ferres, nec ideo, quod in Hispania natus esses, Italicæ obliuiscereris originis. O bone Theodosi, qui parua hominum manu sed diuino fultus auxilio tibi militantibus elementis & coniurantibus tecum ventis sagittas barbaricas ex immanibus pharetris aduersum nos eductas in ipsas frontes atque exterminium barbarorum miraculose & incredibiliter retorsisti: vtinam viueres, tibi loquerer. Nunc quid agam? Et loqui oportet, & cui loquar non inuenio. Effundamque voces in nubila, si quis forsan amicior spiritus & bonis fauens è labiis meis abductus ad aliquam generosam aurem illas perferat, vbi fructificent, vt cupio potius quàm spero. Quid enim spei reliquum est. Quid agitur summe Iesu, vbi sunt oculi tui, quibus nos ab alto intuens non modo claros, sed inuidiosos mundo feceras. Hanc tantam fortunæ vertiginem, hanc tam subitam Fati vim, sine quibus aliis verbis, quod mæstum animum premit, expediam: Vidisti equidem certè, præsensque aderas, quando patrum nostrorum manus exigua nunc sub Arcton, nunc sub Austrum, nunc sub orientis, nunc sub occidentis solis extrema, stupentibus & attonitis gentibus ac regibus, victricia late signa circumtulit, hîc auaritiæ frenum stringens, illic tumidam premens insolentiam: hîc iracundiæ mitigans truces motus, illic sæuæ libidini iugum ponens: postremo aliquid vbilibet semper agens, quo magnifici transitus gloriosa vestigia superessent, & orbis ipse perdomitus, caput tamẽ vel veneraretur acceptum, vel dilatum silentio suspiraret. Quot maiorum nostrorum opera omnibus terris effulgent velut cœlo sparsa sydera? quot mirifici actus? quot exempla virtutum? quantum nomen? quanta memoria gestarum rerum? quot per orbem vrbes? quantæque coloniæ? quot trophæa minacia horrifico marmore

more victis terris extantia: quis cuncta dinumeret, quæ mundus ipse licet inuitus sentit indignánsque recordatur? Quid nunc igitur rei est? quid quæritur? quid defleam? quid accusem? en parua prædonum manus ex mille collecta fornicibus terrarum omnium dominam atque victricem Italiam peruagatur, & prouinciarum omnium Reginam sibi ante alias prouincias depoposcit. Heu quisnam consulet pudori nostro, quando iam de salute cogitare serum est? quis vultibus nostris velum dissimulationis aut ignorantiæ prætendet, quando non est qui malis nostris auxilium f rat? liceat saltem vel nescire quæ patimur, vel fœtidissimas cicatrices nostrorum vulnerum non videre. Volebam te orare suppliciter, O vir ingens, quem nominare non audeo, vt nobis dexteram dares, quod & posse videbaris, & quam maxime tuum erat: sed vt video prorsus obsurduisti. Itaque postquam nulli hominum loqui iuuat, ad te vltima & maxima spes mortalium preces verto. Si tibi, creator omnium, beneficiis tuis parum memoriter vsi sumus, si supercilium altius forte quam decuit tanto & tam præsenti diuinitatis fauore sustulimus & cõtrario vis vlcisci, rebus faciem muta. Tua est enim fortuna, tuæ sunt sortes, tuæ successuum humanorum vices. Imperauimus insolenter, seruiuimus humiliter. Auerte latronum iugum, si vnquam latronum more regnauimus. Si te offendimus, & si tibi libertas nostra non placet, at saltem illorum cædes sacrilegia, rapinæ, furta, adulteria, stupra displiceant: obsta tot malis, & te Dominum illis ostende, qui dixerunt in corde suo; Non est Deus, tuósque, pater, adiuua fortassis immeritos, sed de te sperantes, tuúmque nomen cum lachrymis inuocantes & ingenuè fatentes, qui non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu deus noster. Cal. septembris.

FRAN. PETRARCHA BONINCONTRO, S. Epist. IIII.

Gratulatio quod e procellis curialibus in priuatae vitae portum, sero licet, euaserit.

IAm sero licet, optime vir, viuere incipis: gaude: satis est enim modo incipias antequam desinas. Quidam certe, vt Annaeus ait, ante desierunt quàm inciperent. Iam classico non obstrepente nec stringentibus curis integros & tranquillos & placidos somnos carpis: iam laetos dies, securásque noctes agis: iam in portu nauigas, & post terga respiciens turbidas & ancipites procellas cernis intrepidus. Praesenti statui tuo gratulor, praeteritum miserabar, etsi forte vulgo faelicior videretur. Potuisti in tempestatibus & in bello mori. Ecce iam in pace morieris, in pace viues. Occultum diuinae prouidentiae munus agnosco. Longae consuetudinis visco explicitum ac fortassis, vt est animus hominum saepe rerum nescius & periculis suis fauens, vel inuictum te ventus optabilis patriae reddidit, vt ad aeternam illam patriam, vnde nunc exulam', liberior sit regressus. O quanto tibi melius accidit, quàm sperabas, & pelagi monstra & Sirenum cantus surda tut' aure transisti, & salua puppi Scyllam & Carybdim, ac multa cum laude curiarum fluctus & scopulos euasisti: Iam in patria tua degis. Iam ad patriam pergis: iam denique tuus es. O inuidiosum, ô beatum te, si quid fueris, quidue sis, noueris. Vale. Mediolani VI. Cal. Februarij.

FRAN. PETRARCHA IOANNI OLMVTZENSI EPISCOPO, IMPERIALIS AVLAE CANCELLARIO, S. Epist. V.

Excusanti eò minus esse fidei quò plus fuit amoris.

VNde hoc mihi, vt Dominus ac praeceptor meus me magistrum & Dominum suum vocet, nisi quia magnus amor sui obliuiosus nihil meminit, nisi quem diligit? Illum sibi qualem vult fingit: illum attollere nititur. Id si nequeat, ipse descendit. Tibi vni, nisi tuos è puluere erutos supra verticem tuum loces, nihil est actum. Ego verò, quo me altius extuleris, humilior fiam neque me vnquam tanti viri fauor meae conditionis immemorem

facies

faciet. Olim te in dominum prælegi: magistrum te non mea fecit electio sed ingenij tui vigor & industria. Deinceps igitur quemcunque me facito, rem tuam in alto vel in imo ponere, tuum fuerit. Meum est nosse meipsum & res meas, neque cuiquam facile de me ipso plus quã mihi credere, eoque minus fidei habere meis laudibus, quò plus me laudator amauerit. Gratiam tamen tibi tam pij affectus, támque vrbanæ dignationis habeo, teque felicem tali animo, me tali iudicio fortunatum reor. Multa nunc cogito, sed occupatio ingens, tempus breue est. Et præterea multis sæpe & magnis ad Cæsarem epistolis abunde oculos tuos occupaturus videor. ac linguam quæ illas, vt auguror, sacris auribus inuectura est. huic calamo ardenti & plurima satagenti si paulò liberius frena momorderit, vt ignoscat, quæso, Accedit & Buccolicum carmen, quod integrum ante te nulli permiseram habere, videre autem multis, cuius expositionem vel potius expositorem vt simul habeas velim, quod non prius sperare incipiam, quàm Cæsarem nostrum meis tot mundique clamoribus exsperrectum audiero. Reliqua ex eo, qui has tibi literulas dabit, percontaberε, omnium atque in primis mearum rerum gnarus ad te venit. De quo nihil aliud: nam nosti omnia, nisi inter præcones tui nominis, quos multos habes, non facile cuiusque altior tuba est. Vale fœliciter nostrum decus, Mediolani XII. Cal. Aprilis.

FRAN. PETRARCHA IOANNI OLMVTIENSI EPISCOPO, IMPERIALIS AVLAE CANCELLARIO, S. Epist. IV.

Non debere animum paruitatis suæ sibi conscium alienis laudibus de humilitatis suæ sede conuelli.

MIrus es, mi domine, mirus es valde: Nã quid oro, mirabilius q̃ in hac tua excellentia rerũ omniũ tã singularis tãq; sublimis humilitas. Sermone tuo modis omnib' te deprimis, quẽ natura, quẽ fortuna, quẽ naturę fortunæq; Dominus Christus attollit, quẽ sũmus hominũ Cæsar amat, quẽ mirãtur proceres, populi venerãtur, Romanũ colit imperiũ, & quorũ primo sapientiũ an eloquẽtiũ choris æquet an præferat in dubio est. Cõtra autẽ me

vix dum viciniæ notum meæ non meis laudibus obrutũ in lucem rapis, & fando tollis ad sydera: Quid vis? noui quod in animis audientium omnipotens est disertus. Ipsis in rebus, vbi veritas regnat, nullum ius habet oratio. Ornare me facundiæ tuæ floribus potes, mutare non potes, non si me Cicero ipse laudauerit, non si Demosthenes, non si Maro. Etsi præstringere enim possint aliena iudicia, an & mihi oculos eruent, vt me ipse non videam? Tuum ergo est, quod olim scripsisse tibi videor, rem tuam quantiuis pretij facere. Meum est me nosse, de me nulli credere, præsertim cui sim charus, vt tibi. Humi fixus talibus auris non facile quatior, & si quatior, non conuellor, paruitatísque meæ conscius, tantum fidei nullis habeo, quantum sine odio, & sine inuidia vitam meam famámque carpentibus, & ad summam nisi te plane nossem, aut si quæ dicuntur abs te, ab illo diceretur cur illudi crederem? Sed absit vt de tanto viro tam mihi propitio tam spectatæ fidei, tam notæ virtutis quicquam suspicer, nisi rectum, candidum, sincerum. Credo ædepol te loqui, quod in animo tuo est: sed in animo tuo esse, quod in me non est. Ego quidem in reliquis tui mirator acuminis, huic vni gratulor errori tuo, quem non defectus ingenij, sed amor, pietas, vrbanitas radices nobilissimæ peperere. Sed vt desinam. Ecce venio quando sic penitus Cæsari placet, & tibi venio, non quod ais, vt doceam, sed vt discam, tuisque doctrinis & tuo proficiam ab exemplo. Si quidẽ Plato & Aristoteles & Xenophõ, & tota illa Philosophorum vetus ac nobilis familia non plus creditur Socraticis disciplinis profecisse, quam moribus. Viuacius in anima est, quod per oculos, quam quod per aures introiit. More autem meo tempus moderari vocantium erit arbitrij. Auguror sane Imperatorem nostrum cito mihi valedicturum, si cogitare cœperit, quantum mihi deinceps expediat de me ipso déque altera vita cogitantem ad Imperatoris Ætherei stipendium me transferre. Ac ne forte tarditatem stupeas, morem nosti meum, non tu hirundinem cælo volantem, non ceruum in montibus salientem, sed reptantem cum labore testudinem cogitabis. Vale. Mediolani, X I I. Cal. Aprilis.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA IOANNI PERGAMENSI CAVSIDICO, S. Epist.V.

Transfretantem gratia percipiendæ militiæ ad sepulchrum Christi, dehortatur à tali proposito.

MAlo consilium, quam Satyram meam legas. Hoc enim amore ingenuo plenum est. Illa vt sunt mores animíque hominum, odio non vacat. Profecto autem quod non fieri consulo, si factum erit, arguam, quod ne accidat, iam hinc mihi tibíque prouidendum est. Magis quidem cupio millies te laudatũ, quam reprehensum semel, idéque te optare nõ sum dubius: solet enim, vt gloria, sic & gloriæ cupiditas virtutem sequi. Ad hanc ergo tendentibus vigili studio opus est per singulos vitæ passus necubi pes animi labatur aut deuiet. Audio ego te Ierosolimam proficisci velle sepulchrúmque Dominicum inuisere: audio, inquam, & probo & laudo, & qui valde te amabam validius amare hoc tam pio proposito tuo cogor. Nam quid homini pietate prius? quid antiquius? aut quæ pietas iustior, quàm vt ei, qui pro te gratis sanguinem fudit, animam posuit, vitam dedit vtcunque tanti amoris vitam referas. Etsi maior occasio non assit, at loca saltem, vbi ille te amando se neglexit, memori fletu & piis lachrymis riges? Sane quod dehinc fama loquitur non laudo. Decreuisse te scilicet illic aurea, quæ ferũtur, calcaria & militiæ insignia, titulúmq; suscipere. Inoleuit, fateor, hic mos: vnde ortus nescio. Apud poetam enim vtique ferratæ calcis est mentio: auratæ vero, quod meminerim, nusquam. Sed esto: vera viri virtus non in animo, sed in habitu sit: neque in gladiis, sed in calcaribus sint vires, eáque nisi rutilantia fuerint, non possit esse vir fortis, quod, vt puto, non tam scriptis authenticis quam inani &, ni fallor, breui consuetudine cautum est. Certe si ad militiam hanc ipsam, de qua loquor, quando ita fert vsus & opinio te nunc genus, ætas, forma sollicitant. Non miror illud, hortor ante actum cogites. An idcirco deceat, vt vbi creator & Dominus tuus humilitate ineffabili ac stupenda pro tuis tuíque generis peccatis coronam spineam gessit, crucem subiit, mortem tulit, illic tu stimulis auratis & nitido conspi-

ciare cornipede: atque vbi frons illa sanctissima cuius nu tu caeli voluuntur, venti silent. maria conquiescunt: cuius signum foelices angeli expectant, infoelices tremunt: fuso sanguine rubent illic calces tuae fuluo radient metallo. Caeterum tu, vt libet. Ego vt ne amico consilio res egeret, praestiti: sic ne exemplo careat efficiam, Gotfredus dux, virque adeo clarus vt & per ora hominum & per aulas fere omnium Galliarum inter trium sectarum ternos, vt perhibent, excellentes ipse quidem scriptus & pictus Christianorũ tertium teneat locum, terram sanctam adiit expugnauit, domuit & ad cultum verae fidei reduxit, multoque illi foelicius successit haereditatem nostram de manu fortissimi hostis eripere, quam posteris suis eandem ab ignauissimis custodire: Sed haec transeo. Neque enim noua mihi, neque omnino nostrarũ virium querela est. Ad id verò, quod sequitur cor intende. Nullo equidem pacto Duci illi & regij animi & victori persuaderi quiuit, vt Regis nomen ac purpuram assumeret. Negauit enim posse ibi se coronam auream gestare, vbi Christus spineam gestasset. O praeclarã modestiam, O virum vel ob hoc vnum ante alios dignum, qui Christi iniurias vindicaret. Quòd si ille victor armatus spinarum Christi memor aurum victrici & emerita fronte contingere renuit, qua fronte quoue animo Christianus homo nostri temporis non terrarum victor illarum, sed humilis & trepidans peregrinus vdis aut puluerulentis calcibus aurum premet? Non agam pluribus nec oportet, & licet forte quàm plurimis, qui contrarium vel fecerunt vel facturi sunt, hac diffinitione displiciam. Ego nihil, vt diffiniam dico, sed vt consulam. Caeptis abstinuisse cõsilium meum est, tam sapientiae plenum vtinam, quàm fidei. Et si quid amico credis, vt ad gloriam sit necesse aureo capulo gladium vibrare, auro equum & frenare & pungere, & quod saepe iam diximus, calces aureas habere, quas nec Scipio habuisse legitur, nec Caesar. Aliquanto tamen honestius reuerteris faleratus victor ex acie iusta, pioque bello aliquo pro salute patriae ac defensione iustitiae suscepto, quam à sepulchro Christi, vnde toga humili laetisque cũ lachrymis sospes vt redeas malim Vale.

FRAN. PETRARCHA IOANNI OLMVTIENSI EPISCOPO, IMPERIALIS AVLAE CANCELLARIO S. Epist. XIIII.

Se primum stilum patrum immutasse gloriatur.

NOn exiguum in stuporem tua me traxit epistola. Nouus enim inprimis ac nobis insolitus stilus erat Pluraliter me compellas, cum sim vnus, integérque, vtinam, nec in multa dissidétium sententiarum bella distractus. Ego stilum non mutabo, quo & docti olim omnes, & nos diu inuicem vsi sumus. Modernorum & blanditias ac meras ineptias execrabor, inque hoc ipso verecunde tecum ac familiariter gloriabor, quod stilum illũ patrum hac in parte femineum & eneruem vnus ego seu primus saltem per Italiam videor immutasse, & ad virilem ac solidum redigisse. Ita tamen hoc faciam, nisi te penitus aliud velle cognouero. Accessit, quod nullam mearum literarum huius temporis ad te video peruenisse. Nulli enim respondes, admirans nec immerito, quid ita te inscio, quẽ precipuum semper habui, tantam fecerim mutationem, vt fortunas domiciliúmque transtulerim. Ego verò non Venetias, sed ad Cæsarem & ad te venturus Mediolano abij. Iter autem formam præcluserat, nec iter modo, sed reditum. Quid ergo? Terentiano fretus consilio, quod volebam, non potui, cæpi velle quod poteram. Itaque circunspiciens & multa considerans propinquum diuersorium, & hunc publicum vt ita dixerim humani generis portum petij, nihil præter libellos & calamos mecũ ferens. Hæc & alia multa tuam in notitiam perferenda curaueram: sed, vt video, non sat fortunatus in nuntiis. Tuus hic, quem meum factum esse gaudeo, noster hic, inquam si ritè præsagio, nos non fallet, qui vt nunc etiam nescio quid Cæsari nostro scriberem celerans occupatum dulci instantia & profundo suspirio me coëgit. Vale.

FRAN. PETRARCHA FRANCISCO BRVNO FLORENTINO RHETORI, S. Epist. XV.

Nouae amicitiae contractus.

SAt magnum, vir egregie, iam hinc tuae virtutis argumentum habeo illius magnanimi viri verbum, cui omnia credere, qui nuper nobis redditus magnóq; mihi pro munere noui nomen afferens amici, inter multa de te, quem valde diligit & quem cupide nominat, hoc etiam dixit, optare te amicitiam meam: quin & an aliquando me videris, quaerentibus respondere solitum & vidisse & mei notitiam habere, atque hoc vrbanissimo mendacio saepe hactenus pudori tuo consuluisse: quasi te pudeat me non nosse coetaneum, & conciuem tuum, quem & nonnullius pretij facias, & ames incognitum. Gratulor affectui tuo & ingenuo gratulor errori. Non est turpis error è pulchra oriens radice. Natura mitis atque ad amandum prona mens multos fecit in iudicio rerum labi. Satius est autem amare multos immeritos, quam vnum benemeritum non amare. Institit sane ille vir, vt tibi tali viro & erga me sic affecto quique nescio cur primus mihi scribere verearis, familiare aliquid scriberem. Negaui vel scribendi materiam adesse vel solere me ignotos verbis aggredi. Itaque ferme quicquid epistolariter scripsi vnquam vel ex responsionibus constare, vel ad eos esse, quibus me familiaritas arcta coniungeret. Neque verò me alijs audaciorem, neque mihi hanc scribendi nouitatem minus suspectam esse quàm tibi. Ille autem, quid putas, egerit? quieuit forte & oratione repressus est mea: Imò verò dominum ciuitatis adiit, magnum etiam amicum tuum, eumque manu duxit ad meam domum, hoc ingenio, vt tanto sub teste, dicam verius praeceptore (Nam & ipse precaturus aderat, & sunt praecepta preces principum) negare nil penitus auderem. Me quidem omnino quae molirentur, ignaro soli nostros interconcedimus libellos. Ibi multa de multis, vltimum de te fuit. Cum vero certatim & vrgeret,

geret, qui ceperat, & è transuerso improuisus alter erumperet agnosco insidias. Sed quid agerem contra tales duos? vnus tanti blanditias amici dominicæque frontis pondus ferre non valui. Cessi igitur atque illis hac ipsa hora pariter hinc digressis promissi memor, calamum arripio scripturus quicquid occurrerat. At cum rebus obsessus & curarum plenus cogitare noui aliquid, nunc non possem. Et id ipsum scribere satis habui, & reliqua hæc quo gesta sunt ordine, quibus hic erit finis: Amicitiam tu meam, vt intelligo, paruam valde rem cupis, sed quò modestius votum, eò inhonestior est repulsa. Precibus ergo tuis obuiam eo, accipe plenis manibus quod petisti, méque fidenter in amicis numera, & si quis mei vsus est vtere: si nullus est alius, at saltē notos inter amicos me, interque æui viridioris epistolas hanc pone, vltimum possidebis locum in senescente. Námque si nescis & amicum & calamum incidisti, si quid nunc etiam vitæ restat, est minus vtique tacitum, quò loquacior est senectus, vt Catoni seni optimo videtur, haud dubie crebrior illic eris. Interea tuam sortem fer æquanimis non mediatori tuo, qui tibi strenue veréque militariter morem gessit non mihi, qui tibi quamuis hæsitanter parui, sed tibi duntaxat imputaturus, si quid minus inueneris quam sperabas. Tam facile vtinam compos fias omnium votorum sed in electione fœlicior. Vale Pataui, VI. Idus Septembris hora nona.

FRAN. PETRARCHA CAROLO QVARTO ROMANO IMPERATORI, S. Epist. XVI

Exhortatio vltima.

FEssus preteriti, nec futuri fidens, Cęsar, calamum tuis in exhortationibus pene attritū recusantémque seposueram. Alit inter difficultates, refouétque animū spes successus, qua sublata quis est amens adeo, vt non in-

fructuoso labori requiem anteponat? Vt ad stilum redeam, Sacer amor cogit, siue miles hic tuus huius nominis, siue ille sacer animi calor, qui mihi à parentibus relictus atque erga tuam semper, ex quò mihi primum notus es, erga verò Romani Imperij maiestatem ab infantia nutritus in præcordiis meis viuit, & indies crescit, siue, quod est verius, vterque. Nam neque meus amor tot iam clamoribus tótque conatibus perditis vltro ad laborem inutilem rediisset, neque hic miles quamuis & amicus & facundus & sapiens me mouisset, nisi intus in anima viuas adhuc fauillas priscæ fidei, quas admoto magnæ spei fomite leui folle suauissimæ orationis attenderet, inuenisset multis & validis argumentis excusans tarditatem tuam multis & magnis indiciis generosas animi tui curas, vereque Cæsareos apparatus cupidis & libenter fœlicitatis ac gloriæ tuæ credulis auribus insusurrans, quibus de præterito conceptum diffidentiæ gelu nouę spei feruore dissolueret. Eia igitur, Cęsar, duce Deo, qui non frustrà suum tibi commisit imperium, Surge, & dilatum munus honestissimum, dum potes, imple fortiter, imple fœliciter. Gloriosus finis lentum principiũ excusabit. Omnes te alto consilio distulisse consentient, quod nondum messis hesperia plene maturuisset, in quam vtiliter falx Cæsarea mitteretur: quamuis nostra fames moræ omnis impatiens murmuraret, Nihil intempestiuum bene, nihil bonum serò agi, verúmque illud Augusti Cæsaris, satis celeriter fieri, quicquid fiat satis bene. Arripe Cæsar hanc occasionem, dum adhuc potes. Neque enim sęmper poteris. Age, oro te, Cæsar, nondum enim tuum nomen inuocare tuumque te decus poscere atque orare dedidici. Etsi ego quoque vnus impatientium parumper inuisa mihi rerum dilatione tepuerim, Ecce iterum recalesco. Noli meam & multorum spem pulcherrimam rursus extinguere, sæpius spes oppressa vix attollitur. Si qua nomini tuo nubes hactenus incubuit, si quid infamiæ ex primordij obscuritate contractum est, totum, crede mihi, non modo consummatione splendore purgabitur, sed vt dixi in gloriam conuertetur, dum seu error ille seu consilium fuit, opinione homi-

hominum consilium & non error fuisse videbitur. Sæpe honestus finis segne principium honestauit, nunquam finis obscurior claro principio illustratus est. Denique sic cœperis, vt doluimus, dum sic finias vt optamus, Fabij Maximi nomen promereberis. Cunctator fueris, sed sapiens, sed salutis publicæ studiosior, quam vulgaris famæ, vt libet se tibi prætulerit ventosa loquacitate: Minutius, dũ re edoctus mox se imparẽ fateatur, dicant de te hostes impij, quod de illo dixit Hãnibal: Semper credidimus nubẽ illam magno tonitru è montibus erupturam. At si, quod diuina pietas omen auferat, finis quoque languidus fuerit, quis te vnquam vel præsentium vel sequentium excusare poterit? Audi me, oro, Cæsar, paruum hominem, sed tui amantem, de te sollicitum, ac sperantem. Naturæ debitor non aliter es, quam ego, quàm quicunque viuit è populo. Tempus fugax & non rediens, fortuna instabilis, vita breuis, hora mortis incerta, vnum hic remedij genus, tempori parcere, fortunæ non fidere, vitam rebus extendere, morti paratum semper corpus atque animum habere. Quod non potest, qui suum principale negotium non impleuit: vitæ finis quamuis incertus sit, illud tamen est certum, quod longe esse non potest. Is cum venerit è cunctis opibus tuis atque imperij nil tibi supererit, nisi quantum ad æternam animæ vitam & nominis immortalem gloriam bene viuendo quæsieris. Bene autem viuere non potest, qui ad quod vnum & summum & maximum natus est, negligit. Tu quod sæpe olim dixi, ad imperium natus es amplum excelsúmque opus: illud age fideliter, bene si vixisse vis videri: alioquin quid iuuat illas tuas vltimas mundi horas composuisse magnifice. Hoc & sine imperio potuisses, & fortasse facilius. Minus fuisset inuidiæ ac laborum tibi. Aliud infinitè maius restat: illud aggredere. Nec te rei terreat magnitudo. Nihil est, quod imperij maiestas hac prouidentia atque iustitia & his viribus armata non possit. Quod si forsan negatus tibi cœlitus rerum finis, tamen glorioso in actu, quam in quiete languida mori multò melius, multóque fœlicius opinor. Et hoc est, quod diuæ

memoriæ nomen tuum omnibus seculis gloriosum fecit: Ecce Cæsar & nunc & sæpe olim non blanditus, sed vero fidens: neque verborum cultui, sed expressioni sensuum intentus dixi amicè, quod in animo meo fuit, quod ne frustra dixerim Deum precor & te. Vale decus & gaudium & spes nostra. Patavi, III. Idus Decembris.



FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILIARIBUS,

LIBER XIV.

FRAN. PETRARCHA PHILIPPO CAVALLICENSI EPISCOPO, S. Epist. I.

De inextimabili fuga temporis.



ANTE hos triginta annos, ut ætas furtim labitur, qui mihi in tergum verso dum cuncta simul intueor, vix dies vixque horæ totidem ac dum singula metior & meorum cumulos laborum explicare incipio, totidem secula videri solent. scripsi ad venerabilem & egregium illum senem Raymundum Supanum, qui verum Iurisconsulti nomen habuit

habuit, quod vides, multi falso cognomine, veréque sapientis & aspectum & effectum præfert. quique liberrima contumacia ad extremum vitæ pro veritate & iustitia aduersus Romanum quoque Pontificem stetit alto animo atque inuicto, propter quod multis longe imparibus euectis vnus ille gloriosissime non ascendit, sed multa cum laude, propriáque non aduersante maiestate suum semper tenuit locum, nec promoueri appetens, nec promotus adhuc. Ergo talem senem, qui ætatulam quoque ingeniolum meum & amare & fouere atque omni ope consilióque & verborum stimulis attollere cœperat, familiariter vt solebam, scribens in epistola quadam, quæ pro ratione temporis in prima acie stans procul hanc præit: Ingenuè professus sum cœpisse me iam tunc orientis vitæ fugam cursúmque cognoscere. Nunc autem miror quidem sed fateor verum scripsi. Quod si illa ætate verum fuit, quid nunc putas quando, quod præsagiebam, accidit? Erat in oculis mihi ætas florentissima lumenque iuuentæ purpureum, vt ait Maro. Sed legebam apud Flaccum:

Insperata tuæ cum veniet pluma superbiæ:
Et quæ nunc humeris inuolitant, deciderint comæ,
Nunc & qui color est puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus, Ligurinum in faciem verterit Hispidam:
Dices, heu, quotiens te in speculo videris alterum.

Legebam apud alium Satyricum:

Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræque breuissima vitæ
Portio, dum bibimus, dum serta, vnguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Hæc & his similia legebam, non vt mos ætatis est illius soli inhians grammaticæ & verborum artificio, sed nescio quid aliud illic abditum intelligens, quod non modò condiscipuli, sed nec magister attenderet primitiarum, licet artium doctus vir. Audiebam diuino clamantem ore Virgilium:

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus

Et labor & durae urget inclementia mortis,

Et alibi:

Breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitae.

Et iterum:

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Vix satis fugacem temporis exprimere posse videbatur irreparabilémque iacturam, nisi saepius repetendo. Audiebam Ovidium. Cuius quo lascivior Musa, eò mihi semper gravior atque confessio & incorruptum testimonium veri erat. Dicebat ille autem:

Labitur occultè, fallitque volatilis aetas,
Et nihil est annis velocius.

Et alio loco:

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.

Ipsum, quem dixi, Flaccum audiebam:

--Currit enim ferox aetas,--

Dum de adolescentia loqueretur: Et iterum de omni aetate:

Heu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & instanti senectae
Afferet, indomitaeque morti.

Et iterum:

--Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

Et rursus:

--Et spatio brevi Spem longam reseces, dum loquimur fugerit invida Aetas

Et praeterea:

Fugit retro
Levis iuventas, & decor arida
Pellente lascivos amores
Canicie, facilémque somnum.

Et nequando redituram, cùm semel fugisset, expectarem, audiebam. Nec Coae referunt iam tibi purpurae nec clari lapides tempora quae semel notis condita fastis inclusit volucris dies. Nimis apud Flaccum moror. Audiebam Senecam: Corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quicquid videt,

uides, currit cum tempore. Nihil ex his, quæ uidem⁹, manet. Ergo ipse, dũ loquor mutari ista, mutatus sum. Audiebam Ciceronem: volat enim, inquit, ætas. Et iterum. Quis est tam stultus, quamuis sit adolescẽs, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? Nec multo post: Moriendum enim certe est: & id incertũ, an hoc ipso die. Et rursus idem alibi: An id exploratum cuiquã potest esse, quomodo sese habiturum sit corpus non dico ad annum, sed ad vesperũ. Mitto alios: operosum est enim singulos & singula prosequi, & puerile potius quã senile studium flosculos decerpere verum hæc & his mille similia sæpe ex me, sæpe mecũ in his ipsis, quorum erant auctorum, pratis ex commodo decerpsisti. Ego autem adolescens quanto his inter legẽdis ardore flagrauerim aliquot per annos, quando nec dum aliud scriptorum genus tam familiariter norã, libelli indicant qui mihi illius temporis supersunt, & signa meæ manus talibus præsertim affixa sententiis, ex quibus eliciebam & supra ætatem ruminabam præsentem futurúmque illico statum meum. Notabam certa fide non verborum faleras, sed res ipsas, miseræ scilicet vitæ huius angustias, breuitatem, velocitatem, festinationem, lapsum, cursum, volatum, occultásque fallacias, tempus irreparabile, caducum & mutabilem vitæ florem, rosei oris fluxum decus, irrediturae iuuentutis effrenam fugam, & tacitæ obrepentis insidias senectutis, ad extremũ rugas & morbos & tristitiam & laborem, & indomitæ mortis inclementiam, implacabilémq; duritiam. Quæ cum scholæ atque æui comitib⁹ quædam quasi somnia viderentur, mihi iam tunc omnia videntem testor Deum & vera & pene præsentia videbantur. Et seu ille oris verus decor, seu error esset ætatis (formæ enim omnes adolescẽtes sibi formosissimi vidẽtur etsi deformes sint) mihi nõ alteri dictũ rebar, quotiens pastoriũ illud vel legerẽ vel audirẽ: *O formose puer nimium ne crede colori*. Scio ego me verũ loqui. Scit & ille meli⁹, quẽ testẽ feci, quo magis id reputãs miror me tales inter curas iuuenilibus, tamẽ amoribus & erroribus potuisse raptari. Sentio: fumus rerũ hebetauit visum, & ætas impetuosior præmium illud animi lumen extinxerit. Vale.



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. VARIARVM EPISTOLARVM DE REB. familiaribus,

LIBER VNVS.

FRAN. PETRARCHA ANDREÆ DANDVLO VENETORVM DVCI, S. Epist. I.

Dehortatur Cæsarem à bello, monétque in primis ne iuuenum consilijs vtatur.



VT aliquid ad te scribam, inclyte Dux, hinc mea fides, hinc humanitas tua suggerit, illinc rerum præsentium ac temporum status cogit, hęc quidem præstat, vt loqui velim, hæc vt audeam, ille autem vt tacere nequeam. Quis enim ab amante sollicito, silentium requirat? Libertus amoris, verecundiæ frenum nescit. Os licet obstruxerit rationis manus, & magnitudini rerum se imparem recognoscens animus quiescendum, tacendúmve denuntiet, erumpet tamen anxium pectus in voces, non peregrinas sententias, aut verba venabitur: quicquid ad manum venerit, quicquid dolor, metúsque suaserint, loquetur, festina, trepida, tumultuaria, & quod natura rerum fert, simillima mentis fluctibus exibit oratio. Id si nunquam aliàs, nunc mihi præsertim euenire nouestis: moueor equidem, vir illustris, & valde permoueor.

& ti

& si proprium affectus mei nomen exigis, per metuo frementes in circuitu procellas, & quos vndique cernimus rerum motus; sed vt totius humani generis lamenta prætercam, Italicus homo, ad Italicam querelam venio. Surgitis nunc ad arma duo potentissimi populi, duæ florentissimę vrbes, duo vt dicam breuiter Italiæ lumina, quæ vt mihi quidem videtur, peropportunè adeò hinc illinc, circum Ausonij orbis claustra distribuit natura parens, vt vobis ad Arcton & ad Ortum solis, illis ad Meridie & ad Occasum versis, vobis superum, illis inferum mare frenantibus post debilitatum, inclinatumque iam, ne dicam prostratum, prorsus & extinctum Romanum imperium, adhuc reginam Italiam, quadripartitus orbis agnosceret. De qua re, & si quarumdam fortè gentium superbia in terris, litem factura videatur, in alto, certè, nullius vnquam impudentia controuersiam mouebit. Cæterùm si in vosmetipsos, quod nedum spectare, sed ominari horreo, victricia nunc arma conuertitis, haud dubiè vestris propriis manibus saucij perimus: vestris propriis manibus spoliati, & nomen, & multis quæsitum laboribus Imperium maris amittimus. Ita tamen vt quod sæpe alias malorum solamen habuimus, non perdamus. Calamitatibus enim nostris gaudere poterunt hostes, sed minimè gloriari. Inter cuncta nimirum, quibus angor, aut terror, nil magis quàm intractabiles & consilia iuuenum pauesco: ignara ætas est ac fortunæ volubilis inexperta, & cuius impetu magna olim imperia corruerunt. Omnia sibi quæ cupiunt pollicentur, eóque sæpissimè falluntur: vt enim verum est, quod ait apud Liuium ille clarissimus bello vir,

Non temerè incerta casuum reputat, quem nunquam fortuna decepit.

Sic & quod sequitur verum est. Nusquam minus euentus respondere quàm in bello. Falli proculdubiò necesse est, eos quibus vnus duntaxat, isque serenus ac tranquillus fortunæ vultus apparuit: bifrons est enim, aliquantóque sæpius violenta, quàm mitis, ideóque lætus audiui, te res ambiguas, ad senile consilium reiecisse: hoc prudentiam, moresque tuos decuit quorum grauitas atque maturitas, te in illa acie primum fecit, cum adhuc in altera sis ætate. Adolescentiæ ferociam, senio prudentiã ascribunt,

vt non immeritò, illi quondam Romanae Reip. magistri, quorum virtuti nihil inaccessum fuit, siue ob honorem, siue ob similitudinem paternae sollicitudinis Patres dicti, ob aetatem certe senatorum nomen acceperunt. Quae cura iuuenibus primum, mox aetate nostra pueris quoque permissa, ex quàm alto ceciderimus, vtinam nô tam publicè notum foret, sed de hoc alibi. Neque enim leue est dolori, ac pudori simul obsequentem, & deflere praeterita, & venientia prouidere, dare damno lachrymas, & periculo cautionem. Ad id ergo, quod venturi metu crucior, reuertor. Sollicitum me fateor, atque attonitum me habet, patriae tuae status, de te quid dicam? Cuius enim gloriae gratulor, si compatior labori, parum ipse mihi consentiam, ingenio tuo non compati non possum: Sentio namque quod interfit inter armorum strepitum, & Pieriam quietem, quàmque tenuiter inter Martis tubas, plectrum sonat Apollinis. Quia verò nihil patriae negare potes, quae de te sic in pace merita est, vt eam nec belli taedio, nec mortis terrore desereres, sed relicto tantisper Helicone, ac feriantibus libellis, secutus es publici fati viam & grati ciuis, & boni viri, & egregij ducis officio functus es, ita tamen, vt armatus pacem cogites, pacem ames, atque ita persuasum habeas, nullos te triumphos clariores, nulla opimiora patriae spolia referre posse, quàm pacem. Libenter vbi de pace agitur Hannibalis verbo vtor, quo scilicet ex ore bellicosissimi viri, veritas ipsa videatur loquentis, aduersum studiis testimonium extorsisse: is ergo apud eundem Liuium, quid ait? Melior, tutiórque (inquit) certa pax, quàm sperata victoria. Hoc ille vincẽdi desiderio ardens & qui pacem toto orbe turbauerat, Quid igitur amicus pacis? Nónne potius dicat, Melior, sanctiórque est certa pax, quàm certa victoria, propterea quod illa quietis, claritatis, & gratiae haec laboris, & criminum, & insolentiae plena est? Quid autem pace iucundius? Quid foelicius? Quid dulcius? Quid verò sine pace vita hominum, nisi periculum, pauórque perpetuus, ac tristis curarum immortalium officina? Quę nam ista voluptas oro ęst, sub diuo pernoctare, classico somnum frãgere, corpus lorica, atque (vt ait Maro) caniciem

galea premere, ferreis semper vinclis arctatum, mori subitò, & quæ vltima virorum fortium cura est, inhumatum abiici iuuat mordaci sollicitudine, iuuat metu & odio miserum cor atterere, & his studiis incertum, huius breuissimæ vitæ tempus impendere? Sicci-ne tutum est, cum pelago simul, & cum hoste certare, hoc est, gemina pariter cum morte luctari? Nemo enim, quæso, vos fallat, cum asperrima atque inuictissima, & quod tristiùs dico, cum Italica gente bellum geritis. Vtinam inimicæ vrbes vobis essent Damascus aut Susis, vtinam Memphis potiùs aut Smyrna, quam Ianua: vtinam aduersus Persas aut Arabes. vtinam aduersus Thracas, aut Illyricos pugnaretis. Nunc verò quid agitis? Si qua Latini nominis reuerentia est, quos delere molimini, fratres sunt, & heu, non tantùm apud Thebas fraternæ acies, sed per Italiam instruuntur, amicis flebile, lætum hostibus spectaculum. Quis autem belli finis, vbi seu victores fueritis, seu victi? Anceps est enim alea fortunæ. Necesse est vt alterum è duobus Italiæ luminibus, extinguatur, obscuretur alterum De tanto enim hoste, incruentam sperare victoriam, vide ne non tam generosæ fiduciæ, quàm incuriosæ dementiæ signum sit. Sanè vos videritis, Viri magnanimi, & præpotentes populi, quod enim vni dico, dictum ambobus intelligo, nisi quia, vt ad te potissimùm hæc scripta perueniãt, deuota familiaritas, quæ mihi cũ virtutibus tuis est, & ipsa locorum vicinitas causam præbuêre. Vos (inquam) videritis, quorsum pergatis animo, quis sit irarum modus, quis terminus odiorum, quid de salute propria, quid denique, cuius non parua portio pendet ex vobis, de statu publico cogitetis, modò ne illud excidat, quod nisi gliscentis belli ardor, fonte aliquo pietatis extinguitur, de vulneribus quæ parantur, non Numantinus, aut Pœnus, sed Italicus sanguis fluet. Et eorum, qui si qua repentina vis ingruat, aut si qua Barbaries quod interdum, sed nũquam gratis ausa est, fines nostros irrumpat, primi vobiscum arma, pro communium fortunarum defensione suscipient, qui simul pectora sua, morti atque hostilibus telis obiicient, qui & vestri tegentur, & vos clypeis, & corporibus suis tegent, qui profugos hostes

memoriæ auum tuum omnibus seculis gloriosum fecit: Ecce Cæsar & nunc & sæpe olim non blanditus, sed vero studens: neque verborum cultui, sed expressioni sensuum intentus dixi anxiè, quod in animo meo fuit, quod ne frustra dixerim Deum precor & te. Vale decus & gaudium & spes nostra. Pataui, III. Idus Decembris.



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. EPISTOLARVM DE REB. FAMILIARIBUS,

LIBER XIV.

FRAN. PETRARCHA PHILIPPO CAVALLICENSI EPISCOPO S. Epist. I.

De inextimabili fuga temporis.



ANTE hos triginta annos, vt ætas furtim labitur, qui mihi in tergum verso dum cuncta simul intueor, vix dies vixque horæ totidem ac dum singula metior & meorum cumulos laborum explicare incipio, totidem secula videri solent. scripsi ad venerabilem & egregium illum senem Raymundum Supanum, qui verum Iurisconsulti nomen

habuit

habuit, quod vpatides, multi falso occupant, itáque sapientis & aspectum & effectum præstitit. quique liberrima contumacia ad extremum vsus pro veritate & iustitia aduersus Romanum quoque Pontificem stetit alto animo atque inuicto, propter quod multis longe imparibus euectis vnus ille gloriosissime non ascendit, sed multa cum laude, propriáque non aduentitia maiestate suum semper tenuit locum, nec promoueri appetens, nec promotus adhuc. Ergo talem senem, qui æatulam quique ingeniolum meum & amare & fouere atque omni ope consilióque & verborum stimulis attollere, cœperat, familiariter vt solebam, scribens in epistola quadam, quæ pro ratione temporis in prima acie stans procul hanc præit: Ingenuè professus sum cœpisse me iam tunc orientis vitæ fugam cursúmque cognoscere. Nunc autem miror quidem sed fateor verum scripsi. Quod si illa ætate verum fuit, quid nunc putas quando quod præsagiebam, accidit? Erat in oculis mihi ætas florentissima luménque iuuentæ purpureum, vt ait Maro. Sed legebam apud Flaccum:

Insperata tuæ cùm veniet pluma superbiæ:
Et quæ nunc humeris inuolitant, deciderint comæ,
Nunc & qui color est punicea flore prior rosæ,
Mutatus, Ligurinum in faciem verterit Hispidam:
Dices, heu, quotiens te in speculo videris alterum.

Legebam apud alium Satyricum:

Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræque breuissima vitæ
Portio, dum bibimus, dum serta vnguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Hæc & his similia legebam, non vt mos ætatis est illius soli inhians grammaticæ & verborum artificio, sed nescio quid aliud illic abditum intelligens, quod non modò condiscipuli, sed nec magister attenderet primitiarum, licet artium doctus vir. Audiebam diuino clamantem ore Virgilium:

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus

Et labor, & duræ rapit inclementia mortis,

Et alibi:

Breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Et iterum:

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Vix satis fugam temporis exprimere posse videbatur irreparabilémque ruituram, nisi sæpius repetendo. Audiebam Ouidium. Cuius quo lasciuior Musa, eò mihi seuerior grauiórque confessio, & incorruptius testimonium veri erat. Dicebat ille autem:

Labitur occultè, fallítque volatilis ætas,
Et nihil est annis velocius.

Et alio loco:

Tempora labuntur, tacitísque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.

Ipsum, quem dixi, Flaccum audiebam:

---Currit enim ferox ætas,---

Dum de adolescentia loqueretur: Et iterum de omni ætate:

Heu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.

Et iterum:

---Vitæ summa breuis spem nos vetat inchoare longam.

Et rursus:

--- Et spatio breui Spem longam reseces, dum loquimur fugerit inuida Ætas

Et præterea:

Fugit retro
Leuis iuuentas, & decor arida
Pellente lasciuos amores
Canicie, facilémque somnum.

Et nequando redituram, cũ semel fugisset, expectarem, audiebam. Nec Choæ referunt iam tibi purpuræ nec clari lapides tempora quæ semel notis condita fascis inclusit volucris dies. Nimis apud Flaccum moror. Audiebã Senecam: Corpora nostra rapiuntur fluminũ more. Quicquid

vides,

vides, currit cum tempore. Nihil ex his, quæ videm⁹, manet. Ergo ipse, dū loquor mutari ista, mutatus sum. Audiebam Ciceronem: volat enim, inquit, ætas. Et iterum. Quis est tam stultus, quamuis sit adolescēs, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? Nec multo post: Moriendum enim certe est; & id incertū, an hoc ipso die. Et rursus idem alibi: An id exploratum cuiquā potest esse, quomodo sese habiturum sit corpus non dico ad annum, sed ad vesperū. Mitto alios: operosum est enim singulos & singula prosequi, & puerile potius quā senile studium flosculos decerpere verum hæc & his mille similia sæpe ex me, sæpe mecū in his ipsis, quorum erant auctorum pratis ex commodo decerpsisti. Ego autem adolescens quanto his interlegēdis ardore flagrauerim aliquot per annos, quando nec dum aliud scriptorum genus tam familiariter norā, libelli indicant qui mihi illius temporis supersunt, & signa meæ manus talibus præsertim affixa sententiis, ex quibus eliciebam & supra ætatem ruminabam præsentem futurámque illico statum meum. Notabam certa fide non verborum faleras, sed res ipsas, miseræ scilicet vitæ huius angustias, breuitatem, velocitatem, festinationem, lapsum, cursum, volatum, occultásque fallacias. tempus irreparabile, caducum & mutabilem vitæ florem, rosei oris fluxum decus, irrediture iuuentutis èffrenam fugam, & tacitæ obrepentis insidias senectutis, ad extremū rugas & morbos & tristitiam & laborem; & indomitæ mortis inclementiam, implacabilémq; duritiam. Quæ cum scholæ atque æui comitib⁹ quædam quasi somnia viderentur, mihi iam tunc omnia videntem testor Deum & vera & pene præsentia videbantur. Et seu ille oris verus decor, seu error esset ætatis (formæ enim omnes adolescētes sibi formosissimi vidētur etsi deformes sint) mihi nō alteri dictū rebar, quotiens pastoriū illud vel legerē vel audirē: *O formose puer nimium ne crede colori.* Scio ego me verū loqui. Scit & ille meli⁹, quē testē feci, quo magis id reputās miror me tales inter curas iuuenilibus, tamē amoribus & erroribus potuisse raptari. Sentio: fumus rerū hebetauit visum, & ætas impetuosior præmium illud animi lumen extinxerit. Vale.



FRANCISCI PETRARCHÆ V.C. VARIARVM EPISTOLARVM DE REB. familiaribus,

LIBER VNVS.

FRAN. PETRARCHA ANDREÆ DANDVLO VENETORVM DVCI, S. Epist. I.

Dehortatur Cæsarem à bello, monétque in primis ne iuuenum consiliis vtatur.



VT aliquid ad te scribam, inclyte Dux, hinc mea fides, hinc humanitas tua suggerit, illinc rerum præsentium ac temporum status cogit, hęc quidem præstat, vt loqui velim, hæc vt audeam, ille autem vt tacere nequeam. Quis enim ab amante sollicito, silentium requirat? Libertus amoris, verecundiæ frenum nescit. Os licet obstruxerit rationis manus, & magnitudini rerum se imparem recognoscens animus quiescendum, tacendúmve denuntiet, erumpet tamen anxium pectus in voces, non peregrinas sententias, aut verba venabitur: quicquid ad manum venerit, quicquid dolor, metúsque suaserint, loquetur, festina, trepida, tumultuaria, & quod natura rerum fert, simillima mentis fluctibus exibit oratio. Id si nunquam aliàs, nunc mihi præsertim euenire nouerits: moueor equidem, vir illustris, & valde permoueor.

&c si

& si proprium affectus mei nomen exigis, per metuo frementes in circuitu procellas, & quos vndique cernimus rerum motus; sed vt totius humani generis lamenta prætercam, Italicus homo, ad Italicam querelam venio. Surgitis nunc ad arma duo potentissimi populi, duæ florentissimę vrbes, duo vt dicam breuiter Italiæ lumina, quæ vt mihi quidem videtur, peropportunè adeò hinc illinc, circum Ausonij orbis claustra distribuit natura parens, vt vobis ad Arcton & ad Ortum solis, illis ad Meridiē & ad Occasum versis, vobis superum, illis inferum mare fre nantibus post debilitatum, inclinatumq́ue iam, ne dicam prostratum, prorsus & extinctum Romanum imperium, adhuc reginam Italiam, quadripartitus orbis agnosceret. De qua re, & si quarumdam fortè gentium superbia in terris, litem factura videatur. in alto, certè, nullius vnquam impudentia controuersiam mouebit. Cæterùm si in vosmetipsos, quod nedum spectare, sed ominari horreo, victricia nunc arma conuertitis, haud dubiè vestris propriis manibus saucij perimus: vestris propriis manibus spoliati, & nomen, & multis quæsitum laboribus Imperium maris amittimus. Ita tamen vt quod sæpe alias malorum solamen habuimus, non perdimus. Calamitatibus enim nostris gaudere poterunt hostes, sed minimè gloriari. Inter cuncta nimirum, quibus angor, aut terror, nil magis quàm intractabiles & consilia iuuenum pa uesco: ignara ætas est ac fortunæ volubilis inexperta, & cuius impetu magna olim imperia corruerunt. Omnia sibi quæ cupiunt pollicentur, eóque sæpissimè falluntur: vt enim verum est, quod ait apud Liuium ille clarissimus bello vir,

Non temerè incerta casuum reputat, quem nūquam fortuna decepit.
Sic & quod sequitur verum est. Nusquam minus euentus respondere quàm in bello. Falli proculdubiò necesse est, eos quibus vnus duntaxat, isque serenus ac tranquillus fortunæ vultus apparuit: bifrons est enim, aliquantóque sæpius violenta, quàm mitis, ideóque lætus audiui, te res ambiguas, ad senile consilium reiecisse: hoc prudentiam, moresq́ue tuos decuit quorum grauitas atque maturitas, te in illa acie primum fecit, cum adhuc in altera sis ætate. Adolescentiæ ferociam, senio prudentiā ascribunt,

vt non immeritò, illi quondam Romanæ Reip. magistri, quorum virtuti nihil inaccessum fuit, siue ob honorem, siue ob similitudinem paternæ sollicitudinis Patres di-cti, ob ætatem certe senatorum nomen acceperunt. Quæ cura iuuenibus primum, mox ætate nostra pueris quoque permissa, ex quàm alto ceciderimus, vtinam nō tam publicè notum foret, sed de hoc alibi. Neque enim leue est dolori, ac pudori simul obsequentem, & deflere præterita, & venientia prouidere, dare damno lachrymas, & & periculo cautionem. Ad id ergo, quod venturi metu crucior, reuertor. Sollicitum me fateor, atque attonitum me habet, patriæ tuæ status, de te quid dicam? Cuius enim gloriæ gratulor, si compatior labori, parum ipse mihi consentiam, ingenio tuo non compati non possum: Sentio namque quod intersit inter armorum strepitum, & Pieriam quietem, quámque tenuiter inter Martis tubas, plectrum sonat Apollinis. Quia verò nihil patriæ negare potes, quæ de te sic in pace merita est, vt eam nec belli tædio, nec mortis terrore desereres, sed relicto tantisper Helicone, ac feriantibus libellis, secutus es publici fati viam & grati ciuis, & boni viri, & egregij ducis officio functus es, ita tamen, vt armatus pacem cogites, pacem ames, atque ita persuasum habeas, nullos te triumphos clariores, nulla opimiora patriæ spolia referre posse, quàm pacem. Libenter vbi de pace agitur Hannibalis verbo vtor, quo scilicet ex ore bellicosissimi viri, veritas ipsa videatur loquentis, aduersum studiis testimonium extorsisse: is ergo apud eundem Liuium, quid ait? Melior, tutiorque (inquit) certa pax, quàm sperata victoria. Hoc ille vincēdi desiderio ardens & qui pacem toto orbe turbauerat, Quid igitur amicus pacis? Nónne potius dicat, Melior, sanctiórque est certa pax, quàm certa victoria, propterea quod illa quietis, claritatis, & gratiæ hæc laboris, & criminum, & insolentiæ plena est? Quid autem pace iucundius? Quid fœlicius? Quid dulcius? Quid verò sine pace vita hominum, nisi periculum, pauórque perpetuus, ac tristis curarum immortalium officina? Quę nam ista voluptas oro ęst, sub diuo pernoctare, classico somnum frāgere, corpus lorica, atque (vt ait Maro) caniciem

galea

galea premere, ferreis semper vinclis arctatum, mori subitò, & quæ vltima virorum fortium cura est, inhumatum abiici? iuuat mordaci sollicitudine, iuuat metu & odio miserum cor atterere, & his studiis incertum, huius breuissimæ vitæ tempus impendere? Sicci-ne tutum est, cum pelago simul, & cum hoste certare, hoc est, gemina pariter cum morte luctari? Nemo enim, quæso, vos fallat, cum asperrima atque inuictissima, & quod tristiùs dico, cum Italica gente bellum geritis. Vtinam inimicæ vrbes vobis essent Damascus aut Susis; vtinam Memphis potiùs aut Smyrna, quam Ianua: vtinam aduersus Persas aut Arabes. vtinam aduersus Thracas, aut Illyricos pugnaretis. Nunc verò quid agitis? Si qua Latini nominis reuerentia est, quos delere molimini, fratres sunt, & heu, non tantùm apud Thebas fraternæ acies, sed per Italiam instruuntur, amicis flebile, lætum hostibus spectaculum. Quis autem belli finis, vbi seu victores fueritis, seu victi? Anceps est enim alea fortunæ. Necesse est vt alterum è duobus Italiæ luminibus, extinguatur, obscuretur alterum. De tanto enim hoste, incruentam sperare victoriam, vide ne non tam generosæ fiduciæ, quàm incuriosæ dementiæ signum sit. Sanè vos videritis, Viri magnanimi, & præpotentes populi, quod enim vni dico, dictum ambobus intelligo, nisi quia, vt ad te potissimùm hæc scripta perueniãt, & vetusta familiaritas, quæ mihi cũ virtutibus tuis est, & ipsa locorum vicinitas causam præbuêre. Vos (inquam) videritis, quorsum pergatis animo, quis sit irarum modus, quis terminus odiorum; quid de salute propria, quid denique, cuius non parua portio pendet ex vobis, de statu publico cogitetis, modò ne illud excidat, quod nisi gliscentis belli ardor, fonte aliquo pietatis extinguitur, de vulneribus quæ parantur, non Numantinus, aut Pœnus, sed Italicus sanguis fluet. Et eorum, qui si qua repentina vis ingruat, aut si qua Barbaries quod interdum, sed nũquam gratis ausa est, fines nostros irrumpat, primi vobiscum arma, pro communium fortunarum defensione suscipient, qui simul pectora sua, morti atque hostilibus telis obiicient, qui & vestri tegentur, & vos clypeis, & corporibus suis tegent, qui profugos hostes

classibus prosequẽtur, pariter viuẽt, pariter morientur, pariter pugnabũt, pariter triũphabunt. Tales igitur hos viros propter leuis forsitan iracundiæ stimulos inuadere, & quanquam impunè possis euertere, quid delectationis habeat, non intelligo: norunt fortassè melius incensi quorundam animi, qui supplicio amicorum, & vindicta quarumlibet offensarum, more fœmineo delectantur, profectò nec vtile, nec honestum, denique nec humanum est. Satius est obliuisci iniuriam, quàm vlcisci, & inimicum placare quàm perdere, illum præcipuè, cuius & merita præcesserunt, & si in gratiam redierit sequi possunt. Nempe si vtrobique par labor esset, tamen mansuetudo hominum est, ferarum rabies, eáque non omnium, sed ignobilium, & quas sinistra naturæ manus attigit. Si igitur inter consulares tuos, quos plurimos, grauissimósque non dubito, mea vox audiatur, nõ modò venientem non repelles pacem, sed vltrò illi obuiam ibis, & tenacissimè complexus inuentam, vt apud vos æterna maneat, curabis, quod faciliùs assequeris, si quicquid erit, sobriam, venerandámque canitiem in consilij partem voces, illos audi, qui fortunæ ludos nosse, & amare Rempub. didicerunt. His enim dulcedo pacis est gratior, qui contrarij amaritudinem prægustarunt. Cæteri ergo, tanquam pacis hostes à limine arceãtur: neque enim tamen illos admitto, quibus nulla sunt senectutis insignia, præter rugas, canos & caluitium, & incuruum tergum, nasique madentis infantiam, & cum voce trementia membra, vt Satyricus ait. Suas sibi autem equidem inuidiosas dotes habeant, non enim nõ pueros quærimus, sed maturos, neque rursus illos excludo, si qui sunt, qui florentibus annis animi præoccupauerunt senectutem, neque quod in te miror, in aliis sperno, sic vbi præcox indoles affulserit, nõ sim nescius, quãtum Africanus meus adolescens, afflictæ Reip. non manu solùm, sed consilio profuerit. Aut dic secretũ Senatus celat Papyrius prætextatus, quonam ioco matrem deluserit; quid pædagogo suo Porcius Cato? Quid seni anxio puer suasit Alcibiades? Sed mihi crede, perrarum genus hominum, quibus tenera ætate contingat sapere, vbi famen tale aliquid,

& progressum animos adolescentem videris. Nec enim inficior fieri posse, senum, choris ascribito. Tu qui & consilij prima vox, & rerum caput esse meruisti, hoc semper tecum cogita, primas ad te partes, vel gloriæ vel infamię pertinere, ideóque sopitis omnibus solus vigila, neque enim quod illustribus viris placet, par Imperatoris & militis labor est, promptior ad actum venit, quem maior præmij pars impellit, & quanquam multæ, & variæ sint præmiorum species, ad quas pro varietate effectum non vniformiter inclinamur, haud dubium tamen, quia nobilibus animis, post virtutem, summum calcar est gloria. Hinc igitur excitatum animum, curis optimis exerce, sunt optimæ curæ de salute patriæ vt ait Cicero. His igitur tibi nunc in cælum iter facturus assurge, téque supra teipsum erige, vide, circunspice, contemplare omnia, & fœlices bellorum exitus, cum infœlicibus cōfer, & damna cum commodis, & gaudium cum mœrore, & quoniam, vt dixi in causa pacis aptissimus testis est Hannibal, diligenter caue, ne vt ait ille tot annorum fœlicitatem, in vnius horæ dederis discrimen. Quantis enim putas laboribus, hæc collecta potentia est, quantis gradibus ad hoc fortunæ fastigium est ascensum? Peruetusta si nescis gentis tuæ fama est, quod plerique non putant, multísque ante vrbem conditam sæculis, non Venetorū modò, sed quod magis mirabere, Veneti etiā ducis clarum nomen inuenio. Quod diligentius aduertendum est, nè virtutem casibus, & tot annorum consilio partum decus, fortunæ vastaturos subdas imperio, & quoniam vt sapientibus visum est, nullo maiori, quàm famæ pretio virtus constat, optimè & è Repub. te facturum noueris, si vbi res exigat, iactura etiam propriæ laudis, bonum publicum redemeris, frementíque turbæ, tuta magis quàm speciosa consilia, & profutura potius quàm placitura prębueris. Quod enim eidē duci accidit, & cumulatior gloria, & cum admiratione omnium amor te publicus sequetur. Quę si etiā spes abesset, sentis tamen quid virtuti, quid glorię debeamus, tantúmq; inter eas, quantū inter solidum corp' & inanem vmbram interesse, & parte ipsum noueras, & à Philosophis accepisti. Quanto autem

classibus prosequētur, pariter viuēt, pariter moriētur, pariter pugnabūt, pariter triūphabunt. Tales igitur hos viros propter leuis forsitan iracundiæ stimulos inuadere, & quanquam impunè possis euertere, quid delectationis habeat, non intelligo: norunt fortasse melius incensi quorundam animi, qui supplicio amicorum, & vindicta quarumlibet offensarum, more fœmineo delectantur, profectò nec vtile, nec honestum, denique nec humanum est. Satius est obliuisci iniuriam, quàm vlcisci, & inimicum placare quàm perdere, illum præcipuè, cuius & merita præcesserunt, & si in gratiam redierit sequi possunt. Nempe si vtrobique par labor esset, tamen mansuetudo hominum est, ferarum rabies, eáque non omnium, sed ignobilium, & quas sinistra naturæ manus attigit. Si igitur inter consulares tuos, quos plurimos, grauissimósque non dubito, mea vox auditur, nō modò venientem non repelles pacem, sed vltrò illi obuiam ibis, & tenacissimè complexus inuentam, vt apud vos æterna maneat, curabis, quod faciliùs assequeris, si quicquid erit, sobriam, venerandámque canitiem in consilij partem voces, illos audi, qui fortunæ ludos nosse, & amare Rempub. didicerunt. His enim dulcedo pacis est gratior, qui contrarij amaritudinem prægustarunt. Cæteri ergo, tanquam pacis hostes à limine arceantur: neque enim tamen illos admitto, quibus nulla sunt senectutis insignia, præter rugas, canos & caluitium, & incuruum tergum, nasique madentis insaniam, & cum voce trementia membra, vt Satyricus ait: Suas sibi autem equidem inuidiosas dotes habeant, nos enim nō pueros quærimus, sed maturos, neque rursus illos excludo, si qui sunt, qui florentibus annis animi præoccupauerunt senectutem, neque quod in te miror, in aliis sperno, sic vbi præcox indoles affulserit, nō sum nescius, quantum Africanus meus adolescens, afflictæ Reip. non manu solùm, sed consilio profuerit. Aut diu secretum Senatus celat Papyrius prætextatus, quonam ioco matrem deluserit? quid pædagogo suo Porcius Cato? Quid seni anxio puer suasit Alcibiades? Sed mihi crede, perrarum genus hominum, quibus tenera ætate contingat sapere, vbi sanè tale aliquid,

& per-

& progressum animos adolescentem videris. Nec enim inficior fieri posse, senum, choris ascribito. Tu qui & consilij prima vox, & rerum caput esse meruisti, hoc semper tecum cogita, primas ad te partes, vel gloriæ vel infamiæ pertinere, ideoque sopitis omnibus solus vigila, neque enim quod illustribus viris placet, par Imperatoris & militis labor est, promptior ad actum venit, quem maior præmij pars impellit, & quanquam multæ, & variæ sint præmiorum species, ad quas pro varietate effectum non vniformiter inclinamur, haud dubium tamen, quia nobilibus animis, post virtutem, summum calcar est gloria. Hinc igitur excitatum animum, curis optimis exerce, sunt optimæ curæ de salute patriæ vt ait Cicero. His igitur tibi nunc in cælum iter facturus assurge, téque supra teipsum erige, vide, circunspice, contemplare omnia, & fœlices bellorum exitus, cum infœlicibus cōfer, & damna cum commodis, & gaudium cum mœrore, & quoniam, vt dixi in causa pacis aptissimus testis est Hannibal, diligenter caue, ne vt ait ille tot annorum fœlicitatem, in vnius horæ dederis discrimen. Quantis enim putas laboribus, hæc collecta potentia est, quantis gradibus ad hoc fortunæ fastigium est ascensum? Peruetusta si nescis gentis tuæ fama est, quod plerique non putant, multísque ante vrbem conditam sæculis, non Venetorū modò, sed quod magis mirabere, Veneti etiā ducis clarum nomen inuenio. Quod diligentius aduertendum est, nè virtutem casibus, & tot annorum consilio partum decus, fortunæ vastaturos subdas imperio, & quoniam vt sapientibus visum est, nullo maiori, quàm famæ pretio virtus constat, optimè & è Repub. te facturum noueris, si vbi res exigat, iactura etiam propriæ laudis, bonum publicum redemeris, frementíque turbæ, tuta magis quàm speciosa consilia, & profutura potius quàm placitura præbueris. Quod enim eidē duci accidit, & cumulatior gloria, & cum admiratione omnium amor te publicus sequetur. Quę si etiā spes abesset, sentis tamen quid virtuti, quid glorię debeamus, tantúmq; inter eas, quantū inter solidum corpꝰ & inanem vmbram interesse, & parte ipsum noueras, & à Philosophis accepisti. Quanto autem

cum dolore, ne quid omnino tibi subtraham. audiuisse me putas, recens vobis cum Aragonum rege fœdus initum? Ergo ne ab Italis ad Italos euertendos, Barbarorum regum poscuntur auxilia? Vnde infœlix opem speret Italia, si parum est, quod certatim à filiis mater colenda discerpitur, nisi ad publicum patricidium alienigenæ concitentur? Dicet aliquis. Idem mali genus, prius ab hoste tentatum. Iam dixi, & si vnum alloquor vtrunque, redarguo. Quantò dignius fuerat irarum detersa rubigine, à quo non vllius amicitiæ sinceritas, non fraternus amor, non suprema demum parentis ac natorum pietas prorsus immunis est, Venetos cum Ianuensibus vnum fieri, quàm formosum corpus Italiæ lacerari? Vobis occidentalium, illis vt audio dextras orientalium tyrannorum, in partem furoris implorantibus? O ferales & superuacuas cautelas. O maliuolentiæ genus vltimum, quod manu propria non possis, ad id circumspicere quod irrites, & argumentũ odij præbente vicinia, vicinos scelerum subrogare. Atqui multarum hinc iniuriarum fluxêre primordia, dum indigno & nescio vnde prodeunte fastidio nostrarum rerum, in admirationes rapimur externarum, & iampridem cõsuetudine pestifera, Italicam fidem, barbaricæ perfidiæ posthabemus. Insani qui in venalibus animis fidem quærimus, quam in propriis fratribus desperamus. Quo effectum est, vt iure optimo, in has calamitates inciderimus, quas serò iã, & inefficaciter lamentamur. Postquam Alpes & maria, quibus nos mœnibus natura vallauerat & interiectas, obseratásque diuino munere claustrorum valuas, liuoris auaritiæ, superbiæque clauibus aperiendas duximus, Cymbris, Hunnis Pannoniis, Gallis, Teutonis, Hispanis. Quotiés illud pastoreum Maronis flendo cecinimus,

Barbarus, hæc tam culta noualia, miles habebit.
Barbarus has segetes? En quò discordia Ciues,
Perduxit miseros?

Sed vt ad rem redeam. Quid vos deliberaturi sitis ignoro, illud scio, quod in æmulatione olim pari, sed conditione longè impari, dum euertendi infestissimam Athenarum vrbem, Lacedæmoniis oblata esset occasio, nec de

potentia iam, sed de voluntate sola superesset quæstio, è duobus Græciæ luminibus eruturos se alterum negauerunt. Præclarissimum sanè responsum, & prisca illa Spartanorum dignissimum disciplina. Quod si ex ore illorum sonuit, quos victoriarum, principandíque libidinis notat Plato, quid vobis mitissimis ac modestissimis viris visum iri arbitror? Certè ego qui in tantis motibus, non moueri nequeo, vt diuersis affectibus amore, metu, spe, vnum pectus vrgentibus, secúmq; certantibus pace animi careo, iusta me reprehensione curaturum credidi, si cum hi syluas in classem traherent, hi gladios acuerent, ac sagittas, illi muros, ac naualia connumerent, quod vnum mihi telorum genus erat, ad calamum confugissem, non belli auctor, sed suasor pacis. Finem facere iamdudum cogito, non ignarus quanto verborum freno, vti deceat, cum superioribus colloquentem, sed nullus est amore superior, ille te coget ad veniam, qui ad multiloquium me cogit. Hoc vnum in finem, coram duorum populorum ducibus affusus, & lachrymosus obsecro. Infesta manibus arma proiicite, date dextras, miscete oscula, animos animis, signis signa coniungite. Sic nauigantibus Oceanus, & Euxinij maris ostia patebunt, nullúsque regum aut populorum nisi venerabundus occurret. Sic vos Indus, sic Britannus, Æthyópsque permetuet. Sic Taprobanem, sic Fortunatas insulas, famosámque, sed incognitā Thulem, & omnem australem atque Hyperboream plagam, securus vester nauta transiliet, modò inuicem tuti sitis, nil aliunde trepidandum est. Vale ducum, ac virorum optime. Pataui XV. Cal. Aprilis. M. CCC. L I.

ANDREAS DANDVLVS VENETORVM DVX FRAN. PETRARCHAE, S. Epist. II.

Belli, quod contra Ianuenses gerebat, iustam causam exponit.

PRomissam, diúque optatam epistolam, de manu latoris libẽter accepimus, quã non degustare tãtum, sed & postea legere proponebamus, ex commodo, ni styli sublimitas procedere longius suasisset, qui quàm disertus fuerit, ex hoc, quod tanta dulcedine nos traxit, & tenuit,

vt illam sine dilatione non tantum delectati, sed gauisi legerimus, indicatur. Mirabamur in ea vires animi praecellentis, alti profunditatem ingenij, & redolentis facundiae lenimentum, & dum haec concurrere cernimus, vix credere possumus, vt compositio tam virilis & sancta, nisi è pectore sacro defluxerit. Decuit namque virum syncerum, qui reliquit forum & curiam, vt in ampliora praesenti venturaeque profecturus aetati secederet, pacis exordiri dictamina, & eloquentiam à coelesti numine praestitam. Magna est enim admiratio copiosè, sapientérque dicentis, & difficile dictu, quantopere conciliet animos comitas, affabilitásque sermonis, in salutem proximi exemplo Ciceronis conuertere. Nouimus, equidem, nec possumus diffiteri, Vir optime, quàm sit suauis, & dulcis tranquillitatis amoenitas, & quo ad nos attinet humanae infirmitatis meminibus, & vim fortunae, ac omnia quaecunque peragimus, subiecta mille casibus esse, scimus. Sed si philosophica & quod praeponi debuit diuina, dirimantur consilia, prosecutio iusti belli, quod gerimus laudari, quàm reprehendi potiùs, & si vlla vis rationis existit, seu quod magis credendum est Deo nostro, quamuis cura mortalium, exitus sperari foelices meritò debuerunt. Quid enim infoelicius est foelicitate peccantium? Quid amentius quàm pati diu, pàtientiam virtutem insignem, non modò virtuosos, sed vitiosos, & aduersus penitus affectus procedere? Sanè maleficos viuere, seu impunitam laxare perfidiam, diuinis & humanis institutis prohiberi didicimus, secus imperante malitia. nedum praemiis iustus carebit, sed subiectis pedibus calcaretur iniustus. Causae nostrae iustitiam & quantis opprobriis, ac demū acerbis lacessitos iniuriis, improba tanuēsiū nequitia, inuitos nos, & renitentes ad querelam excusserit, superuacuum explicare credidimus, cùm satis vuulgatum, & notum minimè dubitamus, Testis est Deus, qui & secundos dedit, & dabit euentus, quod eos fraterna & syncera dulcedine, non tamen mutua relatione confouimus. Vt enim praetereuntes antiqua, noua sectemur, libertatem pretiosissimum boni genus nobis moliuntur eripere, & dum licita prohibent, cogunt ad arma, vt meritò Caesarianum

riani illud occurrat: *Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat.* Fratres ergo an domesticos hostes istos vocemus, quorum nulla pestis magis efficax ad nocendum: Fuit virtus hæc in Romana Rep. nec redarguendi sunt tam venerabilis imitatores exempli, vt viri fortes vicinum, pernitiosúmque hostem, acrioribus suppliciis quàm remotum & acerbissimum coercerent. Quam diu patientia nostra abusi sunt? Quamdiù nos furor eorum elusit? Nullum ad finem sese effrenata iactauit audacia. O vtinam famam Italicam, quam pereuntem sæpius deplorasse videmini, nostris tantum temporibus inquinassent! Sed vetus est querela, quàm obtenebratum sit eorum astutiis, reginæ quam dicitis, diadema. Mare sibi reddiderunt infestum, terrarum orbem exosum, & inimicas singulas nationes, de quorum moribus breuem summam accipio, Quòd conuenire nequit cum aliis, qui minimè cum seipso. Negetur fortè, vera sint quæ suprà describimus: conuincemus si negari contigerint: quo cognito, neminem extimamus tam improbum, tam perditum, támque mentis expertem, qui non iure per nos factum esse fateatur, Plura dicenda forent, sed omittimus, vt finem claudamus epistolæ. Bellum ita suscepimus, vt nihil aliud quàm pacem honorabilem patriæ, quæ vita nostra nobis est charior, quærere videamur, & quemadmodum superbè ac violenter nos agere si spernemur placatum, cedétéque hostem, sic nunc cum propè confractum resistentem, ac tergiuersantem traxerimus, nulla verecundia sumus obstricti, si bella hos contra permittimus, qui pacem pati minimè potuerunt. Vale virorum peroptime, tibíque persuade, nobis esse charissimum, sed multò fore chariorem, si nos sæpius recreare curaueris simillimis monimentis. Venetiis XXII Maij. M.CCC.LI.

ANDREAS DANDVLVS VENETORVM DVX FRAN PETRARCHAE, S. Epist. III.

Se cum ciuibus suis ad pacem esse dispositum fama & honore patriæ reseruatis.

AMice, dum singulare desiderium nos teneret, seriæ pollicitæ pridem nobis epistolæ causas noscere, quibus summæ virtutis & constantiæ viro, cui ex

& sapientiam dedit Deus, vt alios nedum lingua doceret, sed confirmaret & opere, frequens locorum mutatio aduersa quippè studiis contigisset, alterius tenoris epistolam nostræ quietis & pacis, vtique suasiuam, non minus libenter excepimus. In qua etsi tuæ mentis fidelem affectum, multorum dictis prudentium ornaueris, quod tamen breue à nobis responsum accipias, huius quod viget fratris, potiusquam verbis insistere, temporis conditio nos excuset. Ad explicandam enim cum Ianuensibus causæ nostræ iustitiam, non nimis innititur, quam ipsa ex seueritate satis nota, & prosperorum successuum cœlitus nobis accumulata fœlicitas, abundantiùs sunt professæ. Et quamuis in Hellesponto nos semel victos esse descripseris, quod in facto sic erraueris, vt de loco, quem Propontidem nostiri nominauêre maiores, venia danda est, sæpe namque ipsos etiam prudentissimos factum fallit. Vt autem in statum rerum præsentium, vnde digressa est nostra reuertatur oratio, pacem Deo teste, testeque mundo cordialiter optauimus & optamus, præcipuè cum quibus & longa familiaritas, & vetusta sinceritas nobis fuit. Quæ profectò si turbata non esset, iam vltrò veniës, & nobis sponte se offerens, nedum Italiæ, sed orbis totius multa iocũditate vigeret, eò maximè, quod nec ad eam alius aute victoriam animus nobis fuit, nec amplius quàm tunc à victis hostibus petebamus, memores quanta sit gloria Principis, vti mansuetudine post triumphum. Nec modica quidem admiratione mouemur quod animi repugnantis ad pacem duritiem nobis impingis, cum mitis & honesta responsio, tibi & sociis tuis facta, & subsecuta legatio summo Pontifici per nos missa, mentis nostræ protestentur affectum, puritatem in nobis, non simulatam astutiam detegentes: propterea quòd tãtos labores senserimus, vt ereptam è manibus nostris pacem recuperare possimus, vtque cuius graues ærumnas sæpius deplorasti, repellat, quàm sensim in se serpere sentiebat florens Italia seruitutem, gratificare non improbare debueras, & libertatis amator, & prædicator eximius, voto simili laborare nobiscum nec refellere fructuosa remedia, quæ si bene memini-

minimus, facundo iam eloquio suasisti. Scis enim tuo Cicerone testante, nullam mortem seruitute maiorem, nilque detestabilius esse dedecore, nil fœdius seruitute, & cùm ad decus, & libertatem nati simus, aut tenenda, & tuenda est, aut cum ipsa pariter moriendum. Si ergo bene rei operam exhibemus, proximorum nostrorum calamitatibus condolentes, opportuniùs visum erat, ad execrandam alieni culpam demeriti, & nostram, quàm optimè nosti, innocentiam excusandam, tuam in partem alteram quam ad nos, quos pacificos ipse fateris, sumus. Etenim epistolam se vertisse, quamuis hæc & alia scripta tua, & peculiaris charitas, quæ nobis cum virtutibus tuis est, & ipsa tui animi prompta sinceritas, admixtáque grauitas, cum venustate sermonis gratissima nobis reddant, & cùm oratio tua in id quod intenditur fuerit, & sit apud nos satis iam efficax, ad illos quorum in nostros labores sic irrepsit cupiditas, stylum verte, & eorum criminatis erroribus, ipsos admonere ne dubites, vt qui se tanti disturbij reos esse cognoscunt, quàm CHRISTVS nobis pacem reliquit, in terris. præpedire meritò vereantur. Ne ipse qui iustus est, & cuius iudicium semper rectum, eos in ira corripiat, & arguat in furorem. Quod quidem facillimè assecuturum te credimus, si sit vir ille talis, qualem cum laudibus extulisti. Si enim bonarum mentium est, ibi etiam culpam agnoscere vbi non est, quantò magis, vbi recens, & notiora palàm fit? Nos autem licet varientur plerunque, secundùm varietates temporum humana consilia, idem quod hactenus fuimus, nunc sumus, & eadem mente, qua semper ad pacem dispositi, fama & honore nostræ patriæ reseruatis, pro qua nos, & vniuersaliter ciues nostri, si ei profuturi fuerimus, nedum argentum & aurum, sed vitam qua nihil est charius, exponere cunctis periculis prompti sumus. Vale facundissime vir, & super prius quæsita materia, pro recreatione nostra, velis motus rescribere mentis tuæ. Venetiis, XIII. Cal. Iunij, M.CCC.LIII.

FRAN. PETRARCHA PRIORIBVS ARTIVM, VEXILLIFERO IVSTITIAE, P. Q. Florentino, S. Epist. IIII.

Florentinorum in se liberalitatem magnis laudibus effert.

IAm satis me vixisse arbitror, optimi ciues, & illam sapientis amici vocem audire videor: Morere dum laetus es. Neque enim es in coelum ascensurus: praeclarissime, quod enim insatiabilis ista cupiditas viuendi, virtute non annorum numero metienda foelicitas, & cùm perueneris quò tendebas, desinendum est. Audebo quidem apud vos familiarius gloriari, eóque fidentius, quod quantulacunque vel esse, vel fingi potest mea gloria, ingentis gloriae vestrae perexigua quaedam erit accessio: nunquam opes, aut potentiam optaui ad quas etsi forte pertingere, at saltem suspirare permissum erat, ab annis teneris parua ducens, quae multis maxima videbantur: id vnde mihi quidem nescio, sed me vera loqui testis est vita, testis oratio, testis est animus meus. Huc omnes curas, omnes vigilias meas verti, si quo studio datum esset, vt bonus fierem, aut bonorum beniuolentia non indignus. Quorum primum nondum contigisse mihi doleo, secundum verò vestro munere, quam cumulatè, quamque supra spem successerit, suauissimus literarum vestrarum tenor indicat, ex quibus fateor, non minus me stuporis percepisse quàm gaudij. Gaudeo enim atque vt Traianum principem Plutarchus alloquitur, & virtuti vestrae gratulor, & fortunae meae, sed supra fidem stupeo, aetate hac, quam omnis boni tam sterilem putabamus, & quod miraculum coaceruat, in tot animis, tantum popularis vt sic dixerim, ac publicae libertatis existere: ex quo intelligi potest, quanta in dato beneficio sit laus, vt ait Cicero, cum in accepto sit tanta gloria. Quid enim quaeso praeclarius? Quid maius, vel precari praesens poteram vel optare, quàm quod vos absenti mihi, nuper ac tacito, viri illustres & magnifici, contulistis? Cuius vnquam patriae erga bene meritum ciuem, tanta liberalitas? Tanta dignatio? excutiatur antiquitas, proferantur historiae. Reuocauit ab exilio Ciceronem suum Roma, reuocauit &

Rutí-

Rutilium, & Metellum, sed ab eo exilio, quod ipsa mandauerat, reuocauit & Camillum, sed extremæ fortunæ casus admonita. Et sicut horum omnium iniusta relegatio, sic omnium iusta. Camilli verò necessaria, & propè violenta reuocatio. Reuocarunt Alcibiadem Athenæ, sed conditione non absimili, & necessitate publica propè pari. Quis vnquam Pl. S. q. ue S. C. sponte absens ciuis, nullo patriæ periculo reuocatus est? Virgilio Augustus Cæsar agrum reddiderit, sed quem ipse præripuerat, cui vnquam filio culpa patris ager perditus, publico consilio restitutus est? Inaudita sunt hæc pietatis & liberalitatis indicia. Et, cum ferè raritatem claritas sequatur, quanto exemplo lamentis vestræ beniuolentiæ fulgor erit? Aduocor, sed quamuis oro? Sed à quibus? quàm validis precibus? quàm imperiosis blanditiis? Quanta spe ager auitus de publico redemptus restituitur? at quónam sarculo cultus eloquentiæ? quibus verborum floribus ornatus? Quibus laudibus nostris frangas? Quanta nostræ virtutis messe lætissimus? Cui vnquam tam fertilis, & tam fœlix fronduit agellus? Adeo quippe natiuam soli duritiem vestra vicit industria, vt nec Afris ego iam, nec Siculis frugibus inuideam, & Campanum liberi, Cererísque certamen, ex vberrima ac iocundissima ruris mei statione despiciam, quamlibet regis opulentiam animo supergressus. Ita enim mihi contingat, hunc tantum Reipublicæ fauorem, qui nunc vestræ liberalitatis est proprius, aliquando & meriti mei esse, vt ego multò pluris facio vestrum hoc de me tale iudicium, & honorificentissimum illud euologium, muneri vestro additum, quem non modò restitutum, sed verius donatum agrum, sed quicquid insuper seritur, vel aratur in circuitu. Quod haud difficile me persuasurum reor, iis, quibus vlla rerum mearum fuerit ex conuersatione notitia. Quid enim mihi præstare potest hæc infinita diuitiarum sitis, atque anxia finium & operosa propagatio? Certè quò vlterius metam fixero, longiúsque processero, eò magis intelligam, quantum restet, & clarius nequicquam laxati ruris angustias, méque inopem recognoscam. Et ô superuacuos labores, cùm nihil auaritiæ sufficiat, quanti est q

naturæ sufficit, quantum quod sepulchro Regnorum finibus non contentos, breuis vrna concludit, sine qua tamen, & bene viuere, & fœliciter mori licet. Equidē gloriosissimi ciues indulgentia vestra hæc, vt vobis sempiternam laudem, sic mihi solatium non mediocre peperit, dulcem ac prædilectam in sedem restituto, in qua pater, auus ac proauus meus, vir vt literarum inops, sic prędiues ingenij, in qua denique maiores mei reliqui, non tam fumosis imaginibus, quàm clara fide conspicui, longa serie senuerunt. Ego autem, seu natura mihi constante alas, seu fortuna, volare longius edidici, nunc vobis auctoribus primæuis, mihi tandem nidus panditur, quo reuolare queam, longis iam fessus erroribus. Magna hæc esse non inficior, sed illa permaxima, quod donum publicum, tanto mei nominis digno vtinam præconio, tanta precum instantia, tanta verborum suauitate conditum est, vt nisi sim saxeus, æternum mihi hoc vestro beneficio, & lumine ad gloriam, & calcar accesserit ad virtutem. Quibus rebus, si impares grates agam, non meæ mentis ingratitudo fuerit, sed vestrę munificentiæ magnitudo. Ago tamen quas possum, sed vt ait Cicero, maiores habeo, quibus exprimendis, & accuratiori stylo, & fœliciori opus esset eloquio. Ita me vestris beneficiis obrutum, ac circumclusum sentio, vt minus sit omne, quod dixero, quàm quod dicere voluissem, vnum hoc in finem non obmiserim, quod anno altero, Roma reductem, inter clarissimos illos viros, qui tum frena Reipub. gubernabant, dixisse me recolo. Siquidem eò vsque patriæ meę, me attollit humanitas, vt illud quondam pro tituli gaudio imperatoris Augusti responsum cum lachrymis redditum Senatui, mihi nunc tantillus homuntio, apud vos, pro tantis rerum ac illarum honoribus vsurpare non verear. Compos enim factus votorum meorū P. C. quid habeo aliud Deum immortalem precari, quàm vt hunc consensum vestrum, ad vltimum vitæ finem perferre liceat? Proinde quid animi habeam, ad reditum si Deus fauerit, quamtumve mandatis vestris obtemperare cupiam, ne omnia scripto, sed aliquid viuis legati vestri vocibus committam. Vir egregius

gius Ioannes Boccacius, per quē literas & monitus vestros, ac iussa percepi, præsens peraget, qui vt hanc epistolam, fida manu ad vos, ore disertissimo perferet, affectus meos, quémve cum audieritis illius ore me locutum credite. Cupio vos florentissimi semper in Repub. valere fœliciter. Patauii VIII. Idus Aprilis.

FRAN. PETRARCHA NICOLOSIO BARTHOLOMAEI DE LVCA, S. Epist. V.

Florentini Senatus litterarum exemplar se mittere scribit.

AMicus noster communis, quo nihil fidelius, nihil potest esse sincerius, sæpe admonuit, vt te meis literis visitarem; excusaui, nunc occupationum variarum turbam adesse dictitans, nunc scribendi deesse materiam. Nunc autem occasionem nactus, omne mearum excusationum dimouit obstaculum, petens vt Florentini Senatus literas, humanitatis eximiæ, nouo quodam & insolito, & inaudito genere honoris, publicum erga me testantes affectum tibi mitterem, commoda & honores meos præcordialiter gauisuro. Digna res visa est, in qua sibi morem gererem, mitto igitur & illorum exemplar epistolæ, & responsi mei, vt intelligas quanto adhuc esset in precio, vera virtus, si vsquam appareret, quando falsum eius nomen non despicitur. Vale.

FRAN. PETRARCHA NICOLOSIO SVO, S. Epist. VI.

Vt Nicolosium amaret atque his literis visitaret, per solam illius virtutem motum se esse scribit.

TVus hic, & bonorum omnium amicus, atque honestarum amicitiarū diligentissimus proxeneta summo studio institit, vt tibi aliquid scriberem. Quod cum aliquandiu recusarem ignarus, vnde inciperem, aut quibus verbis hominem solius famæ testimonio cognitum alloquerer, euicit tandem, vt calamum arriperem, scripturus quicquid occurreret. Quod cùm fecissem, lætus & voti compos abscessit, mihi autem in silentio cogitanti, quonam artificio familiaris epistola de nihilo texeretur, miranti que & mihi requirenti, quid mihi tecum rei esset, quæue scribendi materia, nihil prius in animum venit, quàm Ciceronis illa vulgata quidem, sed præclara

sententia. Virtute nihil amabilius, nihílque quòd magis alliciat, tantámque eius esse vim, vt eos quoque quos nunquam vidimus diligamus. Itaque confestim venit, percussa valido aquilone nebecula, & cunctatio, & admiratio omnis euanuit: iam latum scribendi campum video, iámque nihil miror, talem animo meo virum esse charissimum, quanquam facies eius, mihi hactenus quidem, ne visa sit. Si enim nisi quod oculis vidimus amare non possumus, primus & maximus amandi gradus euertitur: se enim ipsum nullus amabit, nemo namque suum animum, nemo faciem suam vidit. Hoc nimirum interest, quoniam vt nosipsos, quos nunquam vidimus amemus, natura est, vt vero alios virtus efficit, & fama virtutis nuntia. Hæc est quæ præclarissimum regem Massinissam oblitum patriæ, ac pignorum tantorum, Africani mei congressum coëgit expetere, ac præsentia tanti ducis attonitum, è Carthaginensium castris ad Romana signa perduxit, & quod instar monstri, facit morum, animorúmque diuersitas, eiusdem Ducis eius rei causam, sui quidem hostis, sed virtutum amici honorificentissimo decreto & supplici ac venerabunda prædonum acie, absentis honestauit exilium. Denique diuinæ eius originis in pectoribus hominum opinionem genuit, & nedum veris laudibus, sed etiam fabulis locũ fecit. Hoc est, quod bene meritos & viuentes in terris celebrat, & extinctos ad cœlum effert, túmque æternitate victuros elicit è sepulchris, credibiliora recenseo. Quantum sanè quámque accensum studium quanta inter legentes audientésque heroum solet esse contentio, amante ac venerante quolibet non quem vidit, sed quem famæ credidit, magnum hoc, quod sequitur maius, quoniam non modò, quos non vidimus, seu quos videre nequiuimus, sed etiam quos odimus, Mendatrix illa conciliat, quod & breuiter attingi, & dicendum est latiùs. Hæc est enim quæ odiis in amorem versis præualidas, munitissimásque vrbes expugnauit, quæ grauissima sæpe bella confecit, & Camillo quidem ferreas Faliscorum portas aperuit, Pyrrhum regem ductorésque Romuleos, Curium, rigidúmque Fabricium, quãta esse potuit familiaritas deuinxit. Porsennam su-

tiam superbum illum Hetruriæ regnatorem, ab obstinata raptim obsidione distraxit Hæc tantum virorum, & tam multos orientis populos, vnius viduæ subiecit arbitrio. Hæc ad genua Cæsaris Iulij, adhuc forsan grande aliquid ausuros, Gallorum regulos inclinauit, hæc Magnum Pompeium ad Possidonij fores, hæc Alexandrum Macedonem ad Diogenis dolium duxerit. Hæc Tito Imperatori humani generis assensu gloriosissimum cognomen tribuit, dilatóque Germanicum in personam, licet immerentis filij restituit principatum, Atque vt aliquid de Hebræorum historiis attingam, hinc quoque miratrix illa Salomonis regina, de tam longinquo Hierosolymam venit visura quod audierat. Et legatio Machabei maria transiuit, amicitiam expetens Romanorum. Innumerabilia huius generis exempla se ingerunt, sed vt iam longiusculam epistolam breui fine concludam, quid hic miri est, si virtus tua & fama virtutis comes indiuidua, multorum, atque in primis latoris præsentium fidei credita, me in amicitiam tuam dulcedine captum trahit? Præsertim cùm nihil impediat non ætas, non patria nō imparitas studiorum. Confabulari tecum hactenus iucundum animo meo fuit, hinc iam mihi manum solitæ occupationes iniiciunt. Tu verò vale, & quotiens amicos tuos numerabis, caue quæso, ne meū sileas nomē. Patauii vi. Idus Ian. sub intēpestę noctis silētio.

Introducit Andream Dandulum Venetorum Ducem, de statu & regimine suæ Reip. differentem.

BENINTENDIVS SCRIBIS CONSODAL. S. Epist. VII.

SI conceptum sermonem possem mandare silentio, si oculos meos ab vtilitatibus vestris auertere, si ori meo frenum imponere potuissem, rebar mihi consultiùs actum fore, non ignaro, quantas secum calamitates attulerit, de potentibus viris loqui, quámque præsumptuosum sit, cum maiori, quàm anceps cum pari, quam sordidum, cum inferiori contendere. Vtcunque mihi tamen euenerit, vincit charitas vestra, vincit grauis sæculi nostri pódus, vincit acerbæ sortis nostræ mysterium vt loquar, non sileam sermones, vtique non adulatorios vel amœnos, acres potiùs & mordaces, & querulis

vocibus circumseptos, vnde tamen exordiar incertum habeo. cum multa mihi dicenda sint, plura tamen tacenda. Faciam quod solent perplexitate nimia laborantes, laxabo habenas, amplustre deponam, vela ventis committam, quocunque mens impegerit illam sequar. Magnus est dolor meus, magna iniuria mea, irremediabile vulnus meum, & cum ex præteritis præsentia metior, futuráque coniecto, in lamentis, & suspiriis miserabilem vitam duco: adest tamen frequenter inter vigilantem & dormientem, velut in extasi posito, dux ille Danduleus recolendæ memoriæ, nedum noster, sed totius patriæ nostræ parens, virtutis & sapientiæ clarum sydus, summæ benignitatis, & gratiæ viuus fomes auide quæritans, quónam in statu sit eius Respub. quibúsque gubernaculis moderetur. Et cùm me trementem, & pallidum, attonitum ac prorsus elinguem totis intuetur luminibus, elicit ex taciturnitate quod sentio, & velut cœlestis accola, terrena contemplans ex alto quod passi sumus, & patimur, his verbis clara voce depromere iam festinat. O pura dilectione mi fili, quem viuens semper, & moriens gessi in visceribus charitatis, nunquid vera loqui legatum te puduit? Nescis quod veritas est de cœlo, & quod pro veritate passi sunt multi martyres sancti diuersa genera tormentorum? Nescis quod veritatem occultans, & mendacia proferens pariter sunt peccantes, & quod vtilius permittitur nasci, scandalum quàm veritas relinquatur? Equidem mihi præsertim tuis moribus sic familiariter cogito, verum secreti tui minimè celare debueras. Amicus enim vt ex æquo te alloquar, imò amicissimus tibi fui, & si quem amicum existimas, cui non tantumdem credas, quantum tibi, vehementissimè erras, nec vim veræ amicitiæ plenè nosti. Hæc est amicitiæ vera lex, vt sit in duobus pectoribus vna mens. Putásne ignota sint nobis astra tenentibus, quæcunque vos inferi nedum agitis, sed etiam cogitatis? Scio quod dolentissimè refero, quàm tempestiuum, & calamitosum sibi, & patriæ primum successorem habuerim, scio etiam & secundum, scio quot aduersi casus me obeunte vrbem nostram experiat. Scio quantis demum iactatam fluctibus, & adeò

adeò valida tempestate quassatam, at nisi portus peteretur, propè submersioni iam foret: ad pacis amœnitate, te velut ministro in partem eius laboris assumpto Christus ipse perduxerit. Et si fidei nostræ credis, credentem quippe non ambigo quem Christianissimum esse noui, apud superos vitam agentibus, ex actibus vestris aperta sunt omnia nec minimum quicquam occultum. Igitur ex his, & aliis quæ circa vestram Remp. versata sunt hactenus & versantur, mihi sicut, & semper, & suis incômodis assiduè vigilanti, multa dicenda forent, sed infinita sunt numero, quæ possent decentius considerari, quàm dici, & occupatus adeò sensus vt video, & nubilam mentem geris, vt in eis explicandis distinctius attentiori opus sit animo, & spatio longiori. Ad vulnerum quidem tuorum fomenta progrediar, in quibus est meticulosa dilatio. Multa, magnáque sunt, sed ex eis non plus quàm vnum mortiferū quo diligenter curato, facilis est enim, si parumper acquieueris cura eius, senties profectò te fortiùs infirmitate animi, quàm alterius iniuria laborare. Quod me tibi mors immatura subtraxerit, hunc qui te transfixit gladium esse noui, hanc illam fuisse sagittam. quæ tibi cor transuerberauit & animam, facit hoc pietas tua, facit tui erga me amoris ardentissima facula, faciant non minus inexorabiles, & graues ærumnæ, quibus premi consideras fratres tuos. Ita eos tenera dilectione prosequeris, sic amas sic diligis, sic versa vice te colunt. vt meritò non minus suis, quàm tuis læteris, & doleas prosperis, & aduersis. Iustos namque clamores, & querulos eiulatus eorum frequenter intelligo, quod venerabile illud, & pene sacrum collegium, hactenus quidem, & nuper meis tantum temporibus, velut de patria benemeritum, in summa charitate, & honore iam habitum, nunc ignominiosa vulgo fabula factum sit. Pudet talia de talibus viris audire. Futurum tamen scio, vt sicut qui falsò prædicantur, necesse est vt suis laudibus erubescant, sic qui falsò criminantur, necesse est suis criminationibus enitescant. Affirmabo planè quod sentio. & profiteri non desinam, quod experientia doctus sum. Eorum qui tibi assistunt pars maior, & sanior fide, & sufficientia, & morum honestate, in omne æ-

cum laudanda transisset, patent fructus eorum,& opera ipsa veritas eminens ex se lucet, ideò longis argumentis probare non molior. quod manifestum,& notorium palam sit. De reliquis verò quid sentiam non quidem eiusdem matris sunt filij, nec in via domini pariter ambulantes, audire fortè desideras. Et mihi de quibusdam spes aliqua de reliquis verò nulla. Indurata & prorsus inueterata sunt vitia,& nisi cum vita pariter euellenda. Sunt qui de se meliora promittant, nondum sani, sed ad sanitatem aspirant, facilè nisi in medio cursu deficiant assecuturi quod cupiunt. Nam labor improbus cuncta vincit.& vt tuus ille Anneus Seneca Cordubensis testatur, Velle fieri bonum, pars maxima est bonitatis: cuiusquam etiam rei principium, partem potentissimam esse nosti. Bonis igitur consulo, patientiæ terga parent, insistant virtutibus, incœptis fideliter perseuerēt, nec odio innocentiam suam perdant. Calumniari quidem possunt, criminari non possunt, callum faciant maledicta quæque, non sibi, sed aliis exemplo disertissimi Socratis dicta putent. Ita venturum est Virgilianum illud,

vt det Deus his quoque finem.

Reliquos autem admoneo, vt dimissis erroribus in recta resipiant: secus extirpentur de medio. Modicum enim fel totum vel amaricat, vnica menda totam faciem deformat, parum fermenti totam massam corrumpit, ideò putrida membra, ne totum pereat, solent à corpore resecari. Nefandum quippe foret vtile per inutile vitiari. Sed vt video, nimia iam expectatione torqueris, & ad hauriendum salutare poculum. quo dolori tuo fomenta propinem, intritam & sollicitam curam geris. Accipe quod nedum leniat, sed mundet ex toto, amicum præmisisti non perdidisti, ex his qui amantur, licet eos casus abstulerit. Manet cum iocunditate memoria, non tantùm futura, sed præterita quandoque delectant, hæc expectatione, illa quidem memoria. Superuacuum etiam est dolere, vbi dolédo nequicquam proficias. Deinde iniquum est quæri, de eo quod vni accidit, & omnibus restat. Demum desiderij stulta quæstio est vbi inter amissum & dolentem minimum interest, Respice celeritatem rapidissimi tem-

mi temporis, cogita breuitatem huius spacij, per quod vsitatissimè curramus. Obserua comitatū hūc generis humani, eodem tendentiū distinctum, minimis interualis, etiam vbi magna videntur. Quem putas periisse, premissum esse videbis. Quid autem dementius, quàm cùm idem iter tibi emetiendū sit, eum flere, qui tibi dilectus ad gloriam antecessit? Non sum ablatus tibi vt extimas, ô fide pectoris mei comes, non tibi subtractus sum, non malis artibus circumuentus, translatus sum in meliorem regionem. Euectus vbi labores diutinos in quietem perpetuam commutaui, de terreno cœlestis agricola, de seruó liber & dominus, de sordido & humáno corpusculo angelus factus sum. Ibi Redemptoris nostri gloriosam effigiem, gloriosus aspiciés, sanctorum sociatus agminibus, in hymnis & cantibus hilarem vitam ago. Tuas igitur lachrymas festinus exterge, gemitus cōprime, & lamentis omnibus, modò finem impono, ne fortè certioratus his tantæ fœlicitati meæ inuidere potiùs, quàm gratulari videaris. Confabulari tecū, & singulare desideriū, & voluptas maxima mihi fuit, sed ad decantandas iā solitas laudes altissimo, & in eius cōtéplatione captandā summa cum voluptate lætitiā, me vocat chorus Angelicus. Obsecro auté per viscera misericordiæ IESV CHRISTI, vt omnis mœroris, & turbinis detersa caligine, fluctuāti adhuc patriæ, fidelis vt hacten' adiutor adsistas. nec te vlla quæ possit occasione cōtingere deneges, cui tātùm teneris. Chari quidé parétes, liberi, propinqui pariter & amici, sed omnes omniū charitates vna cōplexa est patria, pro qua nemo bon' dubitat morté oppetere, vbi ei profuturus sit. Noui fidé tuā, noui sinceritaté, & intima cordis tui: in te fidūt, in te sperāt proceres Venetorum: non potes dū vixeris patriæ recusare labores, licet graues infestiq; sint. Non solùm enim nobis nati sumus, parté nostri primā patria vendicat, parté parétes, parté amici. Aderis & comitabitur diuinæ maiestatis auxilium, omnem à te noxiā nouitatem auertet, imbecillitati tuæ me quoq; intercedente, vires subministrabit & gratiā, nihil est enim quod Principi illi Deo, qui omnem mundum regit, fiat in terris acceptius, quàm consulere patriæ, miseris & afflictis

opem, ferre quietem & pacem seculo suo dare. Hac petitur coelum via, hac petiturus es tu. Omnibus quidem qui patriam iuuerint, auxerint, opémq; praestiterint, certum scias in coelum diffinitum locum, ubi beati sempiterno aeuo fruantur. Aeternum vale mi fili, cui animam, quae iam coelo potitur, natos & coniugem, non aliter quàm sunt in mente adduco, expertus quod verum, & fidem amicum te sibi reliquerim, quantum natura patitur, in suis commodis vigilem, & assiduè curiosum. V. Idus Februarij, Anno incarnationis eius, qui nos à morte redemit. M.CCC.LV.

BENINTENDIVS VENETVS, MODIO PARMENSI SVO, S. Epist. VIII.

Virum bonum nobis semper ante oculos esse habendum ad cuius vitam mores nostros componamus, & pro tali Benintendium se sibi elegisse scribit.

NOn potest mi Modi virtus tua latere sub modio, fulget & eminet, velut in candelabro posita, & tota iam veris, non fictis suffulta laudibus ex se lucet, ideò vt à querelis exordiar, tecum, hactenus mihi quidem incognito, tantum huius fugacissimi temporis, cuius solius auaritiam veterum nostrorum commendat auctoritas, irrecuperabiliter perdidisse me doleo: quáuis enim bonus non sim, in hoc tamen libenter incumbo, vt bonorum fiam consortio non indignus. Fateor, magnam vim ad conciliandos sibi animos virtus habet. Ea nihil est amabilius, nihil quod magis ad diligendum alliciat, cùm propter virtutem & probitatem, eos etiam quos nunquam vidimus, diligamus. Vincit omnem cognitionem naturae morum similitudo bonorum, nulláque societas gratior, nulla charior, quàm cùm viri boni moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. Proinde cùm plerisque referentibus multa, magnáque de te nuper audiuerim, factus es mihi ante charus quàm cognitus & dum mihi suggeritur quanta sit eloquentiae tuae vis, quanta discretionis integritas, quantúsque animi tui vigor, in te delector & stupeo. Stupeo quippe, grauibus te curis obsessum, tot secularibus implicitum negotiis, sic vacare animo & sapientiae potuisse. Et cùm senserim tecum, iniquè fortunam

nam egisse, per multos casus, variáque pericula te iactando, hoc ipsum delectat me, animi tui robur: O quam mirabilis & veneranda res est, nostra præsertim ætate, virtutis, vtinam non magis sterilis, quàm fœcunda. virum interitũ inuenisse periculis, in mediis tẽpestatib⁹ placidũ, & inter aduersa fœlicẽ! maius hoc, altiúsq; mi Modi, quã vt simile tuo, in quo es corpusculo credi possit. Sed vis vt opinor in te diuina descendit, animũ tibi excellentẽ exhibuit, moderatum, omnia tanquã minora trãseuntẽ, quicquid timetur operatúrq; ridentem, quem profectò agitat cœlestis potentia. Non posset res tanta, sine adminiculo numinis summi stare. Itaque nisi fallor, maiore tui parte illic es vnde venisti: quemadmodum enim radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittuntur: sic animus tuus magnus ac sacer, conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ, illinc pendet, illuc mittitur & aspirat. Quocirca fœlicitati tuæ vehementer congratulor, & fortunæ meæ habituræ deinceps vnde impensæ ratio mihi constet, vnde virtutis & patientiæ formam sumam, cuius exemplo aduersus hæc momentanea & caduca me muniam, Postremò ad eius mores, & regulam me componam. Ha! quantum prodest animo, nondum adulto, illic adhæsisse, vnde se possit facere meliorem! Propterea eligendus est nobis vir bonus, & ante oculos semper habendus, vt illo viuente viuamus, & tanquam illo spectante omnia faciamus. Hunc te mihi electum esse cognoueris, obseruabo, imitabor, & sequar etiam, si mare transieris, animi tui mores, quos etsi non sperem facilè consequi posse, magnus enim est labor, & prorsus viribus meis impar: at saltem attingere non despero nihil enim est quod pertinax opera, & cura intenta & diligens non expugnet. Robusta in rectum quamuis flexa trahuntur, curuatum trabem calor explicat, & aliter natæ arbores in id finguntur quod exigit vsus noster, quantò faciliùs mens ipsa flexibilis, & omni humore exequentior, formam bonitatis accipiet, si feruenter instabitur? Ne temerarium me quæso puta, veris si de meliora promitto. Imbecillis enim foret, & ægri inexperta formidare, nec spem bonam concipere, vbi tali, tantóque

duce regendus sim: sed ne fortè nimis blandiri tibi hæc mea videatur oratio, ars enim ea procul à moribus meis est, alia me tibi scripturum prænoscito, quę huic tuæ laudi contraria iudicat vulgus exterior, non vt me, qui discipulus esse volo, tibi correctorem exhibeam, sed potius, vt velut honoris tui amantissimum habeas ex parte, ex puritate fidei relatorem. Et cùm nihil ex omni parte beatum, nihilque in humanis adinuentionibus adeò perfectum, quod, si ad perspicacis correctionis regulam deducatur, multa non indigeat tersione, magnũ argumentum bene constituti animi tibi erit, si ea, quæ de te forte adhuc ignoraueras, nunc in melius reformando cognosces. VII. Idus Nouemb. M. CCC. L V.

MODIVS PARMENSIS BENINTENDIO, S. Epist. X.

Virtutum, quibus eum esse præditum Benintendius ait in superiori epistola se indignum esse, modeste respondet.

PErunctâ melle Rhetorica me permulxit epistola, Benintendi, quæ mentis & oris admirando nitore, oculos meos dulciter illexit, inflexit spiritum, Perfricuit & auditum. Verùm vbi secum strictius, quo rsum me vocaret sollicitè quæritarem, non obstupere non potui, quonam modo, (dum eminentiæ tuæ gradum, laboris tui studium, peruigili meditatione contemplor) qui tanti ducis impia, tantorum principum consulta disponis, his vtcunque cedens, in meos titulos te conferres. Nec mihi satis liquet, nunquid permulcendis moribus, an propulsandis erroribus institisti: His etenim haud iniuria mihi meminisse videor, adolescentulos vrgeri solere, quos olim vel illusione corripimus, vel in meliora animare callida persuasione molimur: moliris equidem fateor, nec de te qui tantus, qui talis es, nisi sanctum, nisi honestum credere minus fas fuerit quàm dubitare nefas. Moliris namque, velut interpretor, torpenti animo calcar addere, pauores excutere, & qui tibi ad probitatem offici credor, in hac te perficiar suadente. Supprime quæso mi Domine reuerende, ac nimium elata vela substringe. Nam quid agis, nisi vt præconij ludibrio mendacis erubescam

trescam? Quem tanta vi facundiæ floridum, integra discretione conspicuum, animi lorica potentem, etsi sæculi fluctibus, etsi fortunæ ictibus actum, vacasse disciplinæ, præ nimio stupore miraris? Miraris enim nec admirari desinis, quem nostris temporibus nihil attonitum, minimè cupidum, bifrontis fati ludos, non sine socij fauore numinis, inconcussa mente spectantem, oratione blanda non minus quàm vera describis. Erubesco deniq; & mutesco penitus, quando quod meas ægra cogitare, nedum manus trepida stylo dare vix audet: me tibi ducem eligis, speculum exigis: sed vt iam arbitror hic tibi mos est, vt quos virtuti faciles reris, hunc laudibus accendere, hunc pro animorũ exigẽtia soleas argutiis deterrere. Porrò, vt ex multis quæ tot, & tanta profiris, ad paucissima respondeam. Is non sum, is nõ sum, iure iratus exclamem, quem tantis plausibus extollere, deperditi temporis querimonia complorare, quem phaleratis orationibus allicere, quem tanto debeas molimine flagitare: quin vt prætermitam quanta sit, qua sic afficeris ingeniorum dulcedo similium, si pectusculi mei latebras inanes percurreris, forsasse quem latentem sub modio non horrebas, non autẽ tibi in modio cognitum quàm minus charum intellexisse dolebis. Nouissimè, ne tuis prorsum, qui tanta me contemplatione dignaris, videar auspiciis dissentire, non vt tecum, quem mihi singularem dominum prælegi, cui meos animi motus, & cuncta nota subegi, fulgentibus ne dicam paribus armis accingar, sed vt nascẽtis amoris nostri radix mutuo copulata, pignore coalescat, solutis inuigilare sermonibus: non intrepido tamen pollice laboraui, nequaquã ignarus, illuc me rapi, vbi tua nostrorum Cecropidarũ simillima turba palæstricis cõcertat ingeniis. Florescit Liuius, & facundia Ciceronis, vbi tua te venerabilis caterua miratur, labori suo columen, & pedibus dulce iubar. Succedo itaque domine mi, ac genibus tuis supplex, & deuotus aduoluor, vt siue mitior qualem te tua commendat humanitas, siue qualem te ad vltimum polliceris, acrior imparitate malueris, mihi liceat tua iussa capescere, dictata facescere, ac eo medullitus aspirare, quò & quacunque me vocabunt tui Socratici pectoris rudimenta. Venetiis XXI. Nouembris.

BENINTENDIVS VENETVS, MODIO PARMENSI SVO, S. Epist. X.

Superior responsio facetè reprehenditur cum dehortatione à versibus componendis.

REm non nouam, neque inopinatam aggrediar, vulgatam potius, & clara voce promissam, si tanto illi praeconio, quod de te pridem altera mea profitebatur epistola quicquam ista detraxerit. Quae si forsitan, quod minimè reor, aliqua sui parte tibi molesta peruenerit, tantillum saltem reportatura sit fructus, vt quem te illa tantum extulerat, praesens nunc experta sit virum. Sunt mihi quae fortibus in te lacertis traiiciam acutissima iacula, sunt validissima tela, quibus te transuerberare iam properem, sunt sagittae mortiferae, quas in te mittere totis viribus non formidem. Quid autem aduersum hoc negotij tibi sit, ipse delibera, non te tutabitur scutus vel galea, non lorica, vel thorax, non quoduis alterius generis munimentum, quantumcunque exquisito artificio sint contexta. Armis crede, mihi aliis quàm ferreis opus est, miser es Modi. & miserior multo quàm putas, cum seruus, & iam non seruus esse non possis. Astrinxisti fidem tuam, astrinxisti pariter libertatem, & vtinam illi domino, cui seruire summa est iocunditas, & libertas: sed quod pace tua dixerim, ab eo, cui seruiueris seruias, seruiturúsque sis, quid sperare potueris, non agnosco. Sperasti fortè diuitias ab eo qui in diuitiis pauper est? Sperasti honores ab eo, in quem honoris occasio, lethiferum vulnus inflixit? Sperasti libertatem ab eo, qui semper animo inquietus, in summa libertate, seruorum noscitur esse seruus? Quanto tibi consultius actum erat, si tecum ipse vixisses, si te dignum fecisses Deo: nemo autem alius est Deo dignus, quàm qui hos vanos honores, opésque contempsit, quorum tamen possessionem non interdicit, ex toto, sed efficere vult, vt intrepidè possideantur à nobis. Id verò minimè consequi possumus, nisi nos etiam sine ipsis beatè victuros esse putemus. Nunquid satius erat tibi his, qui quotidie noui casus emergunt, ceruicem subducere, & secundùm naturam vixisse, quae paucis, vt

nosti, minimísque contenta est: Panem & aquam ipsa desiderat nemo ad hæc pauper est, intra hæc si tua desideria conclusisses, cum ipso Ioue de fœlicitate contenderes. Sed vt video, implicauit te potius error, communis gloriæ videlicet appetitus, qui summum calcar etiam virtuosissimis esse solet: quasi pulchrum duceres, & ad magnum tibi dedecus ascriberes, apud illustrem virum, famæ pretium meruisse, falleris licet aliquali venia dignus sis. Nónne meministi, quod vera animi magnitudo, honestum illud quod natura sequitur factis, positum non in gloria iudicat, & mauult esse principem quam videri. Nam qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris habendus non est. Facillimè enim ad res iniustas impellitur: non est philosophia populare artificium, nec ostentatione paratum: nulla extrinsecus instrumenta iam quærit, domi colitur, ex se totum est. Nulla ergo excusatio est peccati, vbi reprobata causa peccaueris. Sic itaque si seruitutem, ambitionémque tuam, ex corde recenseas, senties profectò, hæc duo, laudem tuam acutissimè transfodisse. Respondebis, vt opinor, hæc eadem imputaturus & mihi: Fateor non sum liber, non ab huiusmodi labe totaliter absolutus, libens tamen seruio, iusto & Christianissimo principi, non domino, vel tyranno, qui vitæ, necísque in me habeat potestatem. Seruio Reipublicæ meæ, quæ mihi meipso charior semper fuit: seruio patriæ meæ, quæ filiis, parentibus & amicis, & demum priuatæ vtilitati præferenda est. Hanc mihi non seruitutem, sed summam arbitror libertatem, non tam honoris, diuitiarum vel gloriæ cupidus, quàm vt apud eum qui omnium corda nouit, fructus benefactorum, si mihi bene fecisse fortè cõtigerit, percipiã. Hîc finiã & sigillam epistolã? Maius certamen expecta. Accipe quod te profundiùs sauciet, & penetrabiliùs vulneret mentem tuam. Versus vt audio, componis, & carmina, dictiones & syllabas quotidie mensurare non desinis, verbis tamen, & vocibus operam tuam ponis. O pueriles ineptias his rebus intentus es, quæ nec te possint, nec alios facere meliores: in hoc labores, in hoc vigilias tuas perdis? In hoc subducis supercilia tua, barbámque demit-

tis, & pallidus quandóque & exanguis insudas? Turpissima iactura, quæ sensato viro, ex conscientia sua venit, si multum superesset ætatis, parce dispensanda, vt necessariis tantum sufficeret, nunc quod mors à tergo quotidie nobis, magnáque instat, pars eius præteriit, & quicquid ætatis retro est iam tenet, quanta dementia est, superuacua dicere, in tanta temporis egestate? Et cùm aliena sint omnia, tempus quod solum nostrum est, frustrà conterere? Non Virgilius, non Homerus, non Ouidius, Statius, vel Lucanus, non reliqui Poetarum, quotquot numerare volueris, aut eorum vtique faceto stylo metra composita eò quòd ab omnibus quæritur, à paucissimis inuenitur, consilio te iuuabunt. Id tibi cœlestis amor & Philosophia sola præstabit: efficiet vt libenter Deum, contumaciter fortunam aspicias, aliquid contra paupertatem, aliquid denique contra mortem, singulis te adhortabitur horis. Docebit te nulli rei seruire, nulli necessitati, nullis casibus, demum ad calcem perducet, vt teipso contentus sis, & ex te nascentibus bonis, vtque hoc quotidie mediteris, quemadmodum possis æquo animo imbecillem hanc & transitoriam vitam relinquere. Facere suadebit, non dicere, & non verbis opera, sed operibus verba probare. Crede mihi, mi Modi, literata colloquia, & scriptis sapientum verba collecta, eruditúsque sermo, verum robur animi non ostendunt, cùm sit oratio etiam timidissimis audax. Proinde tibi persuade libertatem esse pretiosissimum boni genus, quàm naturalem facultatem, eius quod cuique facere libet nisi quod vi, aut iure prohibetur sapientes esse diffiniunt. Seruitutem contrà omnium malorum grauissimum, qua quis alieno iuri, contra naturam subiicitur: Ab initio enim omnes homines liberi nascebantur. Ambitionem quoque periculosissimam pestem fore, quæ vt tuus ille Salustius ait: Multos mortalium falsos fieri coëgit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere. Demum summã negligentiam illam esse, si exiguum hoc nobis datum est temporis, inutiliter expendatur, & prodigè, vbi velut irrecuperabile fuerit parcissimè dispensandum. Postremò eum qualem, quantúmue haberi te velis, non in fortunę,
sed in

sed in manibus tuis sit, tunc cõsummata fœlicitas tibi erit, tunc summam summarum attigisse te noueris, cum eò perueneris, vt qualis haberi cupias, talis sis. XV. Cal. Decembris.

BENINTENDIVS VENETVS FRANCISCO PETRARCHAE, S. Epist. XI.

Quantum Petrarcham amet & colat scribit, docétque non tã corporis quàm animi cultum esse querendum.

NErius noster mihi pridem apparuit, ad cuius primò complexum, magna me subiit veneratio eius, dum eum esse memini, qui se probitatibus suis fecerat amicitia tua dignum. Magnum opus fecisse magnas sibi comparasse diuitias, immensum sibi theatrum extruxisse, visus est mihi. Queror, irascor & litigo mecum ipse, quòd non maiori cura tanti viri gloriam & ipse ego venatus sim. Accuso ignauiam meam, ipse me sæpe redarguo, ac miserum, & infœlicem me clamito, quòd tanta diligentia, hoc luteum corpus operiam, fami, sitíque satisfaciam suæ, ac eius siquid languoris intercidat, singula membra curem: animum verò qui non suo, sed alieno potius, vitio semper est nudus, qui non annonæ, sed pastoris inopia famelicus, semper & æger, sic prorsus ac si mea nihil eius interfit, abiicerem. Dico intra meipsum, Si cæci corporis lumina perdidisses, si auditum, gustum, vel tactum, aut denique odoratum, sinistra manu casus aliquis abstulisset, nunquid Adriaticum mare non sulcares? Nunquid Ionicum & Ægeum? Nunquid Charybdim & Scyllam forti animo nedum traiicéres, sed tranares? Nunquid non Italiam, Germaniam, & Galliam peragrares? Et vt paucis totum complectar, nunquid non Europam, Asiam, & Africam velut furibundus inquireres, vt nedum qui sanaret, sed qui salutem promitteret inuenires. Nunc in foribus tibi est, qui morbos animi diligenter expurget, qui tanta valetudine infectum eum curet & sanet, tenebras pellat, lucémque subducat, qui beneficio suo te parem angelis efficiat, vt quid moraris vel cessas? Excute teipsum & libera, festina, propera, & virum illũ velut diuinũ quoddam oraculũ supplex adora, nulla adeo tibi trã-

opem, ferre quietem & pacem saeculo suo dare. Hac petiit coelum via, hac petiturus es tu. Omnibus quidem qui patriam iuuerint, auxerint, opémq; praestiterint, certum scias in coelum diffinitum locum, vbi beati sempiterno aeuo fruantur. Aeternum vale mi fili, cui animam, quae iam coelo potitur, natos & coniugem, non aliter quàm sint in mente adduco, expertus quod verum, & fidum amicum te sibi reliquerim, quãtum natura patitur, in suis commodis vigilem, & assiduè curiosum. VI. Idus Februarij, Anno incarnationis eius, qui nos à morte redemit. M. CCC. LV.

BENINTENDIVS VENETVS, MODIO PARMENSI SVO, S. Epist. VIII.

Virum bonum nobis semper ante oculos esse habendum ad cuius vitam mores nostros componamus: & pro tali Benintendium se sibi elegisse scribit.

NOn potest mi Modi virtus tua latere sub modio, fulget & eminet, velut in candelabro posita, & tota iam veris, non fictis suffulta laudibus ex se lucet, ideò vt à querelis exordiar, tecum, hactenus mihi quidem incognito, tantum huius fugacissimi temporis, cuius solius auaritiam veterum nostrorum commendat auctoritas, irrecuperabiliter perdidisse me doleo: quãuis enim bonus non sim, in hoc tamen libenter incumbo, vt bonorum fiam consortio non indignus. Fateor, magnam vim ad conciliandos sibi animos virtus habet. Ea nihil est amabilius, nihil quod magis ad diligendum alliciat, cùm propter virtutem & probitatem, eos etiam quos nunquam vidimus diligamus. Vincit omnem cognitionem naturę morum similitudo bonorum, nulláque societas gratior, nulla charior, quàm cùm viri boni moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. Proinde cùm plerisque referentibus multa, magnáque de te nuper audiuerim, factus es mihi ante charus quàm cognitus & dum mihi suggeritur quanta sit eloquentiae tuae vis, quanta discretionis integritas, quantúsque animi tui vigor, in te delector & stupeo. Stupeo quippe, grauibus te curis obsessum, tot secularibus implicitum negotiis, sic vacare animo & sapientiae potuisse. Et cùm senserim tecum, iniquè fortu-

nam

nam egisse, per multos casus, variáque pericula te iactando, hoc ipsum delectat me, animi tui robur: O quam mirabilis & veneranda res est, nostra præsertim ætate, virtutis, vtinam non magis sterilis, quàm fœcunda, virum interitũ inuenisse periculis, in mediis tẽpestatib⁹ placidũ, & inter aduersa fœlicẽ! maius hoc, altiúsq; mi Modi, quã vt simile tuo, in quo es corpusculo credi possit. Sed vis vt opinor in te diuina descendit, animũ tibi excellentẽ exhibuit, moderatum, omnia tanquã minora trãseuntẽ, quicquid timetur operatúrq; ridentem, quem profectò agitat cœlestis potentia. Non posset res tanta, sine adminiculo numinis summi stare. Itaque nisi fallor, maiore tui parte illic es vnde venisti: quemadmodum enim radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittuntur: sic animus tuus magnus ac sacer, conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ, illinc pendet, illuc mittitur & aspirat. Quocirca fœlicitati tuæ vehementer congratulor, & fortunæ meæ habituræ deinceps vnde impensæ ratio mihi constet, vnde virtutis & patientiæ formam sumam, cuius exemplo aduersus hæc momentanea & caduca me muniam, Postremò ad eius mores, & regulam me componam. Ha! quantum prodest animo, nondum adulto, illic adhæsisse, vnde se possit facere meliorem! Propterea eligendus est nobis vir bonus, & ante oculos semper habendus, vt illo viuente viuamus, & tanquam illo spectante omnia faciamus. Hunc te mihi electum esse cognoueris, obseruabo, imitabor, & sequar etiam, si mare transieris, animi tui mores, quos etsi non sperem facilè consequi posse, magnus enim est labor, & prorsus viribus meis impar: at saltem attingere non despero nihil enim est quod pertinax opera, & cura intenta & diligens non expugnet. Robusta in rectum quamuis flexa trahuntur, curuatum trabem calor explicat, & aliter natæ arbores in id finguntur quod exigit vsus noster, quantò faciliùs mens ipsa flexibilis, & omni humore exequentior, formam bonitatis accipiet, si feruenter instabitur? Ne temerarium me quæso puta, veris si de meliora promitto. Imbecillis enim foret, & ægri inexperta formidare, nec spem bonam concipere, vbi tali, tantóque

duce regendus sim: sed ne fortè nimis blandiri tibi hæc mea videatur oratio, ars enim ea procul à moribus meis est, alia me tibi scripturum prænoscito, quę huic tuæ laudi contraria iudicat vuulgus exterior, non vt me, qui discipulus esse volo, tibi correctorem exhibeam, sed potius, vt velut honoris tui amantissimum habeas ex parte, ex puritate fidei relatorem. Et cùm nihil ex omni parte beatum, nihílque in humanis adinuentionibus adeò perfectum, quod, si ad perspicacis correctionis regulam deducatur, multa non indigeat tersione, magnū argumentum bene constituti animi tibi erit, si ea, quæ de te forte adhuc ignoraueras, nunc in melius reformando cognosces. VII. Idus Nouemb. M. CCC. L V.

MODIVS PARMENSIS BENINTENDIO, s. Epist. X.

Virtutum, quibus eum esse præditum Benintendius ait in superiori epistola se indigum esse, modeste respondet.

PErunćta melle Rhetorica me permulxit epistola, Benintendi, quæ mentis & oris admirando nitore, oculos meos dulciter illexit, inflexit spiritum, Perfricuit & auditum. Verùm vbi secum strictius, quorsum me vocaret sollicitè quæritarem, non obstupere non potui, quonam modo, (dum eminentiæ tuæ gradum, laboris tui studium, peruigili meditatione contemplor) qui tanti ducis impia, tantorum principum consulta disponis, his vtcunque cedens, in meos titulos te conferres. Nec mihi satis liquet, nunquid permulcendis moribus, an propulsandis erroribus institisti: His etenim haud iniuria mihi meminisse videor, adolescentulos vrgeri solere, quos olim vel illusione corripimus, vel in meliora animare callida persuasione molimur: moliris equidem fateor, nec de te qui tantus, qui talis es, nisi sanctum, nisi honestum credere minus fas fuerit quàm dubitare nefas. Moliris namque, velut interpretor, torpenti animo calcar addere, pauores excutere, & qui tibi ad probitatem offici credor, in hac te perficiar suadente. Supprime quæso mi Domine reuerende, ac nimium elata vela substringe. Nam quid agis, nisi vt præconij ludibrio mendacis erubescam

fcescam? Quem tanta vi facundiæ floridum, integra discretione conspicuum, animi lorica potentem, etsi sæculi fluctibus, etsi fortunæ ictibus actum, vacasse disciplinæ, præ nimio stupore miraris? Miraris enim nec admirari desinis, quem nostris temporibus nihil attonitum, minimè cupidum, bifrontis fati ludos, non sine socij fauore numinis, inconcussa mente spectantem, oratione blanda non minus quàm vera describis. Erubesco deniq; & mutesco penitus, quando quod mens ægra cogitare, nedum manus trepida stylo dare vix audet: me tibi ducem eligis, speculum exigis: sed vt iam arbitror hic tibi mos est, vt quos virtuti faciles reris, hunc laudibus accendere, hunc pro animorũ exigẽtia soleas argutiis deterrere. Porrò, vt ex multis quæ tot, & tanta proferis, ad paucissima respondeam. Is non sum, is nõ sum, iure iratus exclamem, quem tantis plausibus extollere, deperditi temporis querimonia complorare, quem phaleratis orationibus allicere, quem tanto debeas molimine flagitare: quin vt prætermittam quanta sit, qua sic afficeris ingeniorum dulcedo similium, si pectusculi mei latebras inanes percurreris, forsasse quem latentem sub modio non horrebas, non autẽ tibi in modio cognitum quàm minus charum intellexisse dolebis. Nouissimè, ne tuis prorsum, qui tanta me contemplatione dignaris, videar auspiciis dissentire, non vt tecum, quem mihi singularem dominum prælegi, cui meos animi motus, & cuncta nota subegi, fulgentibus ne dicam paribus armis accingar, sed vt nascẽtis amoris nostri radix mutuo copulata, pignore coalescat, solutis inuigilare sermonibus: non intrepido tamen pollice laboraui, nequaquã ignarus, illuc me rapi, vbi tua nostrorum Cecropidarũ simillima turba palæstricis cõcertat ingeniis. Florescit Liuius, & facundia Ciceronis, vbi tua te venerabilis caterua miratur, labori suo columen, & pedibus dulce iubar. Succedo itaque domine mi, ac genibus tuis supplex, & deuotus aduoluor, vt siue mitior qualem te tua commendat humanitas, siue qualem te ad vltimum polliceris, acrior imparitate malueris, mihi liceat tua iussa capescere, dictata facescere, ac eo medullitus aspirare, quò & quacunque me vocabunt tui Socratici pectoris rudimenta. Venetiis XXI. Nouembris.

BENINTENDIVS VENETVS, MODIO PARMENSI SVO, S. Epist. X.

Superior responsio facetè reprehenditur cum dehortatione à versibus componendis.

REm non nouam, neque inopinatam aggrediar, vulgatam potius, & clara voce promissam, si tanto illi praeconio, quod de te pridem altera mea profitebatur epistola quicquam ista detraxerit. Quae si forsitan, quod minimè reor, aliqua sui parte tibi molesta peruenerit, tantillum saltem reportatura sit fructus, vt quem te illa tantum extulerat, praesens nunc experta sit virum. Sunt mihi quae fortibus in te lacertis traiiciam acutissima iacula, sunt validissima tela, quibus te transuerberare iam properem, sunt sagittae mortiferae, quas in te mittere totis viribus non formidem. Quid autem aduersum hoc negotij tibi sit, ipse delibera, non te tutabitur scutus vel galea, non lorica, vel thorax, non quoduis alterius generis munimentum, quantumcunque exquisito artificio sint contexta. Armis crede, mihi aliis quàm ferreis opus est, miser es Modi, & miserior multo quàm putas, cum seruus, & iam non seruus esse non possis. Astrinxisti fidem tuam, astrinxisti pariter libertatem, & vtinam illi domino, cui seruire summa est iocunditas, & libertas: sed quod pace tua dixerim, ab eo, cui seruiueris seruias, seruiturúsque sis, quid sperare potueris, non agnosco. Sperasti fortè diuitias ab eo qui in diuitiis pauper est? Sperasti honores ab eo, in quem honoris occasio, lethiferum vulnus inflixit? Sperasti libertatem ab eo, qui semper animo inquietus, in summa libertate, seruorum noscitur esse seruus? Quanto tibi consultius actum erat, si tecum ipse vixisses, si te dignum fecisses Deo: nemo autem alius est Deo dignus, quàm qui hos vanos honores, opésque contempsit, quorum tamen possessionem non interdicit, ex toto, sed efficere vult, vt intrepidè possideantur à nobis. Id verò minimè consequi possumus, nisi nos etiam sine ipsis beatè victuros esse putemus. Nunquid satius erat tibi his, qui quotidie noui casus emergunt, ceruicem subducere, & secundùm naturam vixisse, quae paucis, vt

nosti,

nosti, minimísque contenta est: Panem & aquam ipsa desiderat nemo ad hæc pauper est, intra hæc si tua desideria conclusisses, cum ipso Ioue de fœlicitate contenderes. Sed vt video, implicauit te potius error, communis gloriæ videlicet appetitus, qui summum calcar etiam virtuosissimis esse solet: quasi pulchrum duceres, & ad magnum tibi dedecus ascriberes, apud illustrem virum, famæ pretium meruisse, falleris licet aliquali venia dignus sis. Nónne meministi, quod vera animi magnitudo, honestum illud quod natura sequitur factis, positum non in gloria iudicat, & mauult esse principem quam videri? Nam qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris habendus non est. Facillimè enim ad res iniustas impellitur: non est philosophia populare artificium, nec ostentatione paratum: nulla extrinsecus instrumenta iam quærit, domi colitur, ex se totum est. Nulla ergo excusatio est peccati, vbi reprobata causa peccaueris. Sic itaque si seruitutem, ambitionémque tuam, ex corde recenseas, senties profectò, hæc duo, laudem tuam acutissimè transfodisse. Respondebis, vt opinor, hæc eadem imputaturus & mihi: Fateor non sum liber, non ab huiusmodi labe totaliter absolutus, libens tamen seruio, iusto & Christianissimo principi, non domino, vel tyranno, qui vitæ, necísque in me habeat potestatem. Seruio Reipublicæ meæ, quæ mihi meipso charior semper fuit: seruio patriæ meæ, quæ filiis, parentibus & amicis, & demum priuatæ vtilitati præferenda est. Hanc mihi non seruitutem, sed summam arbitror libertatem, non tam honoris, diuitiarum vel gloriæ cupidus, quàm vt apud eum qui omnium corda nouit, fructus benefactorum, si mihi bene fecisse fortè cõtigerit, percipiã. Hic finiã & sigillam epistolã? Maius certamen expecta. Accipe quod te profundiùs sauciet, & penetrabiliùs vulneret mentem tuam. Versus vt audio, componis, & carmina, dictiones & syllabas quotidie mensurare non desinis, verbis tamen, & vocibus operam tuam ponis. O pueriles ineptias his rebus intentus es, quæ nec te possint, nec alios facere meliores: in hoc labores, in hoc vigilias tuas perdis? In hoc subducis supercilia tua, barbámque demit-

tis. & pallidus quandóque & exanguis insudas? Turpissima iactura. quæ sensato viro, ex conscientia sua venit, si multum superesset ætatis, parce dispensanda, vt necessariis tantum sufficeret, nunc quod mors à tergo quotidie nobis, magnáque instat, pars eius præteriit, & quicquid ætatis retro est iam tenet, quanta dementia est, superuacua dicere, in tanta temporis egestate? Et cùm aliena sint omnia, tempus quod solum nostrum est, frustrà conterere? Non Virgilius, non Homerus, non Ouidius, Statius, vel Lucanus, non reliqui Poetarum, quotquot numerare volueris, aut eorum vtique faceto stylo metra composita eò quòd ab omnibus quæritur, à paucissimis inuenitur, consilio te iuuabunt. Id tibi cœlestis amor & Philosophia sola præstabit: efficiet vt libenter Deum, contumaciter fortunam aspicias, aliquid contra paupertatem, aliquid denique contra mortem, singulis te adhortabitur horis. Docebit te nulli rei seruire, nulli necessitati, nullis casibus, demum ad calcem perducet, vt teipso contentus sis, & ex te nascentibus bonis, vtque hoc quotidie mediteris, quemadmodum possis æquo animo imbecillem hanc & transitoriam vitam relinquere. Facere suadebit, non dicere, & non verbis opera, sed operibus verba probare. Crede mihi, mi Modi, literata colloquia, & scriptis sapientum verba collecta, eruditúsque sermo, verum robur animi non ostendunt, cùm sit oratio etiam timidissimis audax. Proinde tibi persuade libertatem esse pretiosissimum boni genus, quàm naturalem facultatem, eius quod cuique facere libet nisi quod vi, aut iure prohibetur sapientes esse diffiniunt. Seruitutem contrà omnium malorum grauissimum, qua quis alieno iuri, contra naturam subiicitur: Ab initio enim omnes homines liberi nascebantur. Ambitionem quoque periculosissimam pestem fore, quæ vt tuus ille Salustius ait: Multos mortalium falsos fieri coëgit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere. Demum summā negligentiam illam esse, si exiguum hoc nobis datum est temporis, inutiliter expendatur, & prodigè, vbi velut irrecuperabile fuerit parcissimè dispensandum. Postremò eum qualem, quantúmue haberi te velis, non in fortunę,

sed in

ſed in manibus tuis ſit, tunc cōſummata fœlicitas tibi erit, tunc ſummam ſummarum attigiſſe te noueris, cum eò perueneris, vt qualis haberi cupias, talis ſis. XV. Cal. Decembris.

BENINTENDIVS VENETVS FRANCISCO PETRARCHAE, S. Epiſt. XI.

Quantum Petrarcham amet & colat ſcribit, docétque non tā corporis quàm animi cultum eſſe quærendum.

NErius noſter mihi pridem apparuit, ad cuius primò complexum, magna me ſubiit veneratio eius, dum eum eſſe memini, qui ſe probitatibus ſuis fecerat amicitia tua dignum. Magnum opus feciſſe, magnas ſibi comparaſſe diuitias, immenſum ſibi theatrum extruxiſſe, viſus eſt mihi. Queror, iraſcor & litigo mecum ipſe, quòd non maiori cura tanti viri gloriam & ipſe ego venatus ſim. Accuſo ignauiam meam, ipſe me ſæpe redarguo, ac miſerum, & infœlicem me clamito, quòd tanta diligentia, hoc luteum corpus operiam; fami, ſitíque ſatisfaciam ſuæ, ac eius ſiquid languoris intercidat, ſingula membra curem: animum verò qui non ſuo, ſed alieno potius, vitio ſemper eſt nudus, qui non annonæ, ſed paſtoris inopia famelicus, ſemper & æger, ſic prorſus ac ſi mea nihil eius interſit, abiicerem. Dico intra meipſum, Si cæci corporis lumina perdidiſſes, ſi auditum, guſtum, vel tactum, aut denique odoratum, ſiniſtra manu caſus aliquis abſtuliſſet, nunquid Adriaticum mare non ſulcares? Nunquid Ionicum & Ægeum? Nunquid Charybdim & Scyllam forti animo nedum traiicéres, ſed tranares? Nunquid non Italiam, Germaniam, & Galliam peragrares? Et vt paucis totum complectar, nunquid non Europam, Aſiam, & Africam velut furibundus inquireres, vt nedum qui ſanaret, ſed qui ſalutem promitteret inuenires. Nunc in foribus tibi eſt, qui morbos animi diligenter expurget, qui tanta valetudine infectum eum curet & ſanet, tenebras pellat, lucémque ſubducat, qui beneficio ſuo te parem angelis efficiat, vt quid moraris vel ceſſas? Excute teipſum & libera, feſtina, propera, & virum illū velut diuinū quoddam oraculū ſupplex adora, nulla adeo tibi trā-

secanda sunt maria, nulla hostium adeunda pericula, nulla peregrinatione iter quaerendum. Plana tuta, & aperta sunt omnia, vt. l's labor est, vtilior multò quàm putas, plus eo quàm sperare possis inuenies. Nunquid quod raro in Philosopho reperitur, Christianae religioni quisquam fidelior? Nunquid ad obediendum quisquam humilior? Nunquid ad imperandum quisquam modestior? Nunquid ad seruiendum paratior, & in conuersatione benignior visus est? Ita vt meritò dici possit, quod nequaquam ei similis sit inuentus. Ad T. Liuium lacteo tunc eloquentiae fonte manantem, multos de vltimis terrarum finibus legimus peruenisse, & quod ad sui contemplationem Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Quantò magis his, non lacteum fontem sed vt veriùs dicam aureum virtutis & eloquentiae flumen emittens, adeundus & cōtemplandus est vir? O thesaurum immensum. si bene quis computet ô inextimabile saeculi nostri donum, illam in terris inuenisse salutem quam nec praeteritis, nec futuris sperâre, nisi de coelo fas fuerit. Leges in antiquorum Historiis, viros fuisse prudentes, iustos, temperatos & fortes, sed quod vni contigerit, alteri defuisse comperies. In vno hoc totum quod dici, vel cogitari possit virtutis inuenies. Si quaeras scientiam, aequabis eum Aristoteli vel praeponas: si mores, Anneus Seneca cedet illi: si eloquentiam, alterum inuenisse credideris T. Ciceronem: si cardinalium virtutum quamuis ex quatuor, alterum conspicies Socratem, alterum & Platonem. Si huiusmodi ergo vir, cùm nil aliud quàm Deus in humano corpore viuens extimari iam possit, inuadat me saepius immoderata quaedam cupiditas, vt mandatum dominicum quodammodo in te sequens, vxorem & filios, patrem, si superesset, & matrem, fratres denique & sorores, caetera etiam, quae circa me bona videntur, propter te deseram cētuplum accepturus. Scio quidem quod in manibus tuis est, regna, imperia, nobilitates, honores, diuitias, opésque conferre, & quod his omnibus maius est animas hominum erudire, eísque sapientiam dignissimam rerum infundere. Quid autem ea optabilius sit, quid praestantius, quid melius, aut homine libero dignius, non agnosco

gnosco. Hæc est diuinarum & humanarum rerum notitia, hæc falsi, veríque scientia, hæc quæ sola potest hominem contentum beatúmque præstare. Itaque secessum mihi frequentiùs persuadens, cuncta dispono, accingor ad iter, & pacatis omnibus, velut cœlestem gloriam petiturus, hilaris & tutus abscedo. Et semper in limine, quæ me turbet ratio, videlicet rerum omnium moderatrix, clamat & resistit in faciem, vulgatam illam non tamen satis intellectam sententiam repræsentans, Appetitus obtemperet rationi. Ad huius vocem attonitus sisto gradum, pedem retraho, ad nauis iam properantē ascensum, & quasi subita obumbratione concussus, eius imperium taciturnus expecto. Arguit, increpat, & castigat, & velut grauiter delinquentem alloquitur. Quis te in dementiā tantam duxit, vt temerè quicquam, nec consultò constituas? Cogita quis sis, quò, quídve quæsiturus accedas. Rudis & tenebrosa materia, cui vix possit aliqua bonitatis effigies, ne dicam imprimi, sed nec etiam insigniri, Pro sapientia, tentas luminum summū lumen: nescius quod frustrà quicquam agitur in non disppposito & patiente. Tu pædagogi ministerio adhuc egens, qua fronte clarissimi viri fores, etiā proiectissimus in vias, & nisi consummatæ sapientiæ accessibilis mentibus pulsare præsumis? Num tibi delirare maximè videretur, qui scandere turrem excelsam, vix per multas ascensibilem scalas, vnico saltu contenderet? Num tibi insanus videretur, & improbus, pannosus & sordidus, nec cilicio quidem dignus, regiam sibi vestem auro, gemmísque contextam, repentina quadam impetitione deposcens? Magno vt opinor mouereris cachinno, sed maiori multò, si alium inuenires, volare contra naturam volentem, certè vt ille, quo altius ascenderet, maiori foret ruina casurus, sic & tibi nisi proposito resipiscas, quasi erranti viam, quò magis ambulare credideris, itineris plus restabit. Sunt ad sapientiam ipsam gradus, quorum si quem interscalari, vel prætermitti contigerit, necesse est qui hoc tentat, ordine peruerso præcipitet. Melle & lacte prius educantur infantes, demum inualescentibus annis, validioribus nutriuntur cibariis. Tu quoque simile fac, in eorum adhuc

numero collocandus: est enim cibus quem quæris, prorsus viribus tuis impar, cùm autem adoleueris, ad fortiora matura consultatione conscendens, tunc destinatum portum, securus intrabis, vbi salutarem medelam, vbi incomparabiles thesauros, vbi quicquid potest circa hominem boni esse, conferta mensura recipies, ita vt tibi meritò sit dicendum: Hoc est quod semper optaui. Hæc igitur virorum optimè, etiam quemque cõstantissimum territura, tua præsentia carere inuitum me compellunt: feram quantum potero, patienter, dabóque operam, licet ignauus & discolus, licet publicis obsessus negotiis, vt aliquando me faciam desiderio meo dignum. Tu autem benignus & pius, hoc vnum quod absenti præstare potes, literarum colloquiũ, quæso, mihi ne deneges, hoc vno modo mihi visendum te præbe. Nũquam epistolam tuam accipiam, vt non protinus tecum sim, nam si amicorum absentium imagines iocundæ sunt, quæ memoriam renouant, & desiderium absentiæ falso & inani leuant solatio, quantò iocundiores futuræ sunt literæ, quæ veri notas amici, & vera vestigia repræsentant? Vale mi fœlicissime domine, & quotiens seruos tuos computare volueris, precor nomen meum saltem in vltimis non omittas. Ago autem tibi reuerenter memoriam, vt epistolarij tui copiam munus quidem mihi charissimum, & aliàs tua benignitate promissum qualicunque via habere promerear, pro cuius scriptura per communem amicum nostrum Marcum de Raude, ciuem Mediolanensem, & Venetum, sicut necesse fuerit scriptoribus satisfiet. Ecce enim, & ego tibi expendẽs, exsoluo debitũm quod promisi, mitto inclusam responsionem, quam ad ea quæ secundario inuexisti, non tamen vt asseris tibi receptam, mandauit recolendæ memoriæ Dux ille Dandulus, olim tibi, suis dilectus virtutibus, & veræ nostræ patriæ vera lux, vt scias ei nec verba, nec sententias defuisse. Et vt nil restet, quo tanti viri possit accusari memoria, certum tene, eum omni tempore appetentissimum pacis fuisse: at vt audire sæpius potuisti, hic mos, gloriosum quippe patrię nostræ, ducibus nostris est, vt quamuis in eos dignitatis titulus sit collatus, potiùs

sequi

sequi quàm ducere, nec tam imperandi, quàm parendi sibi potestatem asciscunt, vtque ipsius viri laudes, quas nec capere posset, voluminis magni liber paucis absoluam: nil in eo natura peccauit, nisi quod tam breuem vitam dedit eidem, cui tamen bene redditæ reliquit memoriam sempiternam. VII. Cal. Feb.

FRAN. PETRARCHA BENINTENDIO SVO, S. Epist. XII.

Elegos quatuordecim in laudem Andreæ Danduli Venetorum Ducis, se mittere scribit.

COlende semper atque honorabilis amice, literis vestris primum acceptis, super epigrammate claræ & gloriosæ memoriæ domini ducis nostri (vt quid segnitiem meam cælē?) excusationem non epitaphium meditabar, vt qui multúmque alia curarum acie obsessus, & occupationum mearum mole obrutus, vobis vt reor, animi saltem augurio non ignota, nec cœptis ipse sufficiam meis, & vsque adeò, ab huiusmodi iuuenilibus exercitiis sim distractus, vt non iam antiqua repetere videar, sed noua prorsus, & insueta tentare, vitæque metiens breuitatem, & fundamētorum amplitudinem, quæ ieci, sedulò mecum ipse remetiens contremiscam: ideóque iampridem semel mente firmaueram, nihil vnquā vel ingenij exercitio, vel cuiusquam precibus, vel qualibet seu necessitate seu delectatione materiæ noui carminis aggredi, satis, superque existimās, si notiuæ vota successerint. Quod præruptū animi decretum, neglecta interim ingenij asperioris infamia contra feruidam amicorum instantiam, inexorabilem sæpe me tenuit. Quid multa? Iam calamus erat in manibus, iámque excusatio texebatur, dum secundus interuentus epistolæ iniiciens manum, diffidētiam abstulit, pudorem attulit, duritiem fregit. Itaque calamum, quem ad negandum cœperam, ad parendum verti, quid & per quem, & pro quo posceretur, quídve & huius amicitiæ, & illius memoriæ debeam, acriter mecum voluēs: eadē hora igitur, eadémque sessione, quatuordecim Elegos dictaui, qui si mei non videbuntur, nolite mirari, nam nec

ego vt superem meus sum, nec sum ille qui fueram, ita me multa circumstrepunt, quanquam hoc ita velim accipi verum esse, vbi me viuum, meas res intueor. Nam vbi alios, & humanum genus omne contemplor, multa fateor occurrunt, vnde cum mei statum alienæ sortis collatione consoler, neq; facile quisq; me liberior, aut magis suus appareat: quod si fortè versiculi plures sunt, quam petiti erant, remedium præstò est, duos abiicite quos videbitur, & numeri ratio constabit: Sin omnino nō placent, eò me magis vestrum credite, qui vt vobis obsequar mihi aduersor, néve aliquid vobis aut natis inclyti Ducis negem, sciens ac volens inglorio labori, id ipsum, cuius mihi penuria ingēs est, tempus impendo. Ascripsi autem in margine, siquid est, vbi vel dubitem, vel res eadem variè dici posse videatur, vt sic electio vestra sit. Mihi enim cum omnes Musæ hodie, tum præcipuè illam abesse perpendi, quam Graiam Graij vocant. Valete. Scripta rurali calamo in domo Carthusiæ Mediolani vbi & æstatem ago. Calend. Septemb. ad vesperum. M. CCC. LVII.

En domus Andreæ Veneti Ducis, vltima quanta est
Alta, sed assurgens spiritus, astra tenet.
Publica lux iacet hic, & quartum sydus honorum,
Stirpis Dandulea gloria prima, ducum.
Hunc animi vigilem temeraria Græcia sensit,
Et leuis antiquo reddita Creta iugo.
Hunc, comes Albertus Tyrolis, nostra perurgens,
Vastatis propriis, qui meruit veniam.
Hunc Iustinopolis feruens, & Iadra rebellis.
Pertimuere trucem, percoluere pium.
Hic Genuam bello claram, pelagóque superbam,
Fregit ad Algerium, seruitióque dedit.
Iustus, amans patriæ magnos cui fecit amicos,
Ingenio præstans, eloquio omnipotens.

BENINTENDIVS FRANCISCO PETRARCHAE, S. Epist. XIII.

Epistolas duas ad Ciceronem se accepisse scribit, sed eam quam ad Anneum Senecam direxit Petrarcha, sibi mitti petit.

REuerende domine mi: Si plus debito importun⁹, infestúsque sum, ascribite quæso feruenti in vos de-

potioni meæ, quæ omnem à me pauorem simul, & ruborem auertens, nimium deuiare facit à tramite rationis. Scio quidē, nunquā erga vos vlla, ex me merita præcessisse, vnde tantū virū sic audaci frōte, tam crebris pulsare tędiis ausus sim, sed vestra sūma virtus, omnē iā vulgata per orbē, & anim⁹ mihi famelicus, sitibūdúsque simul, timore nescius, in hoc quantulūcúnq; futurū sit, hic tēporis moræ meæ pabulo generoso, quo diu delectatus sum cupiēs saginari faciunt audacē ex timido, & ex verecūdo securū. Epistolas duas ad Ciceronē habui: restat eā quam ad Anneū Senecā direxistis: & cum diebus octo vel circa, hîc adhuc me moraturū existimē, supplico ne me otiosum vestra benignitas esse sinat. Quicquid vobis ad manum occurrerit, quæso copiandū transmittite, cui vestra omnia clarissima sunt, fulgentia super aurū & quamlibet margaritā. In quibus etsi multa alia grādis vtilitatis mihi futura sint, in summo tamē pretio mihi erit, quod ea intuēs videbor vos habere præsentē, quem in singularem patrē, & dominū habere propono, cunctis temporibus vitę meæ. Recommendās me humiliter gratię vestrę semper. Venissem nunc & frequentius venirem ad vos, si his quib⁹ vtiliter insudatis operibus, meam visitationem tam vtilem, quàm superuacuam esse scirem.

FRAN. PETRARCHA NERIO Svo, S. Epist. XIV.

Amici cuiusdā, audita filij morte præ mœrore extincti, obitū luget: quam animi mollitiē redarguens, docet natorum mortē patienter esse ferendam, idque variis vtriusque sexus exemplis illustrat.

Mirari cogor, in tantis occupationibus tuis, in his fluctibus rerum maximarum, quos ab aquilone veniens, nouus Cæsar inuexit Italiæ, & quorum te valde participem tua sors facit, hanc tantam meis in rebus diligentiam tuam, vt videri possis, nihil aliud quàm me vnum cogitare, ita dico videri possis ignaris industriæ, ingeniíque tui: Nam qui te nouerunt, non mirantur, posse animum tuum ad multa, & multum diuersa sufficere, præsertim vbi illum suis stimulis vrget amor, quem omnis difficultatis victorem, & regem nouimus animorum. Hæc cur præfatus sim interroges,

quia dum te literis prioribus fessum reor, ecce duæ simul aliæ, à te mihi, vir optime, redduntur, omnes impigerrimis digitis tuis scriptæ, ita mirum plus tibi vacat in negotio quàm in otio. Mihi mirum (inquam) nisi celeritas, quæ vt Cicero noster ait, ingenij laus est, mirum esse discuteret. Sed venio ad rem, & illud transeo, quod in primis quasi magni criminis te mihi purgas infamiam, & propè sacrilegij instar ducis, in tuis me literis singulariter compellasse. Itaque stylum mutas, quasi vel ego blanditiarum egeam, quas primum Iul. Cęsaris fortuna mundo intulit, aut te vilior stylus, robustiórque non deceat, cuius & veteres omnes, quicunque calamum attigêre. Quem articulum quoniam alibi latiùs digessi, nunc suspenso pede prætervehor. Et siquid auctoritatis apud te non quidem merui, sed inueni, me quoque nouissimum omnium habes auctorem, qui hoc stylo non tantum ad amicos, quos ex æquo alloquor, sed ad Reges atque Pontifices, Cæsarémque ipsum vti soleo, quos reuerentiùs affarier, æquúmque est. Verum ego reuerentiam veram in mendaciis non repono, mentiri autem dominis his vocibus, quibus nunc vulgò vtimur, ætate ipsius Cæsaris inuentum, Lucanus asseruit. Sentio autem quid te mouit, neque tu dissimulas, motum te literulis meis, in quibus stylum hũc intermisisse videor, cuius rei ne de cętero moneare reddenda ratio est. Ego quidem, amice, stylo huic constanter inhæreo, quotiens grandiusculum aliquid adorior: grandia enim nec huius angustissimi, fugacissimíque temporis, nec ingenij mei sunt, nec huius calami, quem agrestem rectiùs cùm liceret, cœlestem vrbaniùs dicere maluisti. At quotiens ad plebeias atque humiles curas, quas nec stylo dignas putem, aliqua rerum necessitas me attraxerit, plebeium quoque characterem non recuso, ne fortè plus operæ verbis impendam, quàm sententiis debeatur, ídque mihi non aliud causæ in illis literulis fuisse noueris, Et hæc quidem hactenus, ex nunc autem quicquid agam, & stylo quolibet, illud saltem non admittam, vt plurali numero vtar amico, & vni loquens. Idque tum per meipsum sum facturus, ne amicis mẽtiar, tum vel maximè ne exemplo tibi noceam, cuius apud te

non leue pôdus esse video. Tu igitur si me amas, ad proprium stylum redi, & id agimus nõ vt auribus vulgi, sed vt decori nostro satisfecisse videamur. Venio nunc ad acerrimum dolorem meũ, quo in secunda parte literarum tuarum, quasi venenata cuspide aures meas, atque animum pupugisti. O factum pessime, de amico optimo: O infaustum negotium: O rem tristem, calamitosam, & miseram! O nouum, & inauditum seculis infortunij genus! Assuefeceram oculos tristibus spectaculis, aures amaris rumoribus, pectus cunctis fortunæ vulneribus, & cogitabam assiduè, quid vnquam mali, quid asperi, quid acerbi accidisset homini, vt quidem mihi & meis, quoniam homines sumus & non odij, vel euenturum esse, vel euenire posse certè scirem, vtque aduersus omnia iacula duratum atque armatum animum haberem, telũ hoc quia nunquam tale aliquid videram, nil simile prorsus audieram, aut legeram, cogitare & præuidere non potui. Et ideo inermem, improuidũmque transfixit. Hei mihi quid quærar? Vnde ordiar? Quid dicam? Accusabo fortunam? Surda est. Accusabo mollitiem amici, qui sibi mortem, mihi mortiferum dolorem attulit? Sera est accusatio erroris, irreuocabile damnum est. Quo auctore potiùs inutiles sint querelæ. Et tamen ô dulcedo efferá, iuuat insistere, & fando alimenta miseriæ præstare. Quid enim aptiùs possit animus tristis, quàm in tristi materia versari, habet & mœror voluptatem suam, duram quidem, sed sibi accommodatam, in Arte poëtica scriptum est:

——tristia mœstum
Vultum verba decent.

Vtar consilio quod me decet. Sed quò pergo, vt illi nihil prosim, mihi noceam, fortè aures atque oculos tuos lædam? O cæca mens hominum, & non futuri modò, sed sæpe præsentis etiam fati sui nescia. Ad Paulum Hannibalensem vnum ex Romanis principibus, cui me familiarissimum virtus & humanitas fecerant, quibus illum mirabiliter natura dotauerat, mandata dederam, tibi ignarus, illum iam rebus humanis exemptũ, taliter quidem vt non mortem, quę natis omnibus ęqua est, sed genus mortis vnicè miserum cogerer, vsque ad meam ipse

[illegible] [illegible] O cogitationes hominum vanae! O inanem spem. O lubricam fortunam! O instabilem fortunae [illegible]! O ancipites vitae vias! O praecipites casus! O profundas ambages! O inequalitates aerumnas! Amisit filium Paulus unicum & intolerabile mali genus, quo [illegible] non aliquando [illegible] perdidit, nisi qui nullum habet. Rari sunt quibus fortuna prolem deleret, nec domum suam [illegible] [illegible] [illegible], permittit. Amisit Paulus noster filium, rem non insolitam narras. & alius Paulus suos amisit. Hannibalensis unum perdidit, Macedonicus duos, alij plures. quidam omnes, unum iste perdidit. Priamus unus, ex tanta natorum acie superfuit, sed hic suum ferro amisit. Quid refert an ferro, an incendio, an naufragio, an febribus, an veneno. Mors autem una est, sed haec iuuenem abstulit. Scio. Nam adhuc iuuenis Pater erat. Quaenam verò hinc tanti doloris causa fuit? An ignorabat doctus homo & prudens, plures multò iuuenes mori solere, quàm senes? Et vt vulgo dicitur, plures hædos perire quàm capras? Humani generis incrementum terra non caperet, si omnes senescerent qui nascuntur? Quid igitur ploras? Dicat aliquis. Nihil adhuc noui audio. Adolescentem in prælio pugnantem, in prælio cecidisse. Eueniunt ista quotidie, & fortium patrum innumerabilis multitudo est. Nam quod scribis, corpus exangue, hostibus fuisse ludibrio hostili sæuitiæ aliquid, sed superstiti, existentique miseræ nil prorsus adiecerit. Stultum enim, cùm mortem spreueris, cadaueris iniuriam formidare. Patres ob tum filiorum forti tulêre animo, laceros quidem artus siccis oculis collegêre. Multi autem suos cum lachrymis ad sepulchrum, ad inferos quidam versis in se gladiis prosecuti sunt: fletu immodico, quòd meminerim, ante Paulum nostrum, nemo. Hic est nouus & rarus, & inconsolabilis dolor meus, homo nobilissimus, & mea quondam opinione fortissimus, sic fortunæ tergum præbuit, sic laxauit frena mœstitiæ, vt illa eum præcipitaret in mortem: O lachrymas meas! ô inexhaustos fletu oculos! ô liuentia lumina! Da veniam Paule, fons ille aruit, qui cunctis amicorum miseris vbertim lachrymas dabat. Siccare illum vel vna Romana

domus debuit, dum Columnensium familiam fleo flere alios posse desij. Omnes lachrymarum mearum scatebras illa consumpsit, pumice siccior factus sum. Tu tamen vir optime, sine lachrymis meis non eris, quas de profundissimis atque abditis animæ recessibus fando eruam, & quibus mœstum funus absens prosequar, imò verò inter tristia funera fletu madidus, præsénsque versabor. Quid, heu, mihi fecisti? Vir in rebus aliis acer ac strenuus, quid fecisti? Nō sat magna pietas est, visa paternis lachrymis, filij funus ornare, quod ipsum virtute animi melius, & spe ac solatio promissæ resurrectionis ornasses, sed parum piæ visæ sunt lachrymæ, nisi mortem morte accumulans, charissimo & insonti filio, paternæ mortis inuidiam, post fata relinqueres, & reum, atque odiosum posteris faceres, quem amabas, Nónne præstabat quamuis præpostere filio superesse, & te sibi fratres, fœliciores tibi natos quærere? Virentissima ætas erat, vel quod Christianæ pietatis proprium fuit, pro illius salute animæ, cuius corporis præceps & festinata mors fuerat, preces atque suffragia ad cœlum mittere? Vel si qua ea dulcedo est, recolligere animum atque firmare, & in extrema solatia patri, viróque forti, debitæ vltioni intendere? Postremò quid vis facere potiùs quàm quod potissimum elegisti? Quæ enim ista dementia est superbis hostib⁹, qui filij tui frigida membra calcauerant, quibúsque suus luctus, & crudelitatis, & insolentiæ supplicia debebantur, de te quoque duplex gaudium, & geminam vltrò victoriam concessisses? O mortalia pectora, in extremis semper cæca casibus. Audita primùm morte filij, conspectóque cadauere, quod humanitatis immemor hostilis ita discerpserat, cùm & ferro posses vlcisci, & animi virib⁹ grauem ferre fortunam, & fato succumbere maluisti, & te exitialibus atque mortiferis vltus es lachrymis, cúmque virorum exemplis illustrium, quæ probè noueras, reuocareris ad vitam, & ad spem desperatam in mortem nescio qua ferali dulcedine raptus es. Nónne autem, quæso, luctus inconsolabiles paranti tibi occurrat Anaxagoras, qui mortem nuntianti: Nihil (inquit) inopinum narres: cùm enim ipse mortalis sim, sciebam ex me genitum es-

se mortalem. Nónne Xenophon in animum venit, cui cùm sacrificanti, primogeniti mors filij nuntiata esset, neque cœptum sacrificium intermisit, neque succubuit fortunæ, sed corpore atque animo mansit immobilis, corona duntaxat, quam capiti gestabat, deposita, ne tãtum vulnus non sensisse videretur, móxque cum gaudio reposita, vbi accepit, fortiter dimicantem filium occubuisse, Deos testes faciens, plus se virtute filij delectari quàm in morte torqueri. Nónne vnici filij dolorem immodicum, castigare visus est Pericles, qui duobus simul rarissimæ indolis amissis filij, neque coronam deposuit, neque concionibus abstinuit, neque vllum penitùs, aut in verbis, aut in vultu mutati animi signum dedit. Etsi longinqua respicere mens lachrymosa non poterat, nónne sub oculis erant Romanæ virtutis exempla clarissima? Nónne aderat M. Cato, senex ille famosissimus, cuius cùm innumeræ laudes sint, tamen ille apud Ciceronem præcipua est, quòd fortiter ac modestè optimi filij mortem tulit? Nónne Catonis collega, Q. Marcius, qui cum Cos. eo ipso die, quo Senatus secundùm legem conuocandus erat, vnicum spectandæ indolis filium amisisset, & sepulturæ filij pius pater interfuit, & mox Senatum Cos. egregius conuocauit, vnum diem inter diuersissima priuati mœroris & publicæ maiestatis partitus officia? Nónne Paulus Æmilius cuius suprà memineram, Paulo nostro par nomine, sed quod nollem virtute superior, qui duobus primum filiis in adoptiónem datis, & mox duobus, quos sibi seruauerat (qui quales essent inde coniicies, quòd inter datos Africanus iunior) intra septimum diem morte subtractis, orbitatem suam tam inuicto animo pertulit, vt post triumphum Macedonicum, quem sibi virtus, & fortuna de opulentissimo rege pepererant, & quem alterius filiorum mors præcesserat alterius insecuta erat, P. R. alloquens, quasi publici consolatoris officio fungeretur, & id sibi optato accidisse diceret, quòd in tanto splendore successuum publicorum, metuens nequa forsan gaudio vt fit mœstitiæ se nubes effunderet, deos anxiè precatus esset, vt siquid tacitũ minaretur, totum à populi ceruicibus, in suam domum fortuna

tuna conuerteret. Nónne M. Hor. Puluillus, cui cũ Capitolium dedicanti ab Æmilio mors filij nuntiata esset, ab opere glorioso, quamuis equidem, vt falso, mœsto, tamen rumore perculsus absisteret, nihil aut vultu, aut animo motus est, cœptúmque nõ amplius intermisit quàm vt cadauer iuberet auferri, templi continuò postem tenens. Quòd si falsæ tantum ille religioni, diísque mendacibus tribuit, quantum veræ religioni, vero Deo tribuendum erat? Quantóque studio prouidendum, ne tuo fletu Paule tu perites, CHRISTVS offenderetur? Quanquam quid exempla virilia colligo, cùm Romanæ mulieres, pudorem tuum premere, & lachrymas siccare debuerint, vir Romane? Nam vbi tunc quæso, vbi tunc Cornelij Africani filia, Gracchorum mater, cui præter maternæ pietatis affectum, quàm chari filij essent, illud indicat, quòd Campanæ olim hospitæ, apud se muliebriter iactabundæ, & sua sibi ornaméta monstráti filios è ludo literarũ reuertentes ostendit: Et hæc (inquit) mea ornamenta sunt. Hos illi filios, & hæc ornamenta simul omnia, sæua mors rapuit, tantum tamen animi fœmineo fuit in pectore, vt ex morte illam complorantibus, & miseram vocitantibus responderet: Mœstam vtique, sed miseram se non esse, quæ tales filios genuisset. O non fœmineum, sed virilem & verè paterna gloria dignam vocem! Vbi erat Liuia Augusta, cui cùm è duobus filiis mors, vt fermè mos suum est, & pessimum reliquisset, & optimum, imperióque dignissimum abstulisset, ita casum suũ fleuit, vt vltrò & modum, & finem lachrymis imponeret, mediámque se inter piam matrem, & principem fœminam exhiberet, ne vel naturę debitum negaret vel tanti coniugis oculos spectaculo tristiore cõfunderet. Quantò autem exactius cauendum erat, ne gemitu nimio lederetur CHRISTVS spectator, ac iudex actuum nostrorum, cui mortalibus querelis, iudicia æterna conuelli, haud dubiè neque immeritò permolestum est. Sed Romanas transeo, quibus vt muliebris est pudor, sic virilis animi robur, atq; constantia, quásque nunc etiam fama vulgaris, etsi multa viris detrahat, iure tamen omnium gentium mulieribus anteponit, cum in hoc ge-

nere laudis sese offerat grata muliercula, vt prole impar, sic par animo, quae audita morte filij, qui in acie ceciderat. In hoc (inquit) illum genui, vt esset qui mori pro patria non timeret. Digna vel hoc responso cui natus incolumis redderetur, quem tam fortiter amisisset. Verum quò progredior? quid ago? Consternatos & absque resurgendi spe deiectos animos, fortia exempla non decent. Itaque quando nihil moestius, nihil hoc tempore dulcius possum, libet nunc incoepto haerere, & omnibus seculis flebiliora cōquirere, vt ostendam Paulo meo, nihil toto orbe miserabilius, nihil vlla aetate flebilius, qui vt patrem indueret, virum exuit; consecutúsque est, vt miserrimus pater potiùs quàm modestus & sapiēs videretur. Excutiantur Poëtae, euoluantur Historici, protrahantur in medium insignes gemitus, vt appareat quantum in hoc genere mali altior cunctis est Paulus, quantúmque supereminet, & toto vertice supra est: vt Maro ait:

Pleuit suum Pallanta, miserabilis Euandrus.

Sed post fletum vixit, & vindictam praestolari maluit, quàm filium sequi. Lausum quoque Mezentius fleuit, nec immeritò; nam si credimus Virgilio, pietas patris, filio caussam mortis attulerat, non multum hic filio superuixit, tentauitque vindictam, quae cùm parum succederet, non tam flendo mori voluit quàm pugnando. Et erant ambo senes, & vt diutius viuere, & animosiùs pugnare potuerit Paulus meus. Legimus Phocaeum Argi patrem, qui nauali praelio, quod Massiliae gestum est, cùm traiectum iaculo, & expirantem filium videret, violētius quidem indoluit, nō tamen eatenus vt fletu solo, sed vt gladio proprio confossus, saltu etiam praeceps in medios fluctus, gemina velut morte procumberet. Quod genus mortis ô Paule, vtinam esses imitatus. Sic enim nisi fallor & parciùs, & profectò viriliꝰ doluisses? Nullus enim maior dolor, quàm qui non eget auxilio, nec circumspicit instrumenta, sed ad inferendam mortem solus sufficit. Ad haec & honestius viro est, vulneribus quàm lachrymis mori, hunc dolorem, & has lachrymas consumptrices, apud Lucanum, vt rursum ad luctꝰ foemineos reuertamur. Pompeiana

peiana vxor optabat, vbi ait:

Turpe mori post te solo non posse dolore.

Ipsa tamen hæc dicens vixit, sicut Hecuba vixit, & Andromache post coniugum, & natorum mortes. Multum filios multæ fleuerunt matres, sed plus omnibus Marcellum, mater Octauia Augusti soror, quæ talis, tantæque spei filio amisso, qualem nullum Romæ puerum fuisse Virgilius æternæ memoriæ mandare non timuit, omni solatio reiecto, in tenebris, perpetuísque gemitibus æuum egit, pertinaciter infœlix, omnis illi lætior habitus, omne minus triste verbum irritamentum doloris, omnis illi consolator hostis fuit. Postremò ita semper vixit vt ait Seneca, talis per omnem vitam qualis in funere. Multùm fleuit apud Virgilium mater Euryali, multum apud Statium nutrix fleuit Achemori. Illa tamen filio, hæc alumno vixêre superstites. Sic fletam legimus Antigonæ & Argiæ Polynicis mortem, nunc legimus, mirum superfuisse iuuenculas dolori, cui vir fortis superesse nequiuerit. Fleuit Euadnes Capaneum, fleuit Brutum suum Portia, sed illa se in ardentem viri rogum intulit, hęc candentes hauriens carbones, præcluso spiritu, quod pridem animo destinârat, virum ad inferos prosecuta est. Et vt amores illicitos attingamus, qui vt turpiores, sic nonnunquam iustis amoribus fortiores sunt. Fleuit Hero Leandrum, Phædra Hippolytum, neutra tamen gemitu, sed illa præcipitio periit, hæc laqueo. Apud Catullum Lesbia meretricio amore saucia, passerem suum fleuit extinctum, ita tamen vt oculorum aciem perderet, non vt animam exhalaret. Verùm hoc, dicet aliquis, viros aut fratres, aut amicos flebant, noster hic filium: sed quid superioribus dicemus, quæ fleuerunt natos, plurimos, vel vnicos? Quid dicemus illis matribus, quas Romana narrat historia, post insignem cladem, quæ ad Thrasymenum (vt Liuius tradit) cui potius fidem do, & quē Valerius sequitur, vel Cannis (vt Plinio placet) est accepta, nuntiatis filiorum mortibus, attonitas fleuisse? Vtramque autem post aliquantulum tēporis, alteram scilicet mœstam domi sedentem, præter spem conspecto

filio dum in occursum eius assurgit exanimem corruisse, alteram percunctandi studio anxiam, extráque muros vrbis egressam porta Flaminea, qua fusae redibant legiones obuio repente filio, dum irruit in amplexus expirasse. Has nempe non moeror, sed quod multis accidit, gaudium interfecit. Fuisset ille vtinam, ô Paule, falsus etiam rumor tuus, vt te quoque non luctus, sed gaudium peremisset. Nunc quocunque me verto, dolore simul ac pudore confundor. Legi ego permultos amantissimorum, legi matrum gemitus, ac sororum, & coniugum vtriusque sexus, siquidem duos Plantios mirum dictu, vt eiusdem nominis, sic paris amentiae, impatientia doloris, in vxorum mortibus sese gladio transuerberasse compertum est, quod apud Valerium Maximum non excusari tantùm, sed laudari, si de proprio loqui datur, non excuso, nec laudo. Legi mortem Indorum, apud quos cum mortuis viris viuae cremantur vxores, legi singulorum hominum, legi populorum atque exercituum luctus, tam vehementes, vt quidam arma, reliquúmque ornatum, quidam etiam semetipsos ardentium ducum rogis iniecerint Legi quorumdam fidem superuacuam amicorum, nulli vtilem, & damnosam sibi, qui confodi gladij iuxta dilecta cadauera voluerunt, quam dum liceret euadere. Ad summam multos inuenio, quibus causam mortis dolor attulit, cui verò mortem intulerit, nullum nisi fortè pro vero recipimus. Quod de Homero Poëta quidam scripsêre, rémque tam stultam de tam docto viro, de támque diuino ingenio suspicari libet. Quod ipsum tamen, etsi inter vera numerare voluerimus, nec de morte altera dolor fuit, nec repentina vis doloris, sed aegritudo fortè animi, & aegritudinis fortè inedia, ac spiritus indies tristior, qui proculdubiò vitam imminuit: & sicut scriptum est exsiccat ossa, & quem multos paulatim, seu consumpturũ esse, seu consumpsisse nõ negem, in quibus nomẽ habet Macedoniae rex Philippus, morbo animi crudelitatis propriae & insulsę tristi, seráq; poenitentia, Perseíque filij dolis & impietate cõtracto. Nam Paulus Rutilius, quem nuntiata fratris repulsa, in cõsulatus petitione illico expirasse scribit Plinius septimo Na-

turalis historię, vt verum sit, huic sententiæ prę iudicij nihil affert, quòd iã ante morbo impeditus describitur. Itaq; facilè parua doloris accessio, inclinatum animũ strauit, atque integrum, quanquam subitus dolor de alterius morte susceptus, mœroris impetu, & lachrymarum diluuio oppresserit atq; necauerit: hoc est, quod apud auctores idoneos, vel non legi, vel me legisse non memini, eóque insolabilior dolor est meus, quò inusitatior amici miseria, qui sic mori voluit, ac potuit, vt sine exemplo sit mors ipsa mortalibus. Cæterùm, ego quoq; fortassis impetu animi euectus sum longius, quàm debui, da veniam quæso. Amara mihi & dulcedo, & dulcis fuit amaritudo, cum amico iam sepulto, quasi respõsuro ac præsente contendere, iam tandem detersis vtcunque oculis, ad te redeo, atque ita censeo, idem omnibus agendum esse, fortunæ sub imperio degentibus, quod solent, qui sæua prę-muntur tyrannide, tergum patientia durandum. Sic instruendos oculos ac aures, sic formãdos animos, vt quod vident non videant, quod audiunt non audiant, & quod sciunt nesciunt, multa dissimulanda, omnia toleranda: & vt Flaccus ait, amara lento risu temperanda. Horribile cogitatu est, quàm nihil est mali, quod nõ impẽdeat hanc vitam agentibus, cui nisi fallor optandus finis esset, quem tantoperè formidamus. Itaq; sapiens omnia cogitat, omnia præuidet, omnia scit, multo ante quàm fiant examinans, non tantùm quę ventura sunt, sed quę possunt euenire, tanquam quæ euenire possunt, prorsus non euenire non possint, & aduersus possibilia quælibet ceu necessaria, atque ineuitabilia sese armat, peruigilem, intentúmque in excubiis animum tenens, & hæc quidem sapiens. Ego autem, qui tam procul inde absum, vt sapientem si occurrat, ne nosse quidem, venerarique dignè queã, meis hactenus, amicorúmque fortuniis non possibilia fateor, & verisimilia, & inusitata præuidi. Videbam ergo nunc gladios, videbam morbos & venena, & incursus ferarum, & naufragia, & incendia, & laqueos, & ruinas, luctum repentinum mortiferum non videbam. Vnde facie rerum insolita vehementer exterritus, atque deiectus sum, sensim animum attollere, & sparsa arma colligere incipio.

Discam cogitare, & expectare omnia, & si possim nihil valde metuere, imparatum & inermem nostra fortuna reperit, lorica defuerat, vbi furtiua cuspis irrepsit. Quamobrem vulnus hoc sentio, & Paulum meum, nunquam sine suspirio recordabor. Tu vale. Nam de reliquis & presertim ad summam Reip. quod ominer, & quod sperê ne dici quidem opus est. Mediolani XII. Cal Martias.

FRAN. PETRARCHA IOANNI ARETINO, S. Epist. XV.

Iacobi de Carraria per proprium canem dilacerati mortem deflens in hac vita prater virtutem solidi nihil esse, exponit.

ROgas, imò verò debiti mei admones, vt huius iunioris Iacobi de Carraria, viri optimi, optiméque de nobis meriti, qui nuper Pataui dominus dictus est, re autem ipsa, nihil minus dominus magis quàm verissimus Patriæ pater fuit, laudes atque fortunam stylo amplexus, hinc aliquid ad te scribam, amoris scilicet mœrorísque participem. Parua quidem res si superficie tenus metiare, sin altius foderis, operosior fortè quàm putas. Quoniam & panegyricum viri virtus, & mors exigit Tragœdiam, præclarissima duo poëtici laboris opera. Latam igitur atque vberem dicendi materiam affers, sed in qua disertum fieri, rerum potiùs, quàm ingenij laus sit. Quid enim illi defuit, quod claro præconio dignum esset? Quid dolori aut desiderio nostro deest? & natura facundus est dolor, & desiderium vi mutuę relationis accenditur. Pronum opus, & de illo ad te scribere, & è duabus vitandis styli metis alteram nō timere, ne quid nimis, quin etiam plaudente Italia concordi testimonio bonorum, ne obstrepentibus quidem malis, apud amicas aures laudare, quem diligas. Accedit indignæ atque insolitæ genus mortis, & in qua fides, apertissima vulgato illi prouerbio quæreretur, Alienæ dominum fieri quemlibet, vitæ propriæ contemptorem. Tam repentè enim, mediis licet in penetralibus, angustissimæ dom⁹. suæ, ingenti procerum ac nobilium amicorum, custodúmque sui corporis circumuallatus agmine, luce media, die festo, securus & incautus, in obscœni ac desperati. Canis, & ne quid

immani-

immanitatis abforet, eius Canis, quem ad mensam suam, illo die pauerat, assiduéque pascebat, rabiem, cruentósque risus incidit, vt nullo vnquã indigniori spectaculo, oculos hominum pollutos rear. Cùm enim ipsi qui scelus audiuimus, sic affecti sumus, quàm miseri sunt, quibus videre contigit, mitissimum atque alio fine dignissimum illum virum, belluámque infamem ac pestiferam, vno momento temporis, vnóque velut turbine corruentes. Tam præceps enim, inopinúmque malum fuit, támque incredibilis astantium stupor, vt fidissima pectora, pro dilecti capitis salute, mortem æquo animo subitura, nihil illi pereunti tempestiuæ opis afferre potuerint, nisi vt pars expirantem attolleret, pars infandum carnificem, excarnificatum mille vulneribus conficeret. Heu impar sceleri vindicta! Heu nimium par exitus imparium spirituum, & in diuersa pergentium! Quæ cùm ita sint, precibus tamen hactenus obluctor tuis, non laborum fuga, non occupationum mole, quamuis illa sæpe adsit, hæc autem nunquam desit; demum non aliam ob causam, nisi nec semel absumpto doloris impetu, frigescat fortasse animus, qui tanti amici memoria, & indeficienti lachrymarum materia delectatur, exhaurire oculos metuit, quotidiéque sibi aliquid reseruat. O flebilẽ Parcimoniã, quid de illo loquatur? Quid meminerit? Quid deploret? Postremò cui propositum est illius viri faciem ac mores, illius virtutem ac fortunam semper ante oculos habere. & cùm cuncta suspiciat, nihil præter exitum lamentari, quanquam hoc ipsum humani potiùs affectus, quam physici profectus esse non negem: Quotiens enim rationis passibus ad altissimam illam arcem ætheree mentis ascendo. vnde non minus, quàm è summis olympi iugis nubes sub pedibus cernuntur, video qua hinc rerũ caligine, qua errorum nube circunducti, quantis in tenebris ambulem[9], video nihil esse, quo passim gaudem[9], aut dolemus, in hac vita nihil quod tãtopere vel cupimus, vel horrem[9]. Nugas meras quibus angimur, laruas quas pueris senes expauescim[9], aurãq; leuissimã qua deiicimur, aut leuamur, prorsus arũdinea leuitate. Video eã ipsã quæ mortaliũ fœlicitas dicitur, pręter virtutẽ solidi nihil esse, eam

iam beatos facere, quos amplectitur, miserósque quos deserit, & pedibus, vt aiunt, in hanc Stoicorum sententiam eo, ita quidem, vt definitionem illam omnium Philosophorum definitionibus anteponam, quæ virtutem esse ait, rectè sentire de Deo, & rectè inter homines agere. Profectò autem, cui talis animus contigerit, nulli vnquam lamentabilis poterit esse fortuna, sed optanda potius, & inuidiosa fœlicitas. Sed nos imbecille, caducúmque genus homines, imis in vallibus habitantes, graui premente sarcina, ratione quidem ad excelsa conscendimus, ideoque vulgo quàm vero proximiora sentimus ac loquimur. Hinc meæ, multorúmque querimoniæ, de rebus interdum friuolis, interdum nullis, nonnunquam verò fœlicibus, tanta votorum peruersitas, tanta est cæcitas animorum. Sed ecce iam sensim aberrauimus ab incœpto, ad primordium reuertamur. Nondum itaque de oblata mihi materia texere continuum aliquid ausus sum, & causam audiuisti. Cæterùm omnis dies hominis, etiam nunc morbis obnoxio, nouum aliquod de ipsius morte suspirium parit, vt si cuncta literis mandare velim, nil ferè aliud actorus sim, ideóque ventis mandare consultius sit. Interdum tamen & literis, quale est illud, quod cùm nudiustertius digressurus Patauio, ad memoriam reuocassem, rogatum me, vt quod sine precibus debeo, illi charo & amato cineri, aliquod epigramma subscriberem, sed diem de die trahentem neglexisse, dolui mecum & erubui. quicquam omnino tam pio. & tam debito obsequio prælatum Cúmque iam frequentes afforent qui me prosequerentur, & in primis promissa reposcerent, quæ nec negari pudor fineret, nec tempus impleri. Quid facerem? Cœpi impetu, si quo modo possem addere calcar ingenio, profectúsque cum paucis ad sepulchri locum, quasi licentiam, quam à viuente consueueram, ab exanimi percepturus. Intempestiua hora diei erat, obseratísque templi foribus, & meridiantibus æditûis vix admissus. iussis expectare comitibus accessi solus ad tumulum, sedíque iuxta. & non responsuris ossibus verba dedi. Illic ergo pro tempore breuissimam moram trahens, non sine lachrymis, sexdecim Elegos dictaui, ardore

dore magis animi, quàm studio, aut ratione arctius adiutus. tradidíque expectantibus amicis, vix ad exitum perductos atque abij hortatus vt si nihil, aut illis, aut mihi interim melius occurrisset, ex his si quid placeret eligerent, arbitratu suo, incidendum marmori, ad quod poliendum, insignis nunc artificum desudat industria. Vale.

FRAN. PETRARCHA BENEDICTO DE COLVMNA, ROMANO EPIscopo Theatino S. Epist. XVI.

Benedictum de Columna ad proprias sedes incolumem peruenisse gaudet.

NOn aliter literas tuas legi, quàm frontem, oculósq; tuos spectare consueueram, Quid tibi vis dicam pater? Cōscientiam meam testor, semper ego tecum sum, & cupidè tecum versor, quantum sinor, interiecto tanto maris, ac terrarum spatio. Cæterùm illo die, multísque sequentibus, dum alternis epistolam tuam pono & positam resumo, dúmque illam nunc lego, nunc cogito, diu toto animo tecum fui. Tibi sanè in præsens, occupatior etiam, fragiliórque quàm soleo quod & loci mutatio curas auxit, & vires corporeas morbus imminuit, hoc vnū pro responsione reddiderim. Gaudeo mediussidius te ad proprias sedes, incolumem peruenisse, atque fœliciter Thirrenum littus Adriatico permutasse. Gaudeo atque vtinam propediem locum hunc, fœliciore aliquo, ad extremum verò permutatione fœlicissima, terram cœlestibus permutemus. Quid autem vetat angariari? Citò te Thirreni maris oram reuisurum, ac propè Theanum tuum antiquum, vel Parthenopeo littori vel Casillinis collibus præfuturū, Romuleis mallem, ídque magis vel origini tuo debitum, vel virtuti. Sed tam alta spectare prohibet durior nūc Italis fortuna, haud equidem prorsus immeritò: neque enim iniustum est, vt eo diu careant, quò se vltrò per insolentiam, atque impatientiam spoliarunt quanquam quid nos meriti, quos nondum ad vitæ finem sors violenta proiecerat? Sed neque id nouum est Paternæ culpæ supplicium insontem ferre progeniem. Comederunt acerbas vuas patres nostri, &

tecum & orem domes cõdespõcans. Et verum Patres nostri peccauerunt & non sunt, & nos iniquitates eorum portamus. Itaque Tu vbi tuos honores, cuncta videns Rhodani vortex & quae spectac. la bone IESV? sed ne congratulationem quotidianis querelis implicatam, ad te repetor. Gratior quidem tibi & spero dignitatis tuae gradum hunc esse, non terminum. Caeterùm quocunque pedem moueris, animo consequar. & vbicunque fueris tecum ero. Quod si imaginariae praesentiae forsan vera successerit, te pater optime, Barbatúmque meum eximiè gauisuros, tacentibus licet vobis, certè scio. Non opus erat huic rei asserendae, multum tempus impendere, animos vestros noui. Verū id hac tempestate verum fatear, occupationes meas circumspiciens, non tam spero quàm cupio. O si quotiens vellem, possem vt animum, sic corpus hoc in longinqua transmittere, quàm saepe me hospitem haberetis. Sed enim id non antè futurum credimus, quàm corruptibile hoc incorruptionem, & mortale istud naturam induerit immortalem. Vale IIII. Nonas Octobris.

FRAN. PETRARCHA EPISCOPO CAVALLICENSI, S. Epist. XVII.

Amorē Episcopi Cauallicensis erga se nec non humanitatem qua ab illo exceptus fuerat, narrans quae Stuosas amicitias vitupe-rat, déque hominem vetorum, varietate differit.

VTcunque aliis, quorum vel libertate, vel opera fretus eram, quid dicerem inueni, ad te scribere cogitanti, mirum vt saepe verba defuerunt. Quid enim dicerem? Ita mihi persuasum, profundéque insitum est, tuum te negotium agere, dum meum agis, idque non emolumenti consideratione vulgaris, sed alia quadam generosa & ingenua expectatione paucorum, & inprimis tua. Sunt enim qui nihil nisi pecuniario pretio extimare didicerūt, tempus amicitiis impendunt, quo nihil est charius, tamen nil sibi videntur impendisse, nisi forsitan quantum lucri idipsum tempus, intentis ad alia, collaturum fuisse videbitur. Dant consilium dant auxilium, dant animam, dant seipsos, nihil se dedisse putant, forte etiam nec fal-

luntur,

luntur: at si quid pecuniæ impensum est, id extimatione tacita, id importunis verbis exaggerant. Haud immeritò quando eis pecunia pretiosius nihil est, non tempus, non fama, non sanguis, non vita, non anima tantùm imperij inter miseros mortales, auro, argentóque dedit insana cupiditas Tibi verò mens alia, diuersi mores, iudiciúmq; dissimile, non te superficies rerum fallit, solerter introspicis, & suum pretium rebus ponis. Non tu ex me aurum speras, non ambitiosi suffragia, sed animum meum, & obsides animi affectus tenes potius quàm speras: de futuro enim spes est: itaque quod habet, sperat nemo. Tu quidem pleno iure animum meum habes, vbicunque sim, ille tecum est, quem tibi pulchra negotiatione mercatus es. Pietas, fides, humanitas, sapientia, eloquentia, literarum amor, charitas mei, conuersatio suauis, & seruata dignitate familiaritas inaudita. Hæc sunt pretia, quibus me hominem liberum comparasti. Posses, non inficior, contractum communi iure rescindere, vltra dimidiam iusti pretij deceptus, non tamen id vereor, nam & præscripta res est, & multa præterea licet exigua, in se adeò posterioribus chara sunt, vt ea vix vllis pretiis commutasse velint. Innumerabiles sunt affectuum humanorum causæ, & inextimabiles extimantium voluntates, inuestigabilésque respectus. Quidam vasti animi sunt, & appetitum non nisi ab immensa transmittunt. His orbis ipse terrarum carcer videtur, & angustiæ, quod de Alexandro Macedone, ac de Iulio Cæsare lectum est Contrà alij minimis delectantur, magna fastidiunt: his tugurium regia est, ampla domus ergastulum: tales puto fuisse Diogenem, & Amiclam illum Cæsareum, prius quàm vector sibi permaximus obtigisset, multos quoque alios præcipuè & nostris, qui pauperem ducem nacti, omni studio fecerunt sibi familiarissimam paupertatem; in scissuris lapidum atque in desertis speculum habitantes. Sic & in reliquis inuenies. Quidam purpuras mirantur, & quicquid supra humanæ mensuræ modum attollitur, attoniti & hiantes aspiciunt. His regnare fœlicitas prima est: id si fortuna negauerit, at saltem amicitiis regum student, & proximum regno putant esse sub

regibus. Alij omnem potestatem perosi, ferre nequeunt regis occursum, quibusdam melle dulcior vt dixi, alijs amarior felle potentia est, itaque nummos alij, non quasi fallax & fragile mortalis vitæ præsidiũ, sed quasi fratres aut filios amant, sæpe plus etiã quàm se ipsos, quando vt nũmis parcant, fame pereant. Horũ alij contactum ceu contagiosum aliquid euitant, & quasi non sufficiat auaritiam declinasse, nisi in contrarium relabantur, bellum indixêre diuitiis, quas vt valdè optare imbecillis, sic non posse pati eneruati animi, hinc est apud Flaccum extrema illa ridicula, procul à virtute distantia Saberij & Aristippi, quorũ primus multiplici pœna hæredibus apposita, ni paruissent, omnem ingentis patrimonij sui modum sepulchri saxo iussit insculpi, quò scilicet posteritati nota fœlicitas sua esset, quam in diuitiis reponebat. Alter in Lybia seruos, aurum suum, quo grauati tardius incedebât, quasi tormentum iussit abiicere: cùm ille posset rem caducam peritus venerari, & hic in meliores vsus largiendo, quã proiiciendo conuertere. Sunt quibus in rebus omnibus mediocritas placet. Horũ ex numero esse velim, nec verebor pusillanimitatis infamiã, méque illo Senecæ testimonio tuebor: *Magni* (inquit) *animi est magna contemnere, & mediocria malle, quàm nimia.* Sed omissa votorum varietate mortalium, ad nos & rem nostram redeo. Tu quidem, qui industriè amicitias regum colas, insigni nuper experimento, & præclara vsque ad exitum fide monstrasti, adeò vt te, & amicum rex dum vixit, & nũc etiam regnum ipsum Siciliæ patrem vocet. Nec ideò quod in monte stare consueueras, vallem odis, doctus & suspicere, & æqua conspicere, nec tamen ima despicere: omnia enim agere virtus docet, & diuersissima, licet vno rationis imperio administrat. Non sum Rex. Quid refert si apud eum, cuius sum, quãtuluscúmque sim, in pretio sum? Multi deformes coniuges ardentius amauêre. Sæpe quò minor filiorum indoles, eò parentum amor fuit intentior. Scipio Africanus, summus hominum, filium vsqueadeò dissimilem pueri, vt hostis non filius videretur, plusquam paternè dilexisse traditur. Mirum, sed aliquid latet, quòd amorem excitet, amantémque sollicitet. Sine

causa enim nullus amat, quanquam aliis non tam pronis ad amandum, eadem causa tanto impar forsitan sit amori. Certè ego dum me metior, quid de me ipso sentiam, in dubio sum. Fateor enim, ipse mihi non placeo, nec mirari sufficio, quid est hoc, quòd clarissimis viris (neq; enim vereor, ne vanitati detur, si hanc mihi veræ licet immeritæ gloriæ partem sumo) clarissimis, (inquam) omnium qui nostra ætate vixerint, charum fecit. Dum equidē, ipse res meas funditus excutio, nihil inuenio, quod in me bonis amabile suspicer, præter vnum hoc, quod ipse etiam, quisquis sim, bonos semper amaui, & colui, sempérq; ab his amari & volui, & optaui, nec vllas mihi in vita maiores opes posse contingere ratus sum, quam beneuolētiam bonorum atque illustriū virorum, quorū quo minor est copia, maior est gratia, optabilísque conuictus. Sed dū cogito, tot claros viros haud facilè in eo simul omnes errore versari, nescio quomodo de me mihi spes oboritur, ita vt dixi dubius sum, nec scio quid mihi, quid aliis credam, vos videritis, quicunq; me vobis amandum, nullis causis apparētibus delegistis. Verū vt non alios sileam, de te loquar, quē à principio crebrioribus & clarioribus indiciis patrē sensi. Veni Mediolanum (inquit) Augustinus & Ambrosiū episcopum, in optimis notum orbi terræ. Et post pauca: Suscepit me (inquit) paternè ille homo Dei, & peregrinationem meam episcopaliter dilexit. Quid tibi? Quid mihi conuenientius dici potest? Veni ego, non Mediolanum, vnde tibi tamen hæc scribo, quò pridem à te corpore digressus, cùm aliò pergerē, fortuna sic res hominum voluente perueni, sed in ruris tui secreta, non te quidē, quem adhuc nisi facie non noram, sed solitudinem ab infantia dilectam, ac locorum silentiū quærens, veni. Vbi à te, quā paternè susceptus sim, quàm erga me familiariter simul, episcopalitérq; te gesseris, tu fortè vel nihil extimes, vel quod valdè beneficis inesse solet, oblitus sis, ego non si lethei gurgitis fluenta transierim, obliuiscar. Vt me semper vna fronte, vnóque animo videris, vt ad te inde veniētem exceperis, morantem excitaueris, segnem increpueris, & adhortationum stimulis sæpe segnitiem excusseris, sæpe nec stimulisque parentem, vrbe quoque relicta tua me

dignatus sis, consolatusque pręsentia, téque hospitis amor attraxerit, quo locorum tuorum charitas non trahebat. Mé-ne vt cętera prętermittam, illius loci immemorem arbitraris? Dum confectis sarcinulis Italiam repetens, serò ad te pro benedictione ac licentia venissem, ante solis occasum Rauennam transiturus, vt te grauiter ægrotantem quod dolori meo parcés me celaueras, mœstus & admirans reperi. Vt subitò factus alacrior, totos penates læto quidem, sed modesto clamore complesti te sanitati redditum aduentu meo prędicans, vt in egregium fratrem tuum versus, nihil iam de tua salute dubium dixisti, quia quem quærebas inuenisses, vt mox dum ego dolens quidem, & inuitus sed vrgente hora quæ ad transitum rapidissimi fluminis iam tardior videbatur, propositi mei summam, & ad quid venissem, quóue iter intenderem indicassem tibi, repentè tristior & penè intermortuus orasti, vt illam tibi noctem darem. Affuturum enim Deum, & aliquid remedij monstraturum. quod cum pietate tua victus annuissem, meruisti, vt precibus credo tuis, quod scholastica quondam virgo sanctissima, pro Benedicto fratre promeruit, ingens & inopinus imber fuit, cum tota non pluisset æstate. Cæterùm. quia seu laborum vsus, seu naturæ est satis, iam contra ventos & fulgura, & æstus, & pluuias induruisse videor, vni fortè cessurus impedimento: quòd etsi librorum quos mecum ferendos assumpseram, amore tangebar, ac vehementissimè retrahebar, post me tamen illos dimittere non vetabar, & tergum indomitum imbribus dare, obstaculo interim validiore detineor: siquidem nocte illa, priusquam à colloquio tuo in cubiculum transissem, rumor ad nos incredibilis peruenit, te gaudente, me propter miraculum, fictam à te fabulam opinante, iter quod destinaueram, bello fractum, quod nec nostra vnquam, nec auorum nostrorum ætas audiuerat, qui cum mane percrebuisset auctus, substiti, atque his causis in vnum coëuntibus effectum est, vt sicut Olympia soror, noctis spatium fraternæ moræ, sic tu pius Pater moræ meæ propè integrum anni tempus adiungeres. Cui totum, vt quicquid id est vitæ reliquum adiungere potuisses, vt non à

te ma-

te magis corpore quàm mente diuellerer, sed quod tunc nequiuisti, nunc implere satagis, idque non verbo, cui tamen fidei plurimum inesset, sed his quæ mentiri nesciunt, rebus probas. Taces tu quidem, sed pietas tua loquitur, clamant actus, pro quo gratias agens, clamat animus meus, lingua tamen silet, cui paria meritis tuis verba non suppetunt. Id enim agis, non vt vuulgare aliquid, sed vt suprema vitæ gaudia, libertatem, solitudinem, otium, silentium, id agis vt laborum ferias, vt tranquillæ mentis statum, vt te postremò, vt me mihi restituas. In quo te adeò peruigilem probas, quasi rerum immemor maximarum, huic vni omne studium, curámque deuoueris, quod mihi stupens Socrates meus scribit, & stylo efficit, vt penè rebus ipsis interfuerim. Perfecisti iam tandem vt spero, quod sępe tentaueras obluctantémque fortunam pro nisu & indefessa diligentia fatigasti, victa iam nobis cedit & patitur, vt quod semper optaueram prope te viuam, prope te moriar, quod si ita est, vt audio fecisti rem fateor, qua nescio an vlla mihi gratior fieri posset. Cæterum vt principio finem iungam cõscientiam tuam interroga, illa tuum te quoque negotium fecisse fatebitur, supple igitur inscientiã meam, & tu tibi gratias age, quod licet à nemine fieri, ipsi ego patri nostro Moldensi scripserim, sic habeto, efficacissimam, vberrimámque omnium in terris esse gratiam, quam benè conscius animus, in silentio refert sibi. Viue & vale, Mediolani VII. Cal. Maias.

FRAN. PETRARCHA BARBATO SVLMONENSI, S. Epist. XVIII.

Quòd in Barbatus à se ipséque à Barbato ametur, indicans, quam vim ad suadendum amor habeat exponit, ostenditque quænam sit inter amantem & adulatorem differentia, vbi respondet ad Poetarum Regis titulum quem illi Barbatus largiebatur.

INuidisse fortunã nostræ amicitiæ crediderim, ita nos distraxit, ac dissuit, vt vix hoc ipsum commercium literarum, extremum solamen absentiæ sit relictum. Vbi enim vt sit otium, vbi inquam nuntij? Vbi fides? Piget occupatos ac defessos hos digitos, tantum quotidie literarum perdere, tu mihi (nam memini) pontem nescio quem

dudum transcientis animi conceptibus struxisse videba-re,& monstrasse iter quo,siquid omnino familiarium nugarum ad te haberem facile mitterem. Nempe pons ille illico,quoniam terræmotu,seu quibus imbrib' incertum, ita corruit,vt ne vestigium extaret. Itaque iam desperare cœperam posse curas meas illuc,nisi data opera,missis ad te nunciis peruenire,eo nunc libentius,& religiosum hunc virum,& quam sum exultans epistolam tuam vidi: restituit enim spem veteris moris renouandi,quo scilicet absentiæ dispendia leniremus. Quid autē quæso felicius, quid dulcius,quam cū amicis totum si detur tēpus agere vitæ,atq; qui tecum ero,dum me leges,mecū eris dum te legam? Semper mihi fateor pręsens es. Vtor enim priuilegio amantium,& absenté absens audio & video. Potest Apenninus corpora nostra dirimere,animos loca nō dirimunt. Alpes ipsas interfere,& Caucasum,& Athlanta,& Olympum nubibus altiorem,ipsum deniq; Oceanum interpone:congrediemur tamen,cōfabulabimur,colloquemur,vna erimus, simul deambulabimus, simul cœnabimus,simul pernoctabim',nec epistolis ventis allata,qualem Tiberianus hæmispherij huius accolis ab Antipodibus missam fingit , sed præsentibus ac notis affectibus, importunam vincemus absentiam , & licet obstantibus elementis conuenienter , cum quouis vultu assiduè mecum sis. Nec aliquando discesseris,ex quo primum meus esse voluisti,tamē in literis recentior atq; veracior facies tua est, vt intelligendum multis post diebus, pręter solitum , quasi viuas voces audierim , frontémque quodammodo , & ipsos amici oculos aspexerim , ita mihi in paucis verbis eminebas:Totus vt dicerē:ô fœmineum ingeniū!ô bona Carmētis,quę hoc inter absentes remedium meditata es! Fecerat idem apud Chaldæos Abrahā, apud Hebręos Moyses,apud Græcos Cadmus, Ægyptiis & Latinis mulieres argutissimè prouidistis. Isis Ægyptiis , tu nobis. Hoc igitur mihi solatium restitutum gaudeo, tęque longo velut postliminio redeuntem læt' amplector. Nunc ad epistolæ tuæ sensum venio.,vbi si breuior sum quàm velis,veniam dabis. Nam & hospes mea tertiana,& September familiaris hostis meus,sic in me nuper coniu-

rari ere

rati exarserunt, vt si paulò vel illa acrior, vel ille longior fuisset, oppressuri fuerint haud dubiè. A primo enim ad extremum diem, in grabatulo meo vinctum, ac semianimem prope tenuêre. Tempus affuit, & aër blandior, & mensis amicior. Sensim redeo, vnde raptim excidi, tàm nullarum adhuc virium ipsum, vt vix ad scribendum digitos explodam, vix papyrum explicem, vix calamũ versem: ipsum iacet ingenium, proprij carceris concussione, deiectum. Sed assurget indies, & si eum noui, fiet intermissione vegetius. Interea tamen has nugulas, quales excudere potuerunt ægra mẽs, frons pallida, manus imbecillis & tremula, æquo animo vt perleges, & præterea eadem amicitiæ via compellet, quæ te adeò sollicitũ, ardentémque coaceruandis opusculis meis fecit, quæ vt memoras ab innumeris, & mirum in modum patria moribus, ac professione distantibus mendicasti. Stupui audiẽs, sit licet beneuolentiæ antiquæ nouus stupor, vetus hic mos tibi, mihi propter perseuerantiam admiratio quotidie recens est, quod ita nihil affectui tuo detrahebat cuncta consumens ætas. Quibus autem armis, amor, aut quibus viribus vinceretur, quem seu vincere, seu vincire omnia, secretorũ naturæ conscius Poëta confirmat. Quintusdecimus nisi fallor annus agitur, ex quo immortalem amicitiam, & vitæ nostræ finibus non contentam, saluberrimam ad vmbram pastoriæ gregis, syluæque domino, tunc Argo dextras iungente contraximus: ecce idem hodie, mirator es rerum mearum qui tunc fueras. Mirum & prorsus impossibile, si aut em me minus aut te solito plus amares: minus enim seipsos amantibus, & sua cuncta mirantibus alienum omne sordebit, tibi animus idem atque vniformis est, semper itaque tua legens dixi. Magna est Barbati mei humilitas, magnus amor, adamantinas opiniones, & radicatos in silice sensus habet. En vt anxiè quàm magnas opes, non etiam ineptias meas quærit. Vnde hoc? Nimirum non ingenij mei, sed illius indulgentiæ laus est: has illi curas amor, hoc studium hos labores intulit, quiesceret nisi amaret, haud noua quidem res. Inops iudicij omnia amans, lippos amicus oculos laudabit, obliquum nasum,

ecce filiorum dentes obstupescunt. Et iterum: Patres nostri peccauerunt & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus. Itaque Tyberinos honores, cuncta rodens Rhodanus vorax. & quæ spectacula bone IESV? sed ne congratulatoriam epistolam querelis impleam, ad te reuertor. Gratulor quidem tibi, & spero dignitatis tuę gradum hunc esse, non terminum. Cæterùm quocunque pedem moueris, animo consequar, & vbicunque fueris tecum ero. Quod si imaginariæ præsentiæ forsan vera successerit, te pater optime, Barbatúmque meum eximiè gauisuros, tacentibus licet vobis, certè scio. Non opus erat huic rei asserendæ, multum tempus impendere, animos vestros noui. Verũ id hac tempestate verum fatear, occupationes meas circumspiciens, non tam spero quàm cupio. O si quotiens vellem, possem vt animum, sic corpus hoc in longinqua transmittere, quàm sæpe me hospitem haberetis. Sed enim id non antè futurum credimus, quàm corruptibile hoc incorruptionem, & mortale istud naturam induerit immortalem. Vale. IIII. Nonas Octobris.

FRAN. PETRARCHA EPISCOPO CAVALLICENSI, S. Epist. XVII.

Amorẽ Episcopi Cauallicensis erga se nec non humanitatem qua ab illo exceptus fuerat, narrans quæstuosas amicitias vitu perat, déque hominem votorum, varietate disserit.

VTcunque aliis, quorum vel libertate, vel opera fretus eram, quid dicerem inueni, ad te scribere cogitanti, mirum vt sæpe verba defuerunt. Quid enim dicerem? Ita mihi persuasum, profundéque infixum est, tuum te negotium agere, dum meum agis, idque non emolumenti consideratione vulgaris, sed alia quadam generosa & ingenua expectatione paucorum, & inprimis tua. Sunt enim qui nihil nisi pecuniario pretio extimare didicerũt, tempus amicitiis impendunt, quo nihil est charius, tamen nil sibi videntur impendisse, nisi forsitan quantum lucri idipsum tempus, intentis ad alia, collaturum fuisse videbitur. Dant consilium dant auxilium, dant animam, dant seipsos, nihil se dedisse putant, forte etiam nec fal-

luntur: at si quid pecuniæ impensum est, id extimatione tacita, id importunis verbis exaggerant. Haud immeritò quando eis pecunia pretiosius nihil est, non tempus, non fama, non sanguis, non vita, non anima tantùm imperij inter miseros mortales, auro, argentóque dedit insana cupiditas Tibi verò mens alia, diuersi mores, iudiciúmq; dissimile, non te superficies rerum fallit, solerter introspicis, & suum pretium rebus ponis. Non tu ex me aurum speras, non ambitiosi suffragia, sed animum meum, & obsides animi affectus tenes potius quàm speras: de futuro enim spes est: itaque quod habet, sperat nemo. Tu quidem pleno iure animum meum habes, vbicunque sim, ille tecum est, quem tibi pulchra negotiatione mercatus es. Pietas, fides, humanitas, sapientia, eloquentia, literarum amor, charitas mei, conuersatio suauis, & seruata dignitate familiaritas inaudita. Hæc sunt pretia, quibus me hominem liberum comparasti. Posses, non inficior, contractum communi iure rescindere, vltra dimidiam iusti pretij deceptus, non tamen id vereor, nam & præscripta res est, & multa præterea licet exigua, in se adeò posterioribus chara sunt, vt ea vix vllis pretiis commutasse velint. Innumerabiles sunt affectuum humanorum causæ, & inextimabiles extimantium voluntates, inuestigabilésque respectus. Quidam vasti animi sunt, & appetitum non nisi ab immensa transmittunt. His orbis ipse terrarum carcer videtur, & angustiæ, quod de Alexandro Macedone, ac de Iulio Cæsare lectum est Contrà alij minimis delectantur, magna fastidiunt: his tugurium regia est, ampla domus ergastulum: tales puto fuisse Diogenem, & Amiclam illum Cæsareum, prius quàm vector sibi permaximus obtigisset, multos quoque alios præcipuè & nostris, qui pauperem ducem nacti, omni studio fecerunt sibi familiarissimam paupertatem, in scissuris lapidum atque in desertis speculum habitantes. Sic & in reliquis inuenies. Quidam purpuras mirantur, & quicquid supra humanæ mensuræ modum attollitur, attoniti & hiantes aspiciunt. His regnare fœlicitas prima est: id si fortuna negauerit, at saltem amicitiis regum student, & proximum regno putant esse sub

regibus. Alij omnem potestatem perosi, ferre nequeunt regis occursum, quibusdam melle dulcior vt dixi, aliis amarior felle pecunia est, itaque nūmos alij, non quasi fallax, & fragile mortalis vitæ præsidiū, sed quasi fratres aut filios amant, sæpe plus etiā quàm se ipsos, quando vt nūmis parcant, fame pereant. Horū alij contactum ceu contagiosum aliquid euitant, & quasi non sufficiat auaritiam declinasse, nisi in contrarium relabantur, bellum indixêre diuitiis, quas vt valdè optare imbecillis, sic non posse pati eneruati animi, hinc est apud Flaccum extrema illa ridicula, procul à virtute distantia Saberij & Aristippi, quorū primus multiplici pœna hæredibus apposita, ni paruissent, omnem ingentis patrimonij sui modum sepulchri saxo iussit insculpi. quò scilicet posteritati nota fœlicitas sua esset, quam in diuitiis reponebat. Alter in *Lybia* seruos, aurum suum, quo grauati tardius incedebãt, quasi cœnum iussit abiicere: cùm ille posset rem caducam peritus venerari, & hic in meliores vsus largiendo, quã proiiciendo conuertere. Sunt quibus in rebus omnibus mediocritas placet. Horū ex numero esse velim, nec verebor pusillanimitatis infamiã, méque illo Senecæ testimonio tuebor: *Magni* (inquit) *animi est magna contemnere, & mediocria malle, quàm nimia.* Sed omissa votorum varietate mortalium, ad nos & rem nostram redeo. Tu quidem, quã industriè amicitias regum colas, insigni nuper experimento, & præclara vsque ad exitum fide monstrasti, adeò vt te, & amicum rex dum vixit, & nūc etiam regnum ipsum Siciliæ patrem vocet. Nec ideò quod in monte stare consueueras, vallem odis, doctus & suspicere, & æqua conspicere, nec tamen ima despicere: omnia enim agere virtus docet, & diuersissima, licet vno rationis imperio administrat. Non sum Rex. Quid refert si apud eum, cuius sum, qualiscúmque sim, in pretio sum? Multi deformes coniuges ardentius amauêre. Sæpe quò minor filiorum indoles, eò parentum amor fuit intentior. Scipio Africanus, summus hominum, filium vsqueadeò dissimilem pueri, vt hostis non filius videretur, plusquam paternè dilexisse traditur. Mirum, sed aliquid latet, quòd amorem excitet, amantémque sollicitet. Sine

causa

causa enim nullus amat, quanquam aliis non tam pronis ad amandum, eadem causa tanto impar forsitan sit amori. Certè ego dum me metior, quid de me ipso sentiam, in dubio sum. Fateor enim, ipse mihi non placeo, nec mirari sufficio, quid est hoc, quòd clarissimis viris (neq; enim vereor, ne vanitati detur, si hanc mihi veræ licet immeritæ gloriæ partem sumo) clarissimis, (inquam) omnium qui nostra ætate vixerint, charum fecit. Dum equidē, ipse res meas funditus excutio, nihil inuenio, quod in me bonis amabile suspicer, præter vnum hoc, quod ipse etiam, quisquis sim, bonos semper amaui, & colui, sempérq; ab his amari & volui, & optaui, nec vllas mihi in vita maiores opes posse contingere ratus sum, quam beneuolētiam bonorum atque illustriū virorum, quorū quo minor est copia, maior est gratia, optabilísque conuictus. Sed dū cogito, tot claros viros haud facilè in eo simul omnes errore versari, nescio quomodo de me mihi spes oboritur, ita vt dixi dubius sum, nec scio quid mihi, quid aliis credam, vos videritis, quicunq; me vobis amandum, nullis causis apparētibus delegistis. Verū vt non alios sileam, de te loquar, quē à principio crebrioribus & clarioribus indiciis patrē sensi. Veni Mediolanum (inquit) Augustinus & Ambrosiū episcopum, in optimis notum orbi terræ. Et post pauca: Suscepit me (inquit) paternè ille homo Dei, & peregrinationem meam episcopaliter dilexit. Quid tibi? Quid mihi conuenientius dici potest? Veni ego, non Mediolanum, vnde tibi tamen hæc scribo, quò pridem à te corpore digressus, cùm aliò pergerē, fortuna sic res hominum voluente perueni, sed in ruris tui secreta, non te quidē, quem adhuc nisi facie non noram, sed solitudinem ab infantia dilectam, ac locorum silentiū quærens, veni. Vbi à te, quā paternè susceptus sim, quàm erga me familiariter simul, episcopaliterq; te gesseris, tu fortè vel nihil extimes, vel quod valdè beneficis inesse solet, oblitus sis, ego non si lethei gurgitis fluenta transierim, obliuiscar. Vt me semper vna fronte, vnóque animo videris, vt ad te inde veniētem exceperis, morantem excitaueris, segnem increpueris, & adhortationum stimulis sæpe segnitiem excusseris, sæpe nec stimulisque parentem, vrbe quoque relicta tua me

dignatus sis, consolatúsque praesentia, téque hospitis amor attraxerit, quò locorum tuorum charitas non traheba. Mé-ne vt caetera praetermittam, illius loci immemorem arbitraris? Dum coactis sarcinulis Italiam repetens, serò ad te pro benedictione ac licentia venissem, ante solis occasum Rauennam transiturus, vt te grauiter aegrotantem, quod dolori meo parcés me celaueras, moestus & admirans reperi. Vt subitò factus alacrior, totos penates laeto quidem, sed modesto clamore complesti te sanitati redditum aduetu meo predicans, vt in egregium fratrem tuum versus, nihil iam de tua salute dubium dixisti, quia quem querebas inuenisses, vt mox dum ego dolens quidem, & inuitus sed vrgente hora, quae ad transitum rapidissimi fluminis iam tardior videbatur, propositi mei summam, & ad quid venissem, quóue iter intenderem indicassem tibi, repentè tristior, & penè intermortuus orasti, vt illam tibi noctem darem. Affuturum enim Deum, & aliquid remedij monstraturum, quod cum pietate tua victus annuissem, meruisti, vt precibus credo tuis, quod scholastica quondam virgo sanctissima, pro Benedicto fratre promeruit, ingens & inopinus imber fuit, cum tota non pluisset aestate. Caeterùm, quia seu laborum vsus, seu naturae est satis, iam contra ventos & fulgura, & aestus, & pluuias induruisse videor, vni fortè cessurus impedimento: quòd etsi librorum quos mecum ferendos assumpseram, amore tangebar, ac vehementissimè retrahebar, post me tamen illos dimittere non vetabar, & tergum indomitum imbribus dare, obstaculo interim validiore detineor: siquidem nocte illa, priusquam à colloquio tuo in cubiculum transissem, rumor ad nos incredibilis peruenit, te gaudente, me propter miraculum, fictam à te fabulam opinante, iter quod destinaueram, bello fractum, quod nec nostra vnquam, nec auorum nostrorum aetas audiuerat, qui cum mane percrebuisset auctus, substiti, atque his causis in vnum coëuntibus effectum est, vt sicut Olympia soror, noctis spatium fraternae morae, sic tu pius Pater morae meae propè integrum anni tempus adiungeres. Cui totum, vt quicquid id est vitae reliquum adiungere potuisses, vt non à

te ma-

te magis corpore quàm mente diuellerer, sed quod tunc nequiuisti, nunc implere satagis, idque non verbo, cui tamen fidei plurimum inesset, sed his quæ mentiri nesciunt, rebus probas. Taces tu quidem, sed pietas tua loquitur, clamant actus, pro quo gratias agens, clamat animus meus, lingua tamen silet, cui paria meritis tuis verba non suppetunt. Id enim agis, non vt vuulgare aliquid, sed vt suprema vitæ gaudia, libertatem, solitudinem, otium, silentium, id agis vt laborum ferias, vt tranquillæ mentis statum, vt te postremò, vt me mihi restituas. In quo te adeò peruigilem probas, quasi rerum immemor maximarum, huic vni omne studium, curámque deuoueris, quod mihi stupens Socrates meus scribit, & stylo efficit, vt penè rebus ipsis interfuerim. Perfecisti iam tandem vt spero, quod sæpe tentaueras obluctantémque fortunam prò nisu & indefessa diligentia fatigasti, victa iam nobis cedit & patitur, vt quod semper optaueram prope te viuam, prope te moriar, quod si ita est, vt audio fecisti rem fateor, qua nescio an vlla mihi gratior fieri posset. Cæterum vt principio finem iungam cōscientiam tuam interroga, illa tuum te quoque negotium fecisse fatebitur, supple igitur inscientiā meam, & tu tibi gratias age, quod licet à nemine fieri, ipsi ego patri nostro Moldensi scripserim, sic habeto, efficacissimam, vberrimámque omnium in terris esse gratiam, quam benè conscius animus, in silentio refert sibi. Viue & vale, Mediolani VII. Cal. Maias.

FRAN. PETRARCHA BARBATO SVLMONENSI, S. Epist. XVIII.

Quàm Barbatus à se ipséque à Barbato ametur, indicans, quam vim ad suadendum amor habeat exponit, ostenditque quænam sit inter amantem & adulatorem differentia, vbi respondet ad Poematum Regis titulum quem illi Barbatus largiebatur.

INuidisse fortunā nostræ amicitiæ crediderim, ita nos distraxit, ac dissuit, vt vix hoc ipsum commercium literarum, extremum solamen absentiæ sit relictum. Vbi enim vt sit ocium, vbi inquam nuntij? Vbi fides? Piget occupatos ac defessos hos digitos, tantum quotidie literarum perdere, tu mihi (nam memini) pontem nescio quem

dudum traiiciendis animi conceptibus struxisse videbare,& monstrasse iter quo,siquid omnino familiarium nugarum ad te haberem,facilè mitterem. Nempe pons ille illico,quonam terræmotu,seu quibus imbrib9 incertum, ita corruit,vt ne vestigium extaret. Itaque iam desperare cœperam posse curas meas illuc,nisi data opera,missis ad te nuntiis peruenire,eò nunc libentius,& religiosũ hunc virum,& quam sinu extulit epistolam tuam vidit. restituit enim spem vetusti moris renouandi,quo scilicet absentiæ dispendia leniremus. Quid autẽ quæso fœlicius, quid dulcius,quàm cũ amicis totum si detur tẽpus agere vitæ,atq; qui tecum ero,dum me leges,mecũ eris dum te legam? Semper mihi fateor pręsens es. Vtor enim priuilegio amantium,& absentẽ absens audio & video. Potest Apenninus corpora nostra dirimere,animos loca nõ dirimunt. Alpes ipsas interſere,& Caucasum,& Athlanta,& Olympum nubibus altiorem,ipsum deniq; Oceanum interpone:congredimur tamen,cõfabulabimur,colloquemur,vnà erimus, simul deambulabimus, simul cœnabimus,simul pernoctabim9,nec epistolis ventis allata,qualem Tiberianus hæmisphærij huius accolis ab Antipodibus missam fingit, sed præsentibus ac notis affectibus, importunam vincemus absentiam, & licet obstantibus elementis conuenienter, cum quouis vultu assiduè mecum sis. Nec aliquando discesseris,ex quo primum meus esse voluisti,tamẽ in literis recentior atq; veracior facies tua est,vt intelligendum multis post diebus,pręter solitum, quasi viuas voces audierim, frontémque quodammodo, & ipsos amici oculos aspexerim, ita mihi in paucis verbis eminebas: Totus vt dicerẽ:ô fœmineum ingeniũ! ô bona Carmẽtis,quę hoc inter absentes remedium meditata es! Fecerat idem apud Chaldæos Abrahã, apud Hebręos Moyses,apud Græcos Cadmus, Ægyptiis & Latinis mulieres argutissimè prouidistis. Isis Ægyptiis, tu nobis. Hoc igitur mihi solatium restitutum gaudeo, téque longo velut postliminio redeuntem læt9 amplector. Nunc ad epistolæ tuæ sensum venio, vbi si breuior sum quàm velis,veniam dabis. Nam & hospes mea tertiana,& September familiaris hostis meus,sic in me nuper coniurati er-

rati exarserunt,vt si paulò vel illa acrior,vel ille longior fuisset,oppressuri fuerint haud dubiè. A primo enim ad extremum diem,in grabatulo meo vinctum,ac semianimem prope tenuêre. Tempus affuit, & aër blandior, & mensis amicior. Sensim redeo, vnde raptim excidi;támnullarum adhuc virium ipsum, vt vix ad scribendum digitos explodam,vix papyrum explicem,vix calamũ versem:ipsum iacet ingenium, proprij carceris concussione deiectum.Sed assurget indies, & si eum noui,fiet intermissione vegetius.Interea tamen has nerulas,quales excudere potuerunt ægra mẽs,frons pallida,manus imbecillis & tremula,æquo animo vt perlegas,& præterea eadem amicitiæ via compellet,quæ te adeò sollicitũ,ardentémque coaceruandis opusculis meis fecit, quæ,vt memoras ab innumeris, & mirum in modum patria moribus,ac professione distantibus mendicasti.Stupui audiẽs, sit licet beneuolentiæ antiquæ nouus stupor , vetus hic mos tibi,mihi propter perseuerantiam admiratio quotidie recens est,quod ita nihil affectui tuo detrahebat cuncta consumens ætas.Quibus autem armis,amor,aut quibus viribus vinceretur ,quem seu vincere,seu vincire omnia,secretorũ naturæ conscius Poëta confirmat.Quintusdecimus nisi fallor annus agitur,ex quo immortalem amicitiam, & vitæ nostræ finibus non contentam , saluberrimam ad vmbram pastoriæ gregis , syluæque domino , tunc Argo dextras iungente contraximus : ecce idem hodie , mirator es rerum mearum qui tunc fueras. Mirum & prorsus impossibile, si autem me minus aut te solito plus amares ; minus enim seipsos amantibus , & sua cuncta mirantibus alienum omne sordebit , tibi animus idem atque vniformis est , semper itaque tua legens dixi.Magna est Barbati mei humilitas, magnus amor,adamantinas opiniones,& radicatos in silice sensus habet.En vt anxiè quàm magnas opes,non etiam ineptias meas quærit. Vnde hoc?Nimirum non ingenij mei, sed illius indulgentiæ laus est:has illi curas amor, hoc studium hos labores intulit, quiesceret nisi amaret , haud noua quidem res. Inops iudicij omnia amans,lippos amicus oculos laudabit,obliquum nasum,

nodosos digitos, mœstam frontem, genas aridas, squallidam comam. Quid enim inter adulantem & amantem interest, nisi quod ille fallit, hic fallitur? Ille persuadere vult aliis, hic iam persuasit sibi. Vidi ego Barbatæ virum optime. & quem strumosæ humerus, quem claudicantis incessus, & quem blesæ confabulatio delectaret. Nouissimum hoc & tibi accidit. Quid enim flagitas? Quid quæris? Facessat ad horam amor, non ames parcius, sed incorruptius iudices. Videbis quoque balbutientis amici sermunculos, tanto studio optare, quanto nisi amor esset abiiceres. Sit tamen ita (Errori enim tuo gratulor, nam & ex amore oritur radice pulcherrima, & plusculum fortè quàm suspiceris nomini tuo confert, dum integrè iudicas hæsitare.) Quis scit an & interdum de rebus meis mutare sententiam cogit testimonium, talis viri? Vt (inquam) ita sit, profectò literularum mearum, quæ tibi sine vllo discrimine placent omnes, partem exiguam, tanta sollicitudine congregasti, cum tibi interim voti tui conscius, multa parauerim. Tibi equidem, quodcunque mihi est epistolare carmen scripsi, quod ne pridem acceperis, non mea, sed scriptorum culpa est, quorum semper insidiis ac fraudibus patui, homo incautus, intentúsque aliis, studiorum meorum iactura non vltima. Ita sæpenumerò, méque, meásque res, reculas dicere debebam, neq. iis pactis auxiliis retardarunt, & ad proprios cuncta digitulos redegere, quæ mihi vel non attingendorum, vel deserendorum plurium causa fuit. Hactenus hæc. Nam operosioris vigiliæ labores nec promisisse tibi velim, nec negasse: Primùm ideò quia sentio fidem meam, hac in parte suspectam, eo quòd dudum promissa distulerim, secundùm quod nec viri boni, nec amici, arbitror aliter, quàm in animo habeas loqui. vnum hoc dissimulasse noluerim, quoniam de stupendis amoris affectibus sermo susceptus est nobis, mirari me, quid hic iterum rei est, quod mihi tam facilè Poetarum Regis titulum, de inexhausto charitatis & indulgentiæ tuæ fonte largiris, cuius rei sanctum hunc, atque deuotum hominem testem dicis, qui id mihi cognomen his in locis esse narrauerit. Idque

quàm

quàm cupidè ac scienter arripueris, epistolæ tuæ superscriptio,& finis indicant,quasi verò non cuilibet idé narranti,pari facilitate crediturus fueris. Enimuerò primum tibi amice, quem passionibus expeditum ,in omni vero iudicio nulli secundum facio, meis in rebus quãtum fidei sit,si ad teipsum redis intelliges. Deinde hunc testem, de re sibi incognita locutum scire debueras, & scires, nisi persuasor potentissimus amor obstreperet. Non equidem tantùm prona, sed præceps ad delectationem est humana credulitas, cùm ad contrarium pigra sit. Cernis vt amari fugitans, quocunque tam dulcis aliquis rumor vocat, vento velocior fertur. Sed, oro te, nón-ne huius testimonium audienti,primum illud occurrit, vt piscatorem de aquis interrogandi, de nemoribus venatorem, pastorem de gregibus,de ventis nautam,de bobus agricolam, sic,& de armis militem, & de bellis ducem, sic religiosum denique de sacris,Poetam de Musis, Oratorem de caussis, de naturis rerum & vitæ ratione Philosophum. Extra suos hunc terminos eduxisti, dum coegisti vt de Poetica sententiam ferret. Sed dices Nihil eii de proprio, vulgi iudicium referebat. Sentis vero deutentim ad corruptissimi iudicis tribunal accessimus, iam mallem de proprio loqueretur. Cogita Barbate acriter, quantò priscis vatibus nostris aut fœlicior, aut certè facilior ætas fuit, prius dico,quam Pierides ex Græcia in Italiam commigrarent, ea scilicet tempestate,quando vt Sulmonensis tuus ait:

Qui bene pugnabat,Romanam nouerat artem,
Mittere qui poterat tela disertus erat.

Haud magni negotij tunc fuit,esse Poetarum regem. Vt sileam reliquos quantus Lucilius est habitus, quem tu in aliquo reprehendisse prope sacrilegium videretur; cũ in multis impunè reprehẽdatur Maro. Iuuãtus aliis,quãtusque sibimet visus est Næuius, quantus Plautus,& qui fuerint scimus ars exigua,mediocre ingenium, vitæ fama, magnus populorum fauor,rerum suarum extimatio immensa. Lege epigrammata sepulchrorum ab his edita, satis superba fateberis, & si ab alio dicta essent, & si alter horum Homerus , alter Virgilius fuisset : Blanda (inquam) ætas & fauorabilis Poetis, quæ de tã paruis

radicibus, tam magnificas opiniones eliceret: nobis durior nostra est ætas, à quibus exactiora omnia requiruntur, limatiori sæculo successimus. Alta sapere non sinimur, cultioribus ingeniis circumsepti sumus, quorum admiratio insolentiam nostram frenat. Caue igitur, ne me amando prægraues, obruásque non mei mole cognominis. Ingenuè quidem regis Poëtarum appellationem respuo, vbi enim regnum, hoc exerceam quæso? Quos mihi statuis regni fines? Occupata vtraque sedes est: cognoménque istud apud Graios senex ille Meoni', apud nos Venetus pastor tenet. Vbi sedere quóue ire iubes, vt sim vatum rex, nisi fortè in solitudinē meam trãsalpinam, atque ad fontem Sorgiæ me restringis? Illic iocari enim tecum dulce est, nescio an rei, sed certè cum Nasone tuo gloriari solitus sum, forsan audacter, vt ipse ait. Sed sicut in suo Poëtico exilio Istrum ille, sic in meo peregrino otio Sorgiam ego:

Ingenium nullum maius habere meo.

Ludo equidem amice, vt vel sic intelligas, omnibus me modis id agere, ne titulo præmar importabili, néue non mihi debitum regnum petens, læsæ reus inueniar Maiestatis. Reliquum est, vt noris, me indies magis ac magis congressus veros atque complexus tuos optare, quod vtinam vel semel mihi contingat antequam moriar. Et vale Barbate fidissime, nostri memor. Mediolani IIII. Idus Octobris, postridiè quàm literas tuas acceperam.

FRAN. PETRARCHA AMICO S. Epist. XIX.

Reddit rationē cur Senecam & Ciceronem notare non sit veritus.

Miratur ille vir doctus, sed docendus adhuc, quid est, quòd in epistola quadã nuper Senecã ac Tullium, quódque Christiano ingenio maius est, ipsũ quoq; Hieronymum notare nõ sim veritus. Vltimum nego, de reliquis rationem cum illo communicãdam accipe. Nemo ferè est, cuius aliqua non reprehendantur, non tam subtile, quàm laboriosum fuerit, rem exemplis asserere. Verte Philosophorum libros, ac sanctorum quorundam, quorum celebrior fama est, multa passim apud illos

vel

vel ab ipsis, vel ab aliis retractata, seu certè retractãda cõperias. Notaui ego aliquot Senecæ sententias, sed vt arbitror non iniustè, notaui aliquas, crede mihi, plures poteram, & tamen Senecam ipsum miror ac veneror. Notaui Ciceronis mei vnicam, verùm id non sic accipi velim, vt quasi alienæ famæ delatoris titulo gloriabundus, insultem, sed vt ex vnius hominis, duabus inuicem contrariis sententiis, perferam veriorem, idque non arroganter, vt qui me non modò non inferre maioribus, sed nec paribus conferre, nec minoribus præferre consueuerim, nec iniuriosè quidem, vt, cui, fateor, Cicerone ipso, scriptorum nullus acceptior sit. Illam itaque sententiarum repugnantiam, quamuis ab ineunte ætate perpenderem, tamen verecundius asserebam, donec ciuitatem Dei Augustino duce ingressus, animaduerti opinionem meam illius auctoritate firmari. Leges illum Augustini locum. Est autem magni operis Liber primus haud procul à fine. Videbis illic Catonis voluntariam mortem improbari, quam Seneca ante omnia viri illius egregia facta collaudat. Cicero autem excusat, & licet aliquanto modestius, non negem excusare culpam, quàm laudare, tamen si Augustini rationes dicto conferas, intelliges nec metu imminentis mali, nec præsentis odio, nec spe vitæ melioris arcessendam mortem, nec iniussu eius à quo corpus istud accepimus emigrandum. Nec Catonis in morte ne dicam laudem, sed excusationem vllam esse, & quamuis pluriformiter, vtrinque suppresso Ciceronis nomine, coniicies tamen Ciceronicam Catonis excusationem eiusdem Ciceronis sententia mei ore damnari. De me autem sic habeto breuiter. Mihi quidem nomina virorum illustrium si dici fas est, totidem prope numinum loco sunt, & tamen in his ipsis, cùm multa delectent, veritas primæ reuerentiæ causa est, quæ vbi cultoribus etiam suis neglecta videbitur. Quis enim tantus amicus veri est, qui non interdum à veritate deuiet, seu illa segnities sit, seu rerum obscuritas, seu ingenij hebetudo? Tum proculdubiò rem solidam, vmbris inanib⁹, & veritatem ipsam, quantorũlibet nominũ gloriæ anteponã, nec metuã hoc meo iudicio, vel hostes vel amicos

veritatis offendere, quod illos oderim, hos certè sciã mecum esse sensuros, atque illam semper propriæ sententiæ prælaturos. Denique sic animum institui, vt cuius benedicta laudare ausim, eiusdem errores improbare non verear, quamuis illud volens, faciam hoc inuitus: Si enim verè fit, vtrumque permissum, alioquin & alterum honestius, vtrobique par mendacium. Vale, & iterum Vale.

FRAN. PETRARCHA GERARDO FRATRI GERMANO SVO, S. Epist. XX.

Fratrem Gerardum laudat, quòd mũdo ætatis medio flore spreto, Ecclesiasticam habitum induerit, suique conditionem deplorat, quod visco consuetudinis delinitus eam vitam agere nequeat, conferénsque cum opibus paupertatem, cum negotiis otium, cum hostibus fratres, cum litibus silentium, cum turbis solitudinem, cum comessationibus ieiunia, cum terrenis periculis cælestem pacem, cum seruitute diaboli amicitiam Dei, cum morte perpetua sempiternam vitam, cõcludit illum esse beatissimũ, hortatúrque ad perseuerãtiam

SVbit animum, lucæ mihi charior Germane lõgæuo silentio finẽ ponere, quòd si forsan obliuiosi animi iudicium arbitraris, falleris. Nõ prius te quàm meipsum obliuiscar: timui hactenus tyrocinij tui quietẽ interrumpere, fugere te strepitum, amare silentiũ sciebam: Me verò si semel inciperẽ, haud facilè desiturum. Is amor tui est, ea rerum tuarũ admiratio. E duobus igitur extremis, non quidem mihi gratius, sed tibi tranquillius eligebã. Nunc vt verum fatear, non tam tibi quàm mihi cõsulturus, ad scribendũ venio: quid enim tu sermũculis meis eges, qui cœleste iter ingressus, angelicis assiduè colloquiis recrearis? Fœlix animi, fortunatúsq; propositi, qui mundũ tam maximè blandientẽ, medio ætatis flore, sic spernere potuisti, intérq; Syrenum voces obstructa tutus aure trãsire. Dum ego te alloquor, ipse res meas ago, si fortè vel sic sacro ardori tuo, admodũ torpens, & lõgo gelatum situ pectusculum meũ incalesceret. Tibi autẽ clamor meus, vt minimè vtilis sic minimè importun⁹ esse debebit. Neque enim Tyro vt olim, sed CHRISTI iam miles es, lõga militia probatus. Gatias illi, qui tantò honore dignat⁹, &

vt sæpe

vt sæpè alias, ex agmine medio aduersariũ partium insignem transfugã; ad sua signa conuertit. Prius ergo verebar intẽpestiuas tibi voces ingerere, deinceps securus te securũ, ipse compello. Incipientib⁹ formidolosa sunt omnia. Quę timuimus pueri, adolescẽtes risimus. Militẽ inexpertum strepit⁹ omnis exanimat, duratus bellis nullo fragore cõcutitur, rudis nauta, primo ventorũ murmure terretur: gubernator antiquus, qui totiẽs fatiscentem & exarmatã puppim perduxit in portũ, ex alto despicit iratum mare. Spero autẽ in illũ, qui te ab vtero matris tuæ, ad hoc laboriosũ certè, sed gloriosum iter assumpsit, vt per varias difficultates tutus in patriam peruenires, quod nulla te amplius rerum mouebit, non luctus, non curæ, non morbi, non senectus, non metus, non fames, non egestas, terribiles visu formæ, lethúmque, labórque:

---- postremo non ingens ianitor Orci,
Ossa super recubans antro semesa cruento,

Et quicquid illud ad exterrenda corda mortaliũ, Poëtarum ingenijs cogitatum est, neque plus constantiæ tribuerit aduersus omne terrificũ, Herculi suo Iupiter adulterio pater, quàm tibi natus Virgine, pater omniũ æternus, qui rectas in se sperantium respicit, & adiuuat voluntates. Quæ cùm ita sint, sine meas iam tuorum voces audire & siquid vacui temporis inter occupationes optimas affulserit, & respondere breue aliquid potes. Patere autem me secularibus tecum vti testimonijs, quibus non solùm Ambrosius & Augustinus noster, ac Hieronymus abundãt, sed & Apostolus vti interdum non erubuit. Neque cellulæ tuæ, aditu prohibeas, quæ & ore meo digna sunt, & tuis auribus nõ indigna. Pythagoras peracuti vir ingenij fuit, sed eius acumen longè relicta veritate sæpe vsq; ad aniles ineptias penetrauit. Hinc illa ridicula, & per multa varia corpora volutatio animarũ & renascens de bellatore Philosoph⁹, Iliaci belli testis: Euphorbi⁹ deniq; famosa *μετεμψύχωσις* quam miror sequi vel Platonẽ, vel Aristotelem potuisse, sed magis miror Origenẽ, qui eandem complecti visus insaniam, ab ipso miratore suo, & laudatore Hieronymo, & à reliquis veri sectatoribus meruit in finem damnari: Verum ne Pythagoræ occursus me

domare congeriem, vir ille cuiuscunque ingenij, morum il-
la ætate grauissimorum fuit, clarissimæque modestiæ, vn
de & viuenti summus honor, impensus, & ipse post mor-
tem Deorum consilio ascriptus est, & domus eius apud
posteros pro templo habita. Huius ergo prima institutio
quænam fuit? Nempe vt discipuli sui quinquennio sile-
rent. Præclarè: stultum est enim prius velle loqui quàm di-
scere. Cæterùm amonendum ori non dico custodiam,
quæ amouenda nunquam est, sed repagulum quinque
tempus annorum sufficiens extimauit. Tu verò si ritè
computo, in seruitio IESV CHRISTI: & in schola e-
ius iam septimum annum siles, tempus est, vt loqui
posse aliquid incipias, vel si præ omnibus silentium dulce
est, mihi vel in silentio respondeas. Meministi frater qua-
lis olim rerum nostrarum status erat, & animos nostros
quam laboriosa dulcedo, & quantis amaritudinibus con-
spersa torquebat. Meministi puto vt nunc & libertati
tuæ congaudeas, & fraternæ condoleas seruituti, quę me
adhuc solitis compedibus arctatum tenens, iam cultrum
lateri, iam laqueum collo parat, peregissetque iampri-
dem ni liberatoris dextera, quæ te seruitio exemit, me
ab interitu defendisset. Orabis frater, vt me quoque iam
tandem libertati restituat, & vno ventre progressos, pari
fine fœlicitet; & si præire debueram, non pudebit sequi.
Meministi (inquam) quis ille, & quàm superuacuus ex-
quisitissimæ vestis nitor; qui me hactenus fateor, sed in
dies solito minus attonitum habet; quod illud induen-
di, exuendique fastidium, & mane ac vesperi repetitus la-
bor, quis ille metus, ne dato ordine capillus efflueret, ne
complicitos comarum globos; leuis aura confunderet,
quæ illa contrà, retrò ve venientium fuga, quamdiù pe-
dum, ne quid adulterinæ sordis redolens, ac fulgida toga
susciperet, neu in præmissas rugas collisa remitteret. Ve-
rè inanes hominum, sed præcipuè adolescentium curas,
quorsum enim ea mentis anxietas, vt placeremus scili-
cet oculis alienis? & quorū oculis quæso? Profectò mul-
torum, qui nostris oculis displicebant. Seneca in quadam
ad Lucilium epistola: Quis eam (inquit) quam nulli o-
stenderet induit purpuram? Mira quidem dementia, sta-
num

tum nostrum non animi ratione, sed vulgi furore moderari,& in consilium vitæ nostræ illos admittere, quorum nobis vita contemptui est. Nemo cicatricosum tergo ducem, nemo gubernatorem naufragiis insignem eligit: illos legimus quos miramur, illis solemus nostra committere, quos rerum suarum administratio claros facit. Itaque vulgus insanum, cuius mores videas, cui⁹ omnem opinionem vitámque despicias, in moribus tuis, sequi plusquàm vulgariter insanientis est. Vt enim cœptum sequar, cesset ambitio,& vulgus procul exulet; quàto virilior, atque ad omnes opportunitates aptior, quantóque tractabilior est vestis plebeia, quàm regia? Nobis tamen, eo tempore longè aliter videbatur, quorum studij, laborísque pretium erat conspici,& vt ait ille,

-- -- digito monstrari & dicier hic est.

Quàm Hortensius orator fuit clarus, sed delicatior, quàm deceat virum, & formæ non minus quàm eloquentiæ studiosus? Nunquam speculo inconsulto in publicũ processit, in illo se comere, in illo se mirari. in illo vultum, togámque componere consueuerat. Multa sunt eius viri muliebria, sed illud in primis. Collegam suum, quòd is casu obuius arcto quodam loco, in eum impegisset,& artificiosum ex humero togæ sinum turbasset, collisione fortuita, iniuriarum accusare sustinuit. proh sus fœmineæ vanitate, quasi capitale crimen esset, tam compositi habitus, qualis offensio. Nos frater, etsi nulli diem diximus ob eiusdem iniuriam, animo tamen haud absimiles fuimus, sed te de tantis errorum tenebris eduxit. repentina mutatione dextera Excelsi. Ego sensim multísq; laboribus assurgo, credo, vt intelligi detur, nullũ hîc adminiculum literarum, nullũ opus ingenij, sed totum Dei munus esse, qui fortè mihi manũ porriget. imbecillitatem meam ingenuè confitenti. Id sanè si ratio nõ persuaserit, senectus coget, quam magis, magísque indies aduentaré,& iã finib⁹ meis obequitare sentio. Quid de calceis loquar, pedes quos ꝓtegere, videbãtur, quàm graui, & quàm cõtinuo bello premebãt? meos fateor inutiles reddidissent, nisi extremis necessitatibus admonitus, offendere paululum aliorum lumina, quàm neruos, & articulos meos

conterere maluissem. Quid de calamistris, & comæ studio dixerim? Quoties somnum, quē labor ille distulerat, labor ille abrupit? Quis pyraticus tortor crudelius arctasset, quã propriis ipsis manibus arctabamur? Quos malè nocturnos sulcos, in speculo vidimus, rubenti fronte transuersos, vt qui capillum ostentare volebamus, faciem tegere cogeremur? Dulcia sunt hæc patientibus, passis vel memorata horrida incredibilia inexpertis. Quantum verò te nunc illa præterita memorantem, præsentia ista delectant, calceus laxus, pedis non vinculum, sed munimen, coma altè resecata, & capillorum sepes, non iam auribus importuna, nec oculis, toga simplicior, & quæsitu, & custodia facilis, nec egressu laboriosior, quàm ingressu, tanquam animum ab insania defendens, sic corpus defendit à frigore. O te fœlicem, qui vt hæc dulcius saperent, illas amaritudines prægustasti, & vt hæc læuiora præterea, recordare etiam, quo promptius è tāta Charybdi liberatus dignas Deo gratias agas, quanta nobis fuerat cura, quantæque vigiliæ, vt furor noster latè notus, & nos essemus populorum fabula. Quoties syllabas contorsimus? Quoties verba transtulimus? Denique quid non fecimus, vt amor ille, quem si extinguere non erat, at saltem tegi verecundia iubebat, plausibiliter caneretur? Laudabamur in studiis nostris, & capita delirantium peccatoris oleum impinguabat: sed inefficabilis Dei pietas, gressus tuos interea, pedetentim, reuocabat ad rectum iter, & satietate rerum pereuntium, præceps illud desiderium castigabat, vt scilicet diuersis ætatibus vtrobique incola, quid interesset inter Babylonē atque Hierusalem expertus agnosceres. O misericors Deus, quàm tacitè consulis, quam occultè subuenis, quam insensibiliter mederis. Quid enim tantis laboribus bone, IESV, quid aliud nisi amorem mortalem, imò verò mortiferum petebamus? Cuius nos fallacem, & multis sentibus obsitam suauitatem attingere summotenus permisisti, ne grande aliquid inexpertis videretur, & ne tanta esset vt opprimeret misericorditer prouidisti, deliciis nostris è medio sublatis, cum quibus dextera tua, spes nostras è terra penè radicitus extirpauit. Iuuenili ætate reuocasti

eas,

eas; morte quidem vt spero illis vtili, nobis necessariâ, & abstulisti à nobis animarum nostrarum vincula. Et tamen ô cæca mens mortalium quotiens questi sumus, quasi ante tempus accidisset, quod cum summo vitæ nostræ discrimine trahebatur. aut quasi salutare aliquid intempestiuum sit. Quot suspiria, quot lamenta, quot lachrymas in ventos effudimus, & more phreneticorum medico nostro insultantes, manum tuam repulimus, lenimen optimum, nostris vulneribus adhibentem? Nunc ergo dic mihi vir Deo ex hoste familiaris, ex aduersario ciuis, dic mihi, quoniam & ista pertractas, & illa retractas, quid similis sint cantiunculæ inanes, falsis & obscœnis mulierecularum laudibus, & sacris excubiis, in quibus modò per mœnia, & propugnacula ciuitatis Dei mira ordinatione dispositi CHRISTI vigiles aduersus antiqui hominis insidias intentissimè pernoctatis? Fœlix & inuidiosa militia, magnáque fateor & durus labor, sed breuis & æterno pensandus præmio. Mihi autem adhuc restat de quo tecum si pateris Deus meus, disceptare velim: Quid est enim, responde mihi, quòd cum ego & frater meus, gemino laqueo teneremur, vtrumque contriuit manus tua, sed non ambo pariter liberati sumus? Ille quidem euolauit, ego nullo iam laqueo tentus, sed visco cõsuetudinis pessimę definitus, alas explicare nequeo, & vbi vinctus fueram solutus hæreo. Quid causæ est, nisi quòd contritis pari ratione laqueis nequaquam quod sequitur par fuit. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Cur autem hanc Dauidicam cantilenam tanto conceptu cœptam, tam dissona voce compleuimus? Nulla Dei voluntas sine causa est, quippè omnes inde dependent, & illa sit omnium fons causarum. Frater ergo ritè cecinit, erecto ad cœlum animo. Ego terrena cogitans, & curuatus in terram, & forte liberatricem dexteram, non agnoui, fortè de propriis viribus speraui, aut hoc, aut illud causæ fuit, cur effracto laqueo non sum liber? Misereberis Domine vt dignus sim, cui amplius miserearis. Sine enim gratuita misericordia tua, nullatenus potest humana miseria misericordiam promereri. Nunc ad te frater redeo, & sensim ad grauiora conscendo, vt gradatim te tibi fœli-

cessimum ostendam. Recordare quis ille hominum concursus, quænam prælia salutantium, quanta concursantium offensio, quantúmve sudoris ac laborum, vt compti & elaborati nunc hîc, nũc illic in publico cerneremur. Et Deus optime, qui cæcos illuminas, claudos erigis, mortuos suscitas, qualis illa iactatio est? postquàm enim omnibus vicis, omnibúsque noti erimus, omnibus scænis circumacti, restat iter patrum nostrorum agere, & formidatum sepulchri limen irredituro pede trãscendere. Adde nunc conuiuiorum gloriosa fastidia, quę sine magno vt aiunt famę discrimine non videntur, & epularum variam procellam, concusso stomachulo fluctuantem. Quæ si ab amicis patimur incommoda, quid expectet ab hostibus? Quorum multa sunt genera, domestici, externi horumque alij clandestini, alij ex professo inimicitias agunt, & & rursum alij lingua, alij fraudibus, alij gladio decertant. Breuius loquor, omne genus expertus. Ad hæc, quid quæso, non iniuriarum à seruis, contumeliarúmque perpetimur? Excusat eos Seneca multis quidem verbis, & omnem culpã reflectit in Dominos, Luciliúmque suum laudat seruis familiariter conuiuentem. Quid dicã? Vereor tanti viri vilicare sententiam, & tamen quod perhibet longè mihi aliter videtur. Profuit illis fortè vel prudentia, vt bonos seruos facerent, vel fortuna vt inuenirent. Præstitisse, mihi fateor, neutrũ fuit, cum vtriusque studium semper fuerit. Itaque de se alij videantur, ego quod nescio, laudare nõ possum. Apud me & iniquissimum est, seruorum genus, & prouerbium illud vet' à Seneca reprehensum veri locum habet, Totidem hostes esse quot seruos. At de bonis seruis epistola illa est, mali enim eodem auctore, à dominorum consortio excluduntur? Credo, sic enim sonant verba, & bonorum exempla, de liberis non pauca colligimus, hæc id quidem ignoro, neque scriptoribus fidem nego, sed siue temporum mutatio, siue sors, siue impatientia mea est, ego bonum seruum nunquam vidi; quæro tamen, & si fortè obuius fuerit, velut occursu bicipitis hominis obstupescam. At ne quis hoc vel sæuitię, vel desidię meę imputet, omnia tentaui, neque minus ego quàm Lucilius familiariter cum

seruis

seruis meis vixi, & ad consiliū & ad cōfabulationē, & ad cœnā illos admisi, méq; ipsum, & res meas illorū fidei cōmisi, fidelésq; vt facerē credidi, nec credēdo profeci, quin potiùs ars omnis in contrarium versa est. Seruorum enim à colloquio meo, nemo non procacior discessit, nemo non contumacior à cœna surrexit, & vt familiaritas insolentes, sic fiducia fures esse docuit. Vt ergo Senecę de suis, sic mihi de meis, & cunctorum seruis: omnes enim ferè nescio quomodo pares sunt, vera loqui liceat. Ego quidem fateor, seruili peruicacia nil molestius patior in vita. Cætera enim bella inducias habent, cum domesticis hostibus, sine intermissione pugnam*, quamuis non sim nescius, æquo animo ferendum esse, quod maximis viris accidisse video. Nempe & Vlyssem illa prima ætate, quam heroicam vocant, inter multos quos sustinuit labores, seruorum & ancillarum quoque contumeliis affectum, clarissimi loquuntur auctores. Et hoc recentiori æuo, Fredericus Romanus Imperator, de seruorum iniuriis, vt fama fert, viuens, moriénsque conquestus est. Cæterùm hæc seruorum incidēs querela, hoc agit, vt te fœlicem scias, qui seruili tyrannide liberatus, leuissimo ac suauissimo CHRISTI iugo colla subieceris. Quid de aliis dicam? Quod illud adulationis latens, inter dulcia venenum coram arridentium, retróque mordentium? Quæ illa de transuerso famæ vulnera, incertis auctoribus, & è media vulgi acie, clàm iaculata conuitia? Quæ illa auaritiæ rabies, animos efferentis, omnísque diuini, & humani iuris obliuionem pestiferam afferentis? Hæc de curatoribus prædones efficit, extremum autem mali genus est, dum remediis attonita nascentur. Eligis hominem, cuius fide inter hominum fallacias sis tutus, ille te primùm fallit. Quid huic consilij capias? & vt Satyricus ait: *Quis custodiet ipsos custodes?* Hæc nos pestis ab infantia persequitur, seu fortuna, seu simplicitas nostra est, adolescentes soli incuriosi, & apti iniuriæ visi sumus. Tritum assiduitate prouerbiū est: Occasio facit furem. Hæc nos Frater, vt semel expediam, de diuitibus inopes facit, imò certè, quod diuini muneris recognoscimus, de occupatissimis otiosos, de impeditissimis expeditos. Accessit, quòd omnes qui se spoliis

nostris occurrerint, breui quidem ipsius fortunae ma-nibus excussos, vel graui morbo consumptos, vel misera se-nectute languentes vidimus. Nec paruum animae so-lamen visum est, Deo praesertim auctore cõtingens. Quid dicam de foris ac liminis tempestate, quae mihi non ce-rium modò, sed terrarum orbem odiosum facere potens est? Quid de aliis quae praeter mortem grauissima indi-cantur, corporis, animíque periculis, qualia mul-ta olim terra, pelagóque pertulimus? quorum comme-moratio stuporem mihi renouat, & horrorem. Sed eua-simus. Non id nostrae naturae priuilegio accidit, sed diui-nae clementia. euasimus: sed perire potuimus, & certè de-buimus, nisi nos misericors pater viuificis oculis aspexis-set. Euasimus, sed eisdem periculorum generibus noti, & socij periêre incendio, gladio, carcere, naufragio, aliísque innumerabilibus modis, quorum propter caros & recé-tes amicorum casus, tristis & acerba narratio est. Inter hos laqueos ambulauimus, atque inter hos scopulos na-uigauimus. Frater, quid loquor? Quasi aequa conditio sit amborum? Ego miser, inter eosdem versor assiduè, vt iam Deo gratias, portum tenes, foelix hora qua natus es, foe-lix omne periculum, quod te per multa experimẽta for-midabilium rerum, ad amorem securitatis adduxit. Con-fer oro, nunc ista cum illis cum turbulentis opibus quie-tissimam paupertatem, cũ amaris negotiis dulce otium, cũ iniquis hostibus optimos fratres, denique cum litib' silentium, cum turbis solitudinem, cum vrbibus syluas, cum comessationibus ieiunia, cum diuturnis choreis, nocturnos choros, postremò cũ Auinione Carthusiam, cum terrenis periculis coelestem pacem, cum seruitute Diaboli amicitiam Dei, cum morte perpetua sempiter-nam vitam: necesse erit te foelicissimũ fateare. Vrge pro-positum, preme quod coepisti. Non te labor terreat, non frangat asperitas. Flacci verbum est:

—nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Quod si in hac vita, de qua ille loquebatur minima, e-tiam magno constant, quod totiens incassum aucupan-do probauimus, quis labor magnus videri debet, quo ad

æter

æternam beatitudinem peruenitur? Absit segnities, languor abscedat. Dum matutino tempore excitaris, ad diuinum te colloquiũ euocari credito. Et heu, quotiẽs nos mortalis domini iussus exciuit? quotiens periculis ac laboribus obiecit, & quis oro te fructus? Nempe non nisi amicitia humana, anceps, periculosa, difficilis. Tibi amicitia diuina proponitur, certa, secura, parabilis. Crede mihi, cadet ex animo tædium, somnus ex oculis, cum tibi proposueris, vocantem Deum, & optime tecum agi senties, quòd vigilare vulgo circumstertente iubearis. Mos imperatorum est, probatis militibus difficilia committere, dum coci, piscatoresque, & (vt Horatiano sermone vtar) Ambubaiarum collegia, circa forum cupidinarium oberrãt, illi inter gladios, ac tela versantur, & periculum ingens tenui gloria consolantur. Cùm autem orando colloqui cœperis, gaudium cum reuerentia certabit, vt insomnem te atque impigrum sub tanto præbeas spectatore. Audisti ex historiis M. Catonis, milites illo præsente, & sitim, & puluerem, & æstum, & serpentum morsus tolerare solitos, & sub illo teste, sine gemitu ac lamentis occumbere. Audisti Scæuam illum fortem potiùs quàm iustum virum, sub oculis sui ducis non modò pugnare, sed mori etiam exoptantem. Quod si mortalis domini veneratio præstare potuit, quid CHRISTI præsentia posse debet? Is equidem non expectandus vt veniat, sicut Cæsarem suum infœlix ille bellator expectat, sed suscipiendus, colendúsque omnibus locis, omnibúsque temporibus præsens est. Videt actus nostros, cogitationes introspicit. ingens calcar animo, nisi funestæ consuetudinis torpor obsistat. Epicuri doctrina est, Imaginarium vitæ testem quærere, amico scribens: *Sic* (inquit) *fac omnia tanquam spectet Epicurus*. Seneca verò vt illustrioris viri præsentia, Lucilij sui vitam formet, monet vt Catonem eligat, Scipionem, Lælium vel alium quemlibet spectatæ virum famæ. Non potest non placere sententia à magnis viris laudata. Nã & M. Tullio placuisse eam video, quam Q. Ciceroni Fratri suo scribens, licet aliis verbis inseruit. Placet ergo consilium Epicuri, inter illos à quibus scriptum atque probatum est. Nobis hac arte nil est op⁹. Te-

stem fictam, non quærimus, cùm viuum atque verum, præsentémque semper CHRISTVM habeamus. Nam etsi ascendero in cœlum illic est, etsi descendero in infernũ adest. Omnia igitur coram illo, quasi spectante, sed verè spectante faciamus. Pudebit nõ modò actuum sed arcanarum etiam voluntatum, quas non tantum victus, sed etiam verè præsens Epicurus testis non posset agnoscere. Nouit autem eas ille, cuius oculis nihil est imperuium. Putemus illum ante oculos nostros positum clamare, Quid agitis ô cæci, & ingrati? Ego pro vobis mortẽ spontè sustinui, vos mihi laborem exiguum negatis? Hæc vestra pietas? Hæc accepti beneficij memoria est? Qui nunc cœlum, terrásque & maria guberno, qui fulmina de nubibus iacio, qui alternis vicibus tempestates ac serenum reueho, qui diem noctémque suis luminibus exorno, & vario horarum numero tenebras lucémque dimetior, qui perpetuum solis obsequium duodeno stellarum ordine, ad quaternas temporum varietates adhibeo, & fastidio consulens grata rerum, & inaccessibili nouitate anni circulum circumuoluo, quam non modò calcabilem terram, labilem aquam, atque auram spirabilem, sed innumerabilium rerum nobis præsidia, & oblationes & ornamenta congessi: denique qui ad imaginem meam, quamuis stulti obstrepent, de nihilo vos creaui, & quo me, quo quæri vellem, iter vobis ostendi. Ipse ego (inquam) vt post tot beneficia rebellantes ac deuios reuocarem, inter vos ex alto sub seruili habitu dissimulata maiestate descendens, pro salute vestra paupertatem, labores, insidias, conuitia, contumelias, carcerem, verbera, flagella, mortem, crucémque non timui. Vos mihi quid redditis? Non dico par tantis meritis, quod nec cogitare sufficitis, sed quod omnino signum ostenditis animo ingrati? Quid ad hæc Frater respõsuri sumus? An hîc quicquam ambigui est? profectò si hæc intus in anima loquentem Dominum audire voluerimus, surgemus nocte alacres, hoc enim agere cœperam, vt eo tempore deuotiùs CHRISTO laudes canamus, quo illum pro nobis opprobria, & iniurias passum esse meminerimus. Sed quia diu te iam Frater ab altitudine contemplationum ma-

rum de

rum distraxisse vereor, hæc summa est. CHRISTVS tibi totius vitæ testis assistat. Illum igitur intuere, si vis in illo labore, nullis omnino vigiliis fatigari. Ad hoc enim inaccessibili & inenarrabili Trinitatis consilio effectum est, vt æternus, & immortalis omnipotens Dei filius, vestem nostræ immortalitatis indueret, vt scilicet, quoniam inter Deum & hominem, nulla proportio erat, ipse Dei & hominum mediator, vtramque perfectissimè in se iungens naturam, & ad Deum homines attolleret, & Deum ad homines inclinaret, possétq; mortalis acies, in Deum figi mortali carne vestitum. Quod si immortalitate recepta, in gloriam suæ diuinitatis ascendentem, sequi oculis & mente difficile est, & puri hominis testimonio delectaris, elige tibi aliquos de professionis tuæ ducibus, Ioannem Baptistam. Antonium Macharium, vel si rigidiores hi videntur, elige Benedictum, elige ab erroribus seculi redeuntes Augustinum, & Arsenium, quos multum semper placuisse tibi scio: habes Patrum vitas, illas perlege vt facis, vbi amicum inuenies, quem testem secretis consiliis non recuses, quo, scio te ipsum, vitámque moderaeris tuam, sine quo denique nil agas, nihil cogites. Lege Gregorij dialogum, Augustini Soliloquia, & scatentes lachrymis Confessionum libros, de quibus quidam ridiculi homines ridere solent. Tu in eis solamen ac refugium non mediocre reperies. De Psalterio enim non dubito, te Hieronymi consilium sequi, vt è manibus tuis, nunquam excidat, de quo more meo, poëticum nescio quid pridem scripsi, quod quoniam placere tibi animaduerti, ne modò graueris, secuturo reseruatum nuntio excipies. Tu verò, vt finem faciam, vitam omnem inter contemplationem ac Psalmodiam, & orationem, lectionémque partire. Corpori tuo, tanquam, rebellaturo si possit, & contumaci mancipio, nihil tribuas, nisi quod negare non potes, in vinculis habe: seruiliter tractari debet, vt intelligat vnde sit. Suspectam pacem facit hostis infidus, nosti quorum insidias in seculo pertuleris, ab his in perpetuum caue. Cum fidifragis inimicis, non tuto reditur in gratiam, hæc inter gaude, spera, suspira, seruiens Domino in timore & exultans ei cum tremore; ac gratias agens, quod

tibi pennas dedit, tanquam columbæ, vt volares & requiesceres, quibus non segniter vsus es, sed elongasti fugiens, vt in solitudine constitutus, innumerabilia mundi mala de cætero non sentires, quæ ego miser sentio, quibus & obsideor, ac circumspiciens contremisco. Nec addo, dum adhuc de Babylone patet exitus effugio. Noli tamen desperare, obsecro te, ora potius, vt aliquando consurgam. Multum est fateor peccati mei pondus, sed finitum tamen, at eius vnde auxilium expecto, infinita clementia est. Hæc tibi Germane vnice, non meo, sed peregrino stylo, ac propè monastico dictaui, te potius, quàm me ipsum cogitans: leges dum ex commodo licebit, & si hinc perfectioni tuæ nihil accesserit, scito me mihi saltem profuisse, dum scriberem, quoniam mea me pericula meditantem, status tui fœlix interim torsit inuidia. Vale memor mei. VII. Cal. Octobris, ex oppido Carpensi.

FRAN. PETRARCHA AMICO Svo, S. Epist. XX.

Apud veteres legati nomen fuisse tritum: monétque ex casu quodam quàm sit humanorum lubricus status.

SOlebant Romani Coss. legatos consulares ad exercitum ducere, quibus in bello cooperatoribus & consultoribus vterentur. Horum crebra Romanis in annalibus est mentio. Legatorum clarissimus, Africanus est meus ille superior, qui L. Scipioni Asiatico Fratri suo Legatus in Græciam atque Asiam profectus, vt fraternæ pietatis præclarissimum exemplum, sic ingens magnæ victoriæ causa fuit. Regum quoque, gentiúmque nuntios solennes, Legatos dici solitos scimus, horum plena est omnis historia. qui reges, aut populi, siue hostes, siue fœdarati, siue bello domiti legatos vel auxilij poscendi, vel res ablatas reposcendi, vel misericordiæ implorandæ gratia Romam miserunt, Románque transmissos acceperunt, siue harum aliqua, siue aliis causis. Clarissimæ quidem hoc in genere habentur, & Fabij Maximi legatio, ad bellum Carthaginensibus indicendum, & Sulpitij ac Vilij ad bellũ Scythiacũ cõpescendũ, & T. Flaminij in Bythiniam ad Hannibalẽ deposcendũ. Externorũ verò legatio-

gatio insignis fuit, Hasdrubalis senis cognomento Hœdi, qui missus à Carthagine ad misericordiã excitandam, poscendámque à Romanis pacem, animos solo flexit aspectu: nec [illegible]ius illustris Africani iunioris, quolibet in genere numeranda Legatio, qui, vt ait Cicero, obiit Legatus Ægyptum, Syriã, Asiã, Græciã, atque absens ad bellũ Maximũ conficiendum, conscidendámq; Numãtiam Cos. iterum est directus. Philosophorum quoque legatio præclara, ad impetrãdum mulctæ remissionem ab Atheniensib' Romam missa, in qua & Academicus Carneades & Stoicus Diogenes fuerunt, & Peripateticus Critolaus, quorum quænam in publicis ac celeberrimis Romæ locis ingenij atque eloquentiæ ostẽtatio, quænam Catonis Censorij, & quæ seuera sententia de illis dico dimittẽdis, & tibi notum est, & locus iste nõ exigit. Quorsum enim hæc? Nempe non nisi vt aduertas hoc legati nomen apud maiores tritum atque vulgatum, nec omnibus ereptum: Longa quid non mutat dies? Romanã Ecclesiã sibi proprium vendicasse, ne dicam vsurpasse. Itaque iam Legatos exercituum suis quoque nominibus vocat: at quibus mandata regũm, aut vrbium committuntur, nuntios dicunt, siue aliter, aut vulgo, alius atque alius sermo est. Soli igitur sunt Legati, quos vt aiunt Romanus Pontifex ad aliquas prouincias destinauit. E quibus quidam legati tantum, quidam verò de latere legati nuncupantur, quos videlicet missos, collegio quod sacrum vocant, Romulei Cardinis fulgor illustrat. Ita mihi saepe videor audisse, neque enim res est, cui ediscendæ multum temporis impedisse velim. Sit autem ita, quid enim ad nos? Est ferendum est æquo animo, vt qui rerum potiuntur, summa nomina rebus vel auferãt, vel imponãt. Quando etiã senes nostros modestissimos hominũ, tamẽ propter potentiã atq; opes, quibus teste Liuio, ante ipsũ Romanum imperiũ floruerũt, geminis æquoribus quibus Italiæ magna pars cingitur, nomina quę adhuc durãt, tot circũ littoreis gentib' nihil obluctãtib', imposuisse meminim'. His ante propositũ decursis ad rẽ venio. Legatus iste de latere, qui iã solus mũdo patiente, nomẽ hoc habet XVIII. Cal. Octobris, Mediolanũ obuio Domino & magna ce-

lebritate populi frementis ingressus est. Cui ego nescio quæ nostri confusione iudicij, ut me vulgariũ effunderem, quod non sum, nec esse velim, neque si velim natura permittat, mecum progressus alios, Ticinensi porta, [illegible]ndem ferè lapidem occurrens abijci, si non antea didicissem, quid sit rerũ naturalium fragilis ac lubricus status. Cùm enim ingentes pulueris globi, rotarum atque quadrupedum agitatione commoti, spissa nube cœli solémque texissent, conspectu mutuo erepto, contra morem meũ, ut sine malus absolui error, inferor in mediam cohortẽ. At vix data & reddita salute, sic pulvis omnium fauces & ora compleuerat aridúmque præcluserat vocis iter, dũ me recolligerem, ut & alijs parcerem & mihi, equus quo vehebar, & ipse oculis captus, postremísque pedibus in præaltam, strictámque me foveam dilapsus, omnes qui aderãt metu, & horrore compleuit, præter me unum qui quid mecum agereiur nesciebam, tanta caligo pulvereæ noctis incesserat, eo mihi molestior, quod à luce venientis oculi sunt in tenebris pigriores. At verò ille magnanimus adolescẽs quem nisi cœptam successionum telam fata præciderint, Mediolani, Liguriæque dives expectat hæreditas, & quo nisi iudicium amor fallit, inter iuvenes fortunatos, nullus est melior, nullus humanior, ante alios me nomine inclamans, ut caverem admonebat. Ego ignarus, & plus fateor clamore omnium, quàm periculo meo motus, non priùs intellexi quid rei esset, quàm solas equi auriculas extantes, méque densis vepribus oppressum vidi. Profuit ad salutẽ propriũ non nosce discrimen, quosdam iuvit ignorantia. & dum nil metuunt nil nocuit. sic cõtra multos ægros, mortem fecit opinio, ut aliquando essent, quod diu esse crediderant: neq; enim de nihilo dictũ est: Imaginatio facit casum, Cui pari ratiõne illud obiecerim, Imaginatio casum tollit. Ita cum multa scire sit optimum quædã melius nesciuntur. Certè eũ discrimen ipse meum nescio, dũmq; nil mali suspicor, nil incõmodi passus sum, neque enim periculũ nisi post periculũ agnovi. magisq; cũ iá timendũ nihil esset, timui. & nunc ut ait Maro horresco referẽs. Tunc ut erã in pedes subitò desilui, supremoq; ripæ marginẽ plusquã meo saltu tenui, illæsus & in-

uisi-

inuisibili subnixus auxilio. Subsisterat equidem adolescés ille mitissimus, iussitque famulis descédere, ipse non modò vocis obsequium mihi præbuerat, sed dexteræ. Dum interim equus meus magno nisu sibi consulens, primisq; dictu mirum vngulis dependens, attritus genua, vix tandem emergenti, qui si vt natura rei poscebat, repétè postquam labi cœperat, in tergum cecidisset, actum erat, & & absolutus eram omnibus curis. Adfuit hominum succursus: adfuit equi vigor, dicet aliquis, ingratum mendacium, mendax ingratitudo, vana salus hominis, fallax equus ad salutem. Ipse suam vt alias supposuit manū, præsentíque me solus exitio CHRISTVS eripuit. Quod idcirco tibi notum volui vt sicut apud Flaccum, caducæ arboris ruina: sic apud me instabilis equi lapsus, propriæ nos conditionis admoneat inanem esse prouidentiam humanam, ineluctabilem fati vim, innumerabiles mortalium casus, inextimabilem cæcitatem. Itaque dum huic occurrimus, in illud occurrimus, & dum maximè circumspicimus ac multa prouidemus, tum maximè, vnde nihil metuebamus opprimitur, fitque quod ait ille verissimum. Improuisa leti vis rapuit, rapiétque gentes, ne quicquam extruamus atque angimur, sola potēs est occurrere cunctis diuina clementia. Ea tunc Flacco affuit, nunc mihi, sæpe aliis, alioquin nec ille suum, nec ego meū, nec multi bellorum casus in pace, pelagíque pericula in littora renatarent. Hic super scrupulus premit, quod dum difficultatem vnam euasisse credimus, superest altera. Tota nostri, nostrarúmque rerum custodia committenda Deo est, & de propriis viribus aut consiliis nil sperandum. Sed iam de moribus satis est dictum, ad familiaria conuertamur. Legatus ergo hic, de quo ambiguè tibi scripseram, spē meam liberalitate vicit sua, vt propè me diffidisse pœniteat, quãuis semper minus sperare sit tutius. Nihil omnium quæ petieram negauit: vltrò etiā pro meipso grande aliquid peterem hortatus est. Ego autem pro me nihil, fallor, imò verò pro me omnia. Quid enim verius meum, quàm quòd amicorum est? Cæterùm ego iam pridem mihi modum statui, & fines posui, quos ne transeat siticulosa cupiditas, vallum ac foueam circumduxit,

coëgísque animum fore, néve illum testimonio suo putem. Neque remeantem iussa imperia, neque recusantem frenos, neque suadentem ferocia, si obstrepere pestilens consuetudo desierit rebellantem. Sic senectutem qui dedit adiuuet, vt mihi frugalitas grata est, vt laeta, & otiosa paupertas, amicior quàm tristes, occupataeque diuitiae. Si quid secus loquor ac facio, & prae rapido rerum humanarum torrente raptatus, indignante tamen, & in diuersum nitens. Mitto autem haec, sic enim glorior, sic queror, sic omnia tecum loquor, vt mecum. Idem animus, eadem Patria est, idem studium idem nomen par voluntas, affectúsque persimilis tecum pietas prior, tu religione praestantior, & familiarior Deo, sed & haec sileo. Verùm vt intelligas quod mallem, clariori aliquo scire posses indicio quanto pluris ego faciam preces tuas, quàm tuipse, qui eas verecundè porrexeras, vt inter poscendum omnem mihi negandi viam ostêdere videreris, scito quod etsi pro his amor, pro his sanguis, pro his miseratio, pro quibusdam familiaritas, meritúmque certarent, prima tamen omnium petitio tua fuit, quam tuis scriptam vt misisti, legatíque signatam digitis accipies huic epistolae interclusam, literas hinc fieri non illud modò, pro quibus executionibus vti velles eram nescius, sed extremae temporis angustiae vetuerunt. Petitione enim mihi serò tradita ille mane discessit; ita tamen res acta est, vt amantissimus pater Egitaniensis episcopus cancellarius suus literas ipsas expediri iubebit, vbi tu eum, vel pro parte mea, vel nostra alter adierit. Ibis ergo, vel mittes aliquem ex tuis Pisas aut Senas qua ille iter acturus est, Episcopúmque conuenies, & viua voce de negotio instructúm & literis ad eum meis, quae cum istis veniunt excitandum, pro aliis verò vnum ex meis sequi illum iubebo, nullas enim hic literas scribi têporis fuit inopia. doleo quod tibi laboris aliquid aut negotij reliqui, sed necessariũ fuit,

— nil sine magno
Labore vita dedit mortalibus.

I ergo, & laborem tibi, certum imaginaria condias voluptate, iucũdum si tibi finxeris efficies. Aestima tibi otia,

non

non negotio trahi. Semper sedes, nunquam patrium limen trãsis in hoc nempe differimus, ad cætera penè gemelli, & hic quoque meum morem indue, tuum exue. Habet & motus suam dulcedinem, & sæpe quiete gratior fuit labor, vt nihil aliud quietẽ ipsam efficit gratiorem. Incipe, surge, age, moue te loco, reuersus saltem melius sedebis. Qui semper alienas facis, aliquando res tuas facito. Fallere te etsi possim nolo, & si velim nequeo, artificium meum iudex facio, quod consolatores solẽt. Fando quod oportet vt delectet nitor. Cuperem legatum ipsum Florentiam inuisere, quod & optare illum arbitror. sed puto non poterit, magnis & grauibus Ecclesiæ negotiis recto Romam calle festinans. Ipse verò, quantum obliquo atq; vdo calle festinauerim, frustrà tamen vt huc ante crepusculum peruenirem, claudicantes lineæ, & fesso simillima viatori, vel sola frons indicat literarum. Vale.

FRAN. PETRARCHA NICOLAO FLORENSIO, REGIS SICILIAE SENESCALLO. S Epist. XXI.

Ex eo quòd sæpe periculosior pax bello sit, multisq; nocuerit aduersitatis caruisse exercitatione, omnibus claris viris vsq; ad extremũ spiritum vel cum visibili vel cum inuisibili hoste luctandum.

IAm tandem, vir clarissime, perfidiam fides, auaritiam largitas, superbiam vicit humilitas: iã charitas odium, desperatio spei cessit, perseuerantiæ difficultas. Iam sub malleo veritatis, pertinax mendacium, & mendax obstinatio vocis tuis obstantium fracta est. Immortale bellum est, inter inuidiam & gloriam, inter nequitiam & virtutẽ. Gratias illi, qui est Dominus virtutũ & Rex gloriæ, quòd eo Duce, in præsenti certamine victa parte deterrima, cuius sæpe contrarium videmus, optima pars triumphat. Ecce nunc vnita tua cura, gloriosissimi Siculi regis vertex, negatos honores inuito liuore suscipiet. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. Ipse autem solito augustior, multúmque serenior auito solio residens, pulsis Lario mœstitiæ nubibus, atque imbribus lachrymarum, orbem nostrum fronte syderea, & stellanti diademate serenabit, ereptam restituens regno pacem, tranquillitatémque populis exoptatam

tã. In quam rem vt fecisti hactenus, mūdò notissimũ tuũ illud ostendens ingenium, eóque vigilantia, quo maioris est laudis, iustè, modestéque regnum regere, quam feliciter adipisci. Nunc siquidem tempus est, vt omnes animi tui vires colligas, atq; ingentib' negotiis accingaris. Nihil est actum, si quid Caesarei moris habes, cũ & multa supersint, & supremam tua celebris gloria manum poscat. Vidimus te aduersae fortunae magnificentissimè reluctantem, iam cernimus te victorem, sed en totiens victa reuertitur aspectu mitior, & auratae cassidis, vt ita dixerim, fulgore suauior vicisti aduersam, prospera redit in praelium. Quid putas? Mutata sunt arma non hostis, & tibi quoque nouo armorum genere opus est. Nolo enim existimes, minus esse negotij, quando hostis est blādior. nullum insidiosius bellum est, quàm vbi blanditiis credulitas oppugnatur, in Arcto quidem egregiè rem gessisti, qualem te in aperto exhibeas expectam'. Multos in angustis indefessos, cāpestris pugna lassauit, multos in aduersitatib. fortes viros fortuna prosperior strauit. Hannibal Cannis victor, vict' est Capuę, & ardorem quē Trebia glacialis accenderat tepor extinxit. Sępè pax periculosior bello fuit. Multis nocuit aduersario caruisse. Quorundam virtus otio latuit, quorundam verò prors' emarcuit, locum submoti hostis occupante luxuria. Nulla homini pertinacior lis est, quàm cum animo, moribúsque suis. Nusquam minùs induciarum, intra murum pugna conseritur, hoc genus hostium bello languidũ, pace feruidum experimur, & sub toga plus assurum, quam sub galea. Vt ceteras gentes sileam, Romanos bello indomitos, & omnium gentium victores, pax tranquilla perdomuit, & vt quidam illius aeui scriptores, elegantissimè lamentantur, victum orbem, victorũ victrix vita est. Quod pręsagire videbatur Scipio ille vir optimus, à senatu habitus, dum tam enixè Catonis sapientissimi, licet senis, aduersante sententia, deleri Carthaginem prohibebat, non quod illam parcius odisset, sed, ne, vt ait Florus, metu ablato aemulae vrbis, luxuriari foelicitas nostrae vrbis inciperet. Qui vtinam consilio valuisset, mansissétq; potiùs nobis cum hostibus, & cum Carthagine, quam cum

vitiis & voluptate certamen: meliori loco res starent, vt puto, rariúsque pugnatum esset & crebriùs triumphatum. Quorsum hæc forsan interroges? Quia scilicet multos auguror futuros, quibus quiescendi iam tempus esse videatur. Mihi penitùs diuersa mens est, si me audire volueris, scies vnum esse laboris, & vitæ finem, tibíque & omnibus claris viris, vsq; ad extremum spiritū, vel cum visibili, vel cum inuisibili hoste luctandum fore, quin etiam vide, quantum à communi opinione dissentio, geminatum tibi laborem, & senties, & gaudebis. Nullo vnquam tempore, tam magno conamine consurgendum tibi, tam supra seipsum attollendus anim⁹ fuit, ad summa certamina ventum est, vniuersus orbis intelligat, in vtraque fortuna. Qualis, quantúsue vir fueris, neq; tu tantum, sed qui tuis etiam consiliis obsequuntur. Habes regem animo senem, annis adolescentem, cum quo terra, marique iactatus es, quem per multa præcipitia cogente fato, in summum status humani fastigium perduxisti. Ostende illi, quibus in hunc fortunæ verticem sit euectus, quibus artibus consistendum sit. Neque tam deinceps enitendum, vt ascendat altiùs, quàm vt ascensu sese approbet. Non indignum & hæreditarium sceptrum, non magis sanguini debitum, quàm virtuti. Non facit virum, sed detegit principatus, & honores non mutāt mores, atq; animum, sed ostendunt. Persuade illi min⁹ esse Regē nasci, quàm iudicio regē fieri: esse enim fortunæ illud, hoc meriti. Doce, Deum colat, patriam amet, iustitiā seruet, sine qua regnum licet opulentū, ac validum stare nequit. Discat violentum nihil esse longæuū, & amari multo tutiùs esse, quàm metui. Assuescat nihil in terris optare, nisi bonam mentē, nihil sperare, nisi bonam famam, nihil nisi dedecus formidare. Cogitet quò altior est, eò se clari⁹ videri, eóq; min⁹ occultare posse quàm gesserit, & quò potentiæ plus est, eò minus esse licentiæ. Nouerit regem à populo non magis habitu differre quā moribus. Studeat ab extremis æquo spatio discedens, virtutem in medio suam sequi. Cesset prodigalitas, absit auaritia: illa opes vastat hæc gloriam. Sit sanè tenax famæ propriæ, sit parcus honoris, sit auarus temporis, sit largus pecuniæ, & illud Romani ducis modestissimum, animosissimúmque

lebritate populi fauentis ingressus est. Cui ego nescio qua recti confusione iudicij, vt me vrbanū ostenderem, quod non sum, nec esse velim, neque si velim natura permittet mea: prægressus alios, Ticinensi porta, ad [illegible]fundum fortè lapidem occurrens didici, si non antea didicissem, quā sit rerū naturalium fragilis ac lubricus status. Cùm enim ingentes pulueris globi, rotarum atque quadrupedum agitatione commoti, fusca nube cœlū, solémque texissent, conspectu mutuo erepto, contra morem meū, vt me malus abstulit error, inferor in mediam cohortē. At vix data & reddita salute, sic puluis omnium fauces & ora compleuerat aridúmque præcluserat vocis iter, dū me recolligerem, vt & aliis parcerem & mihi, equus quo vehebar, & ipse oculis captus, postremísque pedibus in præaltam, iūctámque me foueam dilapsus, omnes qui aderāt metu, & horrore compleuit, præter me vnum qui quid mecum ageretur nesciebam, tanta caligo pulureæ noctis incesserat, eo mihi molestior, quod à luce venientis oculi sunt in tenebris pigriores. At verò ille magnanimus adolescēs quem nisi cœptam successionum telam fata præciderint, Mediolani, Liguriæque diues expectat hæreditas, & quo nisi iudicium amor fallit, inter iuuenes fortunatos, nullus est melior, nullus humanior, ante alios me nomine inclamans, vt cauerem admonebat. Ego ignarus, & plus fateor clamore omnium, quàm periculo meo motus, non priùs intellexi quid rei esset, quàm solas equi auriculas extantes, meque densis vepribus oppressum vidi. Profuit ad salutē proprii non nosce discrimen, quosdam iuuit ignorantia. & dum nil metuunt nil nocuit, sic cōtra multos ægros, mortē fecit opinio, vt aliquando essent. quod dio esse crediderant: neq; enim de nihilo dictū est: Imaginatio facit casum. Cui pari ratione illud obiecerim, Imaginatio casum tollit. Ita cum multa scire sit optimum quædā melius nesciuntur. Certè eū discrimen ipse meum nescio, dúmq; nil mali suspicer, nil incōmodi passus sum; neque enim periculū nisi post periculū agnoui. magisq; cū iā timendū nihil esset, timui, & nunc vt ait Maro horresco referēs. Tunc vt erā in pedes subitò desilui, supremoq; ripæ margine, plusquā meo saltu tenui, illæsus & in-

uisus

uisibili subnixus auxilio. Subsisterat equidem adolescés ille mitissimus, iussitque famulis descédere, ipse non modò vocis obsequium mihi præbuerat, sed dexteræ. Dum interim equus meus magno nisu sibi consulens, primisq; dictu mirum vngulis dependens, attritus genua, vix tandem emergenti, qui si vt natura rei poscebat, repetè postquam labi cœperat, in tergum cecidisset, actum erat, & absolutus eram omnibus curis. Adfuit hominum succursus: adfuit equi vigor, dicet aliquis, ingratum mendacium, mendax ingratitudo, vana salus hominis, fallax equus ad salutem. Ipse suam vt alias supposuit manũ, præsentique me solus exitio CHRISTVS eripuit. Quod idcirco tibi notum volui vt sicut apud Flaccum, caducæ arboris ruina: sic apud me instabilis equi lapsus, propriæ nos conditionis admoneat inanem esse prouidentiam humanam, ineluctabilem fati vim, innumerabiles mortalium casus, inextimabilem cæcitatem. Itaque dum huic occurrimus, in illud occurrimus, & dum maximè circumspicimus ac multa prouidemus, tum maximè, vnde nihil metuebamus opprimitur, fitque quod ait ille verissimum. Improuisa læti vis rapuit, rapietque gentes, ne quicquam extruamus atque angimur, sola potẽs est occurrere cunctis diuina clementia. Ea tunc Flacco affuit, nunc mihi, sæpe aliis, alioquin nec ille suum, nec ego meũ, nec multi bellorum casus in pace, pelagique pericula in littora renatarent. Hic super scrupulus premit, quod dum difficultatem vnam euasisse credimus, superest altera. Tota nostri, nostrarúmque rerum custodia committenda Deo est, & de propriis viribus aut consiliis nil sperandum. Sed jam de moribus satis est dictum, ad familiaria conuertamur. Legatus ergo hic, de quo ambiguè tibi scripseram, spẽ meam liberalitate vicit sua, vt propè me diffidisse pœniteat, quãuis semper minus sperare sit tutius. Nihil omnium quæ petieram negauit: vltrò etiã pro meipso grande aliquid peterem hortatus est. Ego autem pro me nihil, fallor, imò verò pro me omnia. Quid enim verius meum, quàm quòd amicorum est? Cæterùm ego iam pridem mihi modum statui, & fines posui, quos ne transeat siticulosa cupiditas, vallum ac foueam circumduxit,

cuiúsque animum stare, néve illum testimonio suo puniatem. Neque renuentem iusta imperia, neque recusantem frenos, neque suadentem ferocia, si obstrepere pestilens consuetudo desierit rebellantem. Sic sementem qui dedit adiuuet, vt mihi fragilitas grata est, vt læta, & otiosa paupertas, amicior quàm tristes, occupatæque diuitiæ. Si quid secus loquor ac facio, & præ rapido rerum humanarum torrente raptatus, indignans tamen, & in diuersum nitens. Mitto autem hæc, sic enim glorior, sic queror, sic omnia tecum loquor, vt mecum. Idem animus, eadem Patria est, idem studium, idem nomen par voluntas, affectúsque persimilis: tu pietate prior, tu religione præstantior, & familiarior Deo, sed & hæc sileo. Verùm vt intelligas quod mallem, clariori aliquo scire posses indicio quanto pluris ego faciam preces tuas, quàm tuipse, qui eas verecundè porrexeras, vt inter poscendum omnem mihi negandi viam ostēdere videreris, scito quod etsi pro his amor, pro his sanguis, pro his miseratio, pro quibusdam familiaritas, meritúmque certarent, prima tamen omnium petitio tua fuit, quam tuis scriptam vt misisti, legatíque signatam digitis accipies huic epistolæ interclusam, literas hinc fieri non illud modò, pro quibus executionibus vti velles eram nescius, sed extremæ temporis angustiæ vetuerunt. Petitione enim mihi serò tradita ille mane discessit, ita tamen res acta est, vt amantissimus pater Egitaniensis episcopus cancellarius suus literas ipsas expediri iubebit, vbi tu eum, vel pro parte mea, vel nostra alter adierit. Ibis ergo, vel mittes aliquem ex tuis Pisas aut Senas qua ille iter acturus est, Episcopúmque conuenies, & viua voce de negotio instructum & literis ad eum meis, quæ cum istis veniunt excitandum, pro aliis verò vnum ex meis sequi illum iubebo, nullas enim hic literas scribi tēporis fuit inopia. doleo quod tibi laboris aliquid aut negotij reliqui, sed necessariū fuit,

— nil sine magno
Labore vita dedit mortalibus.

I ergo, & laborem tibi, certum imaginaria condias voluptate, iucūdum si tibi finxeris efficies. Aestima tibi otio,

non

non negotio trahi. Semper sedes, nunquam patrium limen trāsis in hoc nempe differimus, ad cætera penè gemelli, & hic quoque meum morem indue, tuum exue. Habet & motus suam dulcedinem, & sæpe quiete gratior fuit labor, vt nihil aliud quietē ipsam efficit gratiorem. Incipe, surge, age, moue te loco, reuersus saltem melius sedebis. Qui semper alienas facis, aliquando res tuas facito. Fallere te etsi possim nolo, & si velim nequeo, artificium meum iudex facio, quod consolatores solēt. Fando quod oportet vt delectet nitor. Cuperem legatum ipsum Florentiam inuisere, quod & optare illum arbitror, sed puto non poterit, magnis & grauibus Ecclesiæ negotiis recto Romam calle festinans. Ipse verò, quantum obliquo atque vdo calle festinauerim, frustrà tamen vt huc ante crepusculum peruenirem, claudicantes lineæ, & fesso simillima viatori, vel sola frons indicat literarum. Vale.

FRAN. PETRARCHA NICOLAO FLORENSIO, REGIS SICILIAE SENESCALLO. S. Epist. XXI.

Ex eo quòd sæpe periculosior pax bello sit, multisque nocuerit aduersariis caruisse, concludit, omnibus claris viris vsque ad extremum spiritum vel cum visibili vel cum inuisibili hoste luctandum.

IAm tandem, vir clarissime, perfidiam fides, auaritiam largitas, superbiam vicit humilitas: iā charitas odium, desperatio spei cessit, perseuerantiæ difficultas. Iam sub malleo veritatis, pertinax mendacium, & mendax obstinatio votis tuis obstantium fracta est. Immortale bellum est, inter inuidiam & gloriam, inter nequitiam & virtutē. Gratias illi, qui est Dominus virtutū & Rex gloriæ, quòd eo Duce, in præsenti certamine victa parte deterrima, cuius sæpe contrarium videmus, optima pars triumphat. Ecce nunc vnita tua cura, gloriosissimi Siculi regis vertex, negatos honores inuito liuore suscipiet. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. Ipse autem solito augustior, multúmque serenior auito solio residens, pulsis Lario mœstitiæ nubibus, atque imbribus lachrymarum, orbem nostrum fronte syderea, & stellanti diademate serenabit, ereptam restituens regno pacem, tranquillitatémque populis exoptatam

tā. In quam rem vt fecisti hactenus, mūdo notissimū tuū illud ostendens ingenium, eóque vigilantius, quo maioris est laudis, iustè, modestéque regnum regere, quam fœliciter adipisci. Nunc siquidem tempus est, vt omnes animi tui vires colligas, atq; ingentib' negotiis accingaris. Nihil est actum, si quid Caesarei moris habes, cū & multa supersint, & supremam tua celebris gloria manum poscat. Vidimus te aduersae fortunae magnificentissimè reluctantem, iam cernimus te victorém, sed en totiens victa reuertitur aspectu mitior, & auratae cassidis, vt ita dixerim, fulgore suauior vicisti aduersam, prospera redit in prelium. Quid putas? Mutata sunt arma non hostis, & tibi quoque nouo armorum genere opus est. Nolo enim existimes, minus esse negotij, quando hostis est blādior. nullum insidiosius bellum est, quàm vbi blanditiis credulitas oppugnatur, in Arcto quidem egregiè rem gessisti, qualem te in aperto exhibeas expectam'. Multos in angustis indefessos, cāpestris pugna lassauit, multos in aduersitatib. fortes viros fortuna prosperior strauit. Hannibal Cannis victor, vict' est Capuę, & ardorem quē Trebia glacialis accenderat, tepor extinxit. Sępè pax periculosior bello fuit. Multis nocuit aduersario caruisse. Quorundam virtus otio latuit, quorundam verò prors' emarcuit, locum submoti hostis occupante luxuria. Nulla homini pertinacior lis est, quàm cum animo, moribúsque suis. Nusquam minùs induciarum, intra murum pugna conseritur, hoc genus hostium bello languidū, pace feruidum experimur, & sub toga plus ausurum, quam sub galea. Vt cęteras gentes sileam, Romanos bello indomitos, & omnium gentium victores, pax tranquilla perdomuit, & vt quidam illius aeui scriptores, elegantissimè lamentantur, victum orbem, victorū victrix vita est. Quod presagire videbatur Scipio ille vir optimus, à senatu habitus, dum tam enixè Catonis sapientissimi, licet senis, aduersante sententia, deleri Carthaginem prohibebat, non quod illam parcius odisset, sed, ne, vt ait Florus, metu ablato aemulae vrbis, luxuriari foelicitas nostrae vrbis inciperet. Qui vtinam consilio valuisset, mansissétq; potiùs nobis cum hostibus, & cum Carthagine, quam cum

vitiis

vitiis & voluptate certamen: meliori loco res starent, vt puto, rariúsque pugnatum esset & crebriùs triumphatum. Quorsum hæc forsan interroges? Quia scilicet multos auguror futuros, quibus quiescendi iam tempus esse videatur. Mihi penitùs diuersa mens est, si me audire volueris, scies vnum esse laboris, & vitæ finem, tibíque & omnibus claris viris, vsq; ad extremum spiritũ, vel cum visibili, vel cum inuisibili hoste luctandum fore, quin etiam vide, quantum à communi opinione dissentio, geminatum tibi laborem, & senties, & gaudebis. Nullo vnquam tempore, tam magno conamine consurgendum tibi, tam supra seipsum attollendus anim⁹ fuit, ad summa certamina ventum est, vniuersus orbis intelligat, in vtraque fortuna. Qualis, quantús-ve vir fueris, neq; tu tantum, sed qui tuis etiam consiliis obsequuntur. Habes regem animo senem, annis adolescentem, cum quo terra, maríque iactatus es, quem per multa præcipitia cogente fato, in summum status humani fastigium perduxisti. Ostende illi, quibus in hunc fortunæ verticem sit euectus, quibus artibus consistendum sit. Neque tam deinceps enitendum, vt ascendat altiùs, quàm vt ascensu sese approbet. Non indignum & hæreditarium sceptrum, non magis sanguini debitum, quàm virtuti. Non facit virum, sed detegit principatus, & honores non mutãt mores, atq; animum, sed ostendunt. Persuade illi min⁹ esse Regẽ nasci, quàm iudicio regẽ fieri: esse enim fortunæ illud, hoc meriti. Doce, Deum colat, patriam amet, iustitiã seruet, sine qua regnum licet opulentũ, ac validum stare nequit. Discat violentum nihil esse longæuũ, & amari multo tutiùs esse, quàm metui. Assuescat nihil in terris optare, nisi bonam mentẽ, nihil sperare, nisi bonam famam, nihil nisi dedecus formidare. Cogitet quò altior est, eò se clari⁹ videri, eóq; min⁹ occultare posse quàm gesserit, & quò potentiæ plus est, eò minus esse licentiæ. Nouerit regem à populo non magis habitu differre quã moribus. Studeat ab extremis æquo spatio discedens, virtutem in medio suam sequi. Cesset prodigalitas, absit auaritia: illa opes vastat hęc gloriam. Sit sanè tenax famæ propriæ, sit parcus honoris, sit auarus temporis, sit largus pecuniæ, & illud Romani ducis modestissimum, animosissimúmque

responsum, semper in auribus eius sonet, Nolle aurum, sed aurum habentibus imperare. Malit subiectos abundare quàm fiscum. & intelligat diuitiis regni, dominum inopem esse non posse. Calamitatum semper meminerit ac laborum, quos calamitosa terra laboris, his temporibus passa est, tunc se foelicem, tunc se voti compotem, tunc se verè regem putet, quando criminibus alienis inuectas miserias propria virtute discusserit, damna restituerit, ruinas erexerit, pacem confirmauerit. Tyrannidem oppresserit, reddiderit libertatem. Inducat in animum amare, quos regit, nam & amando amor quæritur, & nullum certius regnum est, quàm præesse volentibus. Salustianum illud dogma. Regni nunquam ex animo regis tui, non exercitus, neque thesauros præsidia regni esse, sed amicos, eósque nec armis cogi, neque pecunia parari, sed officio & fide. Et quæ in eandem sententiam sequuntur. Concorditer viuendum esse cum suis, concordia enim paruas crescere, discordia maximas res dilabi. Exemplo M. Agrippæ plurimum huic sententiæ debeat, per quam & frater, & socius, & amicus, & Rex bonus fiet. Amicitiis post Deum, post virtutem nihil charius habeat. Quem semel amicitia dignum duxerit, nulla consilij parte submoueat: sequénsque Senecæ consilium, omnia cum amico deliberet, sed de ipso prius. Multum fidat, sed non multis: & instat. Verum amicum à blando hoste discernere, veras laudes accipiat, vt virtutum stimulos, blanditias coerceat vt venenum. Tardè eat in amicitiam, tardius inde discedat, & si fieri potest nunquam. Idipsum non præcipitanter sed pedetentim faciat, & vt est antiquo prouerbio. Dissuat amicitiam, non discindat. Qualem præstat, talem ab aliis animum speret, neque à quoquam diligi sibi fingat, quem ipse non diligit. Error iste potentum est. Liberrimi autem sunt affectus, iugum non ferunt, dominum non agnoscunt, nunquam amor nisi amore cogitur. De amico sanè nihil mali cogitet, nihil temerè cuiquam credat, pellat suspiciones, delatoribus aurem neget, pertinacius instantes arguat, non desinentes puniat. Imperatoria vox est, Princeps qui delatores non castigat, irritat. Alexander Macedo, licet impetuosissimus ado-

adolescens, eximia tamen fiducia contẽpsit accusatorẽ, & fœlix fuit euentus vt debuit. Siquidem porrectam sibi potionem à Philippo medico, quem amabat in manibus habenti, superuenerant literæ à Parmenione, quibus admonebatur Philippum Darij muneribus expugnatum, necem eius hosti promisisse, itaque cauendas insidias, & mortiferam potionem. His ille perlectis, protin⁹ exhausit poculum, & mox Philippo literas tradidit legendas. Obtrectatores alto animo despiciat, & sic viuat, vt eos vel in silentio redarguat, probétque mentitos. Memorans Augustum rescripsisse Tyberio, non esse indignandum, quod de se quisquam malè loqueretur. Satis est enim (inquit) si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit. Præclarè, alioquin plus haberet homo quàm De⁹, qui licet inaccessibilis sit nec possit offendi, humanis tamen sæpe conuitiis attentatur. Hac igitur in re rex tuus exerceat animum atque aures. in qua non tantùm huius omnium maximi, ac modestissimi principis, cuius modò mentionem feci, sed & Magni Pompeij ciuis amplissimi, & Pyrrhi regis, & Pisistrati Atheniensis tyranni, patientia commendatur. Secretum verò suum ab aliis inquiri æquo animo ferat, alienum non magnoperè scrutetur. Magni animi est talia non curare. Contrà autem propè par vtrobique diffidentia. Talis fiat qualis videri vult. Tum demum in se nihil occultum volet, nec magis horrebit hostis occultum quàm amici, nec pluris faciet consilium quàm testimonium æmulorum. Pari fiducia Scipio tot castris exploratores, Romanorum atque Carthaginensium circumduxit. Pari animi magnitudine, Iulius Cæsar & captum Domitium dimisit, & transfugam Labienum spreuit, rerum licet conscium suarum, & non semel arcana hostium inuenta, nec vnquam lecta combussit. Ad hæc non temerè, neque fortuitò Serenissimi titulum sibi impositum arbitretur, sed vt in animum eius Deo proximum & humanis passionibus altiorem, nulla mœroris nebula, nullus flatus lætitiæ gestientis, nulla pauoris glacies, nullus libidinum terrenarum fumus possit ascendere. Iram in principe turpissimam non ignoret, crudelitatem verò nominari etiam nefas esse, eò funestiorem, quò

noscendi plura suppeditant instrumenta. Sentiant verum esse, quod ait Tragicus:

Omne sub regno grauiore regnum est.

Atque ideò minaci tumore deposito, communem se subiectis exhibeat, & quicquid in illos statuerit, de manu sui superioris expectet. Superbiam, nec minus inuidiam plebeium malum credat esse non regium. Cur enim vel superbire regem oportere, qui debitor munerum tantorum, & tantò sit obnoxius creditori? Vel cur etiam inuidere, qui supra se neminem tam multos autem infra se videt? Veritatem totius fidei fundamentum esse non dubitet, & mendacio prouenire, vt vera loquentibus non credat. Plurimum enim veri parua falsitati aspersione fuscari. Itaque si credi sibi aliquid cupit, omnia vera loqui in consuetudinem trahat, atque ita linguam instituat, vt mentiri nesciat. Quid enim ridiculosius, dicam an periculosius rege mendaci? Sub quo necesse est incertam, trepidámque Rempub. fluctuare? Stabile prorsus ac solidum verbum esse debet, in quo fundata est tantorum spes ac tranquillitas populorum. Cur autem mentiatur, cui maximè expediat, nullum si fieri possit vsquam esse mendacem? cur aduletur, qui nullum metuat, nihil speret? Quos adulatorum stimulos non impropriè, videor dicturus. Cõtra etiam, cur se iactet, cùm laudare seipsum rebus deceat non verbis? Cur minetur, cùm sola valeat fronte terrere? Cur in quempiam excandescat, cum possit etiam tranquillus vlcisci, possit & parcendo vindictæ genus nobilissimum exercere? Caueat præterea immoderatius exultare, occupationes circumspiciens immortales, desinat tristari, honores suos & diuinã erga se munificentiam recognoscens. Nulli se negare audeat, cum nõ sibi soli, sed Reip. natus sit. Compertum habeat, se res suas agere, quotiẽs subditis opẽ fertet. Sit æquitate temperatus rigor, sit seueritas mixta clementiæ, prudẽtię insit alacritas, maturitas celeritati, securitati cautio, modestiæ iocus, auctoritas leuitati, sit in gestu decor, conuiuio sobrietas, suauitas in sermone, in repræhensione charitas, in consilio fides, in iudicio libertas, in risu tarditas, modus in accubitu, grauitas in incessu. Sit enim calcar

in præ-

in præmio, frenum in supplicio, ad illud ardenter, ad hoc pigrius accedat, alio vultu superbum hostem, alio ciuem noxium feriat. Illic exultet, hîc doleat, exemplóque ducis eximij, suorum scelera inuitus tanquam vulnera attingat, quæ nisi tracta, tractatáque sanari non possunt, (vt Liuius ait) & cum gemitu ac lachrymas, haud secus quàm viscera secet sua, affigátque animo regem misericordia simillimum Deo fieri, & penitus errasse Philosophos, qui misericordiam damnauerunt. Magnanimitatem peculiarem regibus esse virtutem, sine qua nec regio nomine digni sunt, humanitatem si adsit, non virtutem esse hominis sed naturam, si desit monstrum potius esse quàm vitium. Eo magis regis debitum, quo magis reliquos homines debet excellere. Is qui primum in hominibus locum tenet, eam quæ in hominibus pulchra sit, esse pulcherrimam in principe castitatem. Nil pudico rege formosius, nil obscœnius impudico. Gratitudinem mutis etiam animantibus insertam, turpiter humanis abesse pectoribus, eam cæteris ornamento regi etiam præsidio fore. Ingratitudinem regi neruos, robúrque corrumpere, dum & obliuioso piget obsequi, & & ingrati animi voraginem fundo carentem, permittis explere muneribus, Denique oneroso honore, & onerato se pressum onere fateatur, eúmque qui rex fiat, & si autem fuerit expeditus, ac liber, ex illo tamen honestam suscipere, sed laboriosam ac sollicitam seruitutem, & sub qua publica sit libertas, viuendúmque sibi deinceps exemplariter. Exemplo enim regum regna componi, & requiri solere de manibus præsidentum, quicquid vulgus errauerit. Nihil sibi proprium velit præter sceptrum, & diadema, & quæ hinc oritur curam de salute, omnium gloriosam, sed difficilem, ac multorum capitum, hidræque non dissimile renascenti. Præstet acrimoniam ingenio debitam, verecundiam ætati, virtutem generi, impio maiestatem. Purpuram spernat, contemnat gemmas, despiciat voluptates, & irrideat vniuersa quæ fugiunt, æterna sola suspiciat ac miretur. Arma, equi, literæ, suppellex regia, pax, & bellũ, exercitationes regis sint. Vtrobique Romanis artibus regnet, quæ, vt Maro meminit,

—*pacique imponere morem,*
Parcere subiectis & debellare superbos.

Postremò norit hanc vitam aliam esse magni discriminis, non ad ludum, iocúmque, non ad iners otium, non ad degenerē luxum, ad nihil aliud denique hominib' datum, quàm vt breui merito aeternitatis aditum pandat, & famę materiam sempiternę. Itaque rerum se bonarum docilem praebeat, cupidè legat, atque audiat maiorum gesta virorum, & exemplo illustrium fit seruator, sollicitus & feruidus imitator. Illud nominatim denique teneat, quod olim ab illo magnifico inuictarum vrbium euersore seruatum in exercitu Numantino, multis deinde Romanis ducibus disciplinae militaris exemplum fuit, vt sicut ille castris, sic iste vrbibus ac regno instrumenta luxuriae depellat, & mores longa licentia deprauatos corrigat, sine quo spes salutis non dicam victoriae nulla est. Hoc ab ipso illo, alia sumant ab aliis, è quibus omnibus perficiat clarum virum. Quótque in signa nomina praecesserunt, tot sibi magistros vitae tot sibi duces ad gloriam datos sciat: non minus interdum accendunt generosos animos exempla quàm praemia, nec minus verba quam statuae: iuuat laudatis sese conferre nominibus, & pulchra aemulatio est, quae de virtute suscipitur. Ac ne curiosa inquisitione tempus terat, habeat ante oculos rex tuus, non peregrinum, vetustúmque, sed recens ac domesticum virtutum omnium, ni si me amor fallit, exemplar idoneum, illustrem ac diuinū eius patruum Robertum, cuius quàm regno vtilis vita esset, mors damnosissima declarauit. Illum intueatur, ad illius gloriam se nitidissimo speculo contempletur. Ille sapiens, ille magnanimus, ille mitis, ille rex regum, erat. Illum vt tempore vt sanguine, sic animo sequatur & moribus. Saepe enim cū caeterarum rerum, tum praecipuè ingeniorum immutatio foelix fuit: tam bonus est, qui fieri bono similiter studet. Multa dixi, sed prae magnitudine rerum pauca, plura etenim sunt quae restant. Tu quidē propè omnia praeclarissimè vir, humeris tuis sentis incūbere. verū magno moribꝰ, nihil est graduū, nihil durū, nihil graue, nisi nō amari. Id tu causari nō potes, de alūni tui amore, iudicióq; certissimus.

simus, dúxq; & auriga cōciliorum eius, nō Chiron Achilli gratior, nō Palinurus Aeneæ, nō Philoctetes: non Lęlius Africano. Eia ergo, perfice quod cœpisti, omnia fert enim charitas, omnia vincit amor: profectò autem, qui gloriæ partem petit, consequens est, vt solitudinis partem ferat, aurum profundè fodit, de longinquo vehuntur aromata, Thus Sabeis sudat arboribus, Muricem Sydon, ebur India, margaritas mittit Oceanus, difficile paratur omne quod in pretio est, non est quæsitu facile, pretiosissima rerũ virtus, auro splendidior fama est, labore quæritur, studio detegitur, diligentia custoditur. Rosa inter spinas habitat, inter difficultates virtus, inter curas gloria; illic digitus periclitandus, hic animus: hũc tu igitur gloriosissimis accinge primordiis: dum enim consummasse putas omne, incipies, hunc optimis & regis, & reip. curis exerce, quib⁹ exagitatus, & fœlicius hic aget, & postquam hinc abierit, Cicero opinatur & nos scimus, velocior ad sedes æthereas peruolabit. Vale patriæ decus ac nostrum x. Calend. Martij, Auionensi. M. C C C. L.

FRAN. PETRARCHA AMICO SVO, S. Epist. XXII.

Nihil in amicitia loquacius amicorum colloquio, literarúmque otium & fidelem amicitiam, animi bene instituti esse dua solatia, duo autem tædia, Occupationem & turbam.

ONerabo te literis, obruam te papyro, non finam te aliud legere quàm nugas meas, nullum respirandi spatium dabo: Comminatus, siue pollicitus erã, tibi breuiores deinceps epistolas meas formare, quod occupationi nostræ debitum erat, ne dicam fastidio eorum, quibus omnia sunt prolixa, nisi quæ hebes atque insolens eloquentiæ suæ forceps, absciderit, nunc vt video multiplicãtur, & crescunt, nil in amicitia loquacius amicorũ colloquio, nulla enim breuis vox, nullus non angustus dies fuit, cupidum dum conuenerat amicorum par, improuisè fugiunt horę, non loquentibus tempus, nō ambulantibus rurà sufficiunt, non gelu, non æstus, non fames, non lassitudo sentitur.

Omnia vincit amor.

Duo sunt bene instituti animi solatia, literarum otium, & fidelis amicitia: duo tędia, occupatio & turba: ultimum in vrbibus, primum illud optimè in solitudine, & in e...cone nostro semper experior, siue mane solus in syluas ierim, siue dulcis interuenerit amic⁹, nullus est finis, non prius obire solem, quàm abiisse perpendo sin vespertina congressio est, non axem flecti non stellas labi sentio, denique non fugam noctis intelligo nisi solis aduentu. Ego quidem perlibenter sum tecum, nunquam non præsentior es mihi, quàm dum vel te alloquor, vel loquentem audio hic, & epistolarum tuarum ista cupiditas, & prolixitas mearum. Inuitus enim auellor, alloquor te dum scribo, audio te, dum epistolas tuas lego, vtrobique te audio, tecum fui hodie, sanè quia tecum nihil erat, & intermissiones occupatis animis non minùs quàm exhaustis agris vtiles esse solent, aures magnis rebus parumper ablatas, non inamœno ridiculo prostabis. Neophitus quidem ille, quem hacten⁹ nesciebam, eò quòd literas tuas illu loquentes, de manibus non suis acceperam, ab ipso die, dum fortè huius sociam scribere, ad me venit, cum vestibulum priùs atque atrium, totámque domum verbis impleßet, nihil motus: ab assuetis enim non fit passio: excipio hominē, vultu quam animo lætiore, non quod aut me etiam intermißio non delectet, aut hospitem non amem, sed quod tempore minus idoneo obambulans, & nescio vnde reuertens, mediocribus curis, non satis opportunis incessisse videretur. Quid multa? Consedimus: Incipit ille de inexhausto fonte verborum, imò verò continuat, iam enim antequam limen attigisset inceperat.

Demitto auriculas vt iniquè mentitus asellus

Cum grauiùs dorso subit onus. Ille mox vrgebat instante, linguæ fustibus, ad pistrinum agere: Ego autem nihil, nisi quod dum ille mihi linguam suā, ego sibi aures meas accommodo; ita illinc loquendo, hinc tacendo, impari pugna conseritur. ... illum in hoc statu res essent, hortari illum incipio subducat equum, séque familiari prandio, cuius iam tempus instaret, æquum prębeat. Ille autem ad hæc surdus, sed non mutus, ad propria cœpti sermonis

torrente

torrente profluebat, multa de te in primis, quàm mihi, quàm illi itidem amicus: mirari cœpi, quisnam iste Dionysius, qui nobis quoque tertius accessisset, Damonis ac Pythiæ moribus simile nihil habens, nec satis intelligere, vnde ille te nosset, de me enim non miror, ab extrema infantia, nescio quo sydere hæc me lingua persequitur, nec mutasse clymata, & effugisse patriam me iuuat, in te nostra omnis admiratio, vt nobis non animus modò, sed fatum idem, vt euntibus via sacra Bolanus idem semper obuius: quibus enim ad te ille tramitibus penetrasset incertus eram nec memineram, me illi aditum præbuisse, cùm enim ante aliquot menses, ille mihi sub ardentissimo sole puluerulento, & arcto quodam loco occurrisset, méque confestim ex more verbis aggressus esset, nec spes operis superesset, aut fugæ; sed hinc sol, hinc puluis, hinc cicadæ, hinc Bolanus iste certaret, quid facerem: iubebat ille aliquid sibi committi in patriam, ad amicos, negabam ego commisso opus esse. ille transuerso quadrupede, occupatis angustiis, obstabat: cepi consilium ex tẽpore, vtique te meis verbis salutaret imposui: ita contentus ille ministerio cessit, & ego è manibus amici hostis quasi, ratus id verbum, quod mihi elapsum esset, nequaquam tanto studio colligendum, seruandúmque, sed verborum impiger agricola loquendi semen oblatum, non tam sterilibus sulcis mandat, quin tam centesimum fructum ferat, sic sementis exiguæ copiosissimam messem referens, capax horreum, patulæ auris impleuerat, multa super Priamo cumulans, super Hectore multa: super te autem ante alios, quæ stylo quolibet ad me perlata mulcebant: cætera verò rancidiora, de seipso, de amicis, de cognatis, de affinibus, de vernaculis, de clientelis, omníque sodalitio, de vniuersa familia, quid germana, quid neptis, quid vicinæ omnes agerent, postremò de canibus ac lupis, de leone patrio, de tota Repub. de præside prouinciæ, de primoribus populi, de sterilitate annua, & de innumerabilibus aliis, quæ memoriam vincunt, vt non minùs ego quàm apud Milonem suum Apuleius posset, si nox esset, non modò somnolentus balbutire, sed stertere, conatúsque solis fabulis cubitum ire dum ecce cocus increpitans, horam

prandij transire denuntiat, nihil ille lenescere. sed enim quaedam excusare, quòd literas ad me tuas quas afferre debuerat praetermisisset, nuntij celeritate fortuiti, festinationi tuae consulens, nec dum talia dicente illo: ô segne cerebellum. Subibat animum quid praesagij esset, ita mihi persuaseram, illum in somnio fabulare, inde cum miris modis obtunderet, vt iam in labiis esset illud Horatij:

Confice, namque instet mihi fatum triste,

Subito expergiscor, faciémque respicio, vt noti noua forma viri, vt religio sine literis, vt cętera omnia, quae epistolae conuenirent tuae, similique ad meipsum redeo, & mecum possit-ne is esse Neophytus quem mihi pridie meus ille sapidissimo sale descripserat? Ille est haud dubiè. En rudis & noua religio, en illa verborum largitas, singula conueniunt, ille est. Talia cogitantem tantus risus arripuit, vt nec rationis freno, nec commorsicatis digitis, nec vlla meditatio dolendarum rerum cohibere potuit, tum liquido expertus sum esse vt aiunt: affecti animi motus indomitos. vt verò ridentem ille me vidit, quaesiuit quid rei esset, admirans: ingenio impigro erat opus, nec enim consultandi, quid loquaciter spatium inopina res dabat, ex improuiso respondendum erat: verum enimuero ex hominis habitu, materiam responsionis arripio, & heus, inquam, quis non stupens rideat, qui te meminerit armorum gloria paulò antè clarissimum, eundémque nunc videat tanta gratia religionis insignem? Vtrámque vitae viam, multum diuersis studiis, breuis spatio temporis honestasse? Laetari praeconio visus est, & rauco plausu titulum bellicae laudis amplecti, séque protinus in talos attollere, quo grandiusculi formam bellatoris indueret, haec inter discubuimus, ille plenus laetitia, cibo feriari contentus, bibere & loqui: ego autem satis habui audire, & silere & vicissim erupenti cachinno frena substringere, cum totus non nisi de re militari sermo esset, qualiter arma mouenda, qualiter feriendus hostis, qualiter declinandus, Phormionem illum, dicens, nisi quod ego Hannibal non eram. Caeterùm nostri quoque seniculi, mirus feruor, & inexhausta copia peregrinae materiae. singula nutu quidem approbabam, nam haec loqui poteram, nec

si possem, ille permitteret. Sic totus ille transisset dies, nisi publicum horologium, quo vltimo inuento, per omnes ferè iam Cisalpinæ Galliæ ciuitates metimus tempora, prælium diremisset, admonitus enim diem ire, surrexit. Ego illum ad limen cum pueris prosecutus sum & egregium bellatorem, vix omnes sustulimus in tergum equi, cui ad capellæ squalentis effigiẽ, præter cornua nihil desit, cum interea nil nisi rei militaris, epilogus loqueretur, quid te in verbis tenes? Vix tandem inde diuulsus est, nescio historiæ finem: nutãtes, ruinámque minitantes abierunt, neque compertum habeo, in quam foueam equus, sessórque ceciderit: quod extremum petiit, fuit, vt per me tibi, per te familiæ eius innotesceret, cum huc corpore quidem, vt ipse ait, vt ego testificior lingua incolumem peruenisse. Vale.

FRAN. PETRARCHA AMICO SVO, S. Epist. XXIII.

Reprehendit eos qui eloquentiam potius quàm virtutem sectantur.

Risi vt iube, non ea tamen, qua iubebas ratione, sed alia quadam, neque enim ideò, quod tibi tantisper Latini sermonis vestigia titubassent ridiculũ extimaui, sed quod titubasse tam grauiter puduisset. Ita ego te vnius verbi, imò vnius syllabæ, imò verò vnius literæ sollicitum vidi, quæ tibi quidem elapsa, & haud duriter auribus meis illapsa erat, vt dicerem, O doctissimorũ licet hominum curas! Cui enim quæso non idem possit accidere? Cicero noster summus Latini eloquij parens est, proximus illi Virgilius, seu quoniam de hoc ordine dubitasse quosdam video, sunt certè Romanæ facundię parentes Tullius & Maro, quod qui mihi negauerit nil ipse sibi consenserit, vtriq; tamen Grammaticale est, integrarum etiam dictionum, cuius tædio Cicero ipse in epistolis ab Attico suo poscit auxilium, quo se magna molestia liberandum dicit: atqui siquid est in arte Grammatica, vbi titubanti, labantíque venia debeatur, in Pręteriti perfecti propemodum ambiguitate posuerim, cum vt Grammaticorum princeps ait, ipsi probatissimi artiũ scriptores, nõ omnino certis hæc regulis asseruisse noscan-

tum. Sed non ego perinde, vbi nunc excusationes accipio, quasi ille tuus, & non calamus potius, quam inaduertentiis animus lapsus sit, quod ipsum quoque venia dignum erat, hic verò tam nihil culpæ est, vt ne illius veniæ locus detur, quando cum ingenio tuo, ori, quæ atreco exciderer, quod procul dubio si vel insomnis loquereris aduerteres: multa fugiunt calamum, & plura sæpe magnis ingeniis & magna tractantibus. Nihil habent nisi carpitur: magna rerum domini parua damna non sentiunt. *Pauperis est numerare pecus* (inquit Naso) sic est ingenium locuplex, quasi diuitis heri domus, quæ quò maioribus aucta lucris, eò magis seruilibus furtis obnoxia est. Tu ergo perfluxi dicere voluisti & profectò dixisti, calamus iugi opere fatigatus geminam subtexuit consonantem. Parce suspicionibus, iam maior es quàm qui vel obtrectatorum iudicio, in talibus per ignorantiam labi possis: sed vide oro cogita, & intende acriter, non tantum stylo ne obsit, sed vt animo prosit error calami. Vide amice quanto nobis omnibus qui puluerem palæstræ huius attingimus, maior sit eloquentiæ cura quàm vitæ, & antiquius famę studium, quam virtutis, quanta quæso vigilantia cauemus, nequid in sermone sordidum, inciuile, aut inelegans sit cum vitæ interim negligentes, multa ibi squalida prorsus, & horrentia contemnamus. Ita paucorum humanorum seruantissimi, diuina iussa transgredimur, quando vt bene viuamus, lex immobilis Dei est. vt non sic, aut sic loquamur, humanum placitum atque conuentum, quotidiani vsus imperio motũ sæpe, mouẽdũque. Hæc nimirum est illa peruersitas, quam pater Augustinus in Confessionibus suis deflet. Cuius verba quoniam mihi placuerant, & tibi placitura ratus inserui. Vide inquit, Domine, Deus meus, quomodo diligenter obseruẽt filij hominũ pacta literarũ, & syllabarũ, accepta à prioribus locutoribus & à te accepta æterna pacta perpetuę salutis negligãt, vt qui illa sonorũ vetera placita teneat, aut doceat, si cõtra disciplinã Grãmaticã, sine aspiratione primæ syllabæ hominẽ dixerit, magis displiceat hominibus, quam si contrà tua præcepta hominẽ oderit, cùm sit homo. Multa tibi prętereà in hãc sententiã queritur, nec iniustè. Cum enim eloquentia sit

pauco-

paucorũ valdè, virtus autẽ omniũ, q̃ est paucorũ omnes appetũt. quod est omniũ nemo. Nemo enim hoc Grammaticæ tantũ exprobratũ putes, quẽ mihi Poëtarũ dabis, qui non pri⁹ eligat vita claudicare, quã carmine? quẽ historicũ, qui cũ res omniũ sęculorũ literis, quod memorięque mãdauerit, q̃ reges egerint aut populi, quæ rerũ series, quæ tẽporũ alios docuerit, quid ipse agat, rerũq; suarum ordinẽ, vitæq; breuis reddere rationẽ velit, aut valeat? Iã vt percurrã reliquos. Ostende mihi Rhetorẽ, qui non magis orationis deformitatẽ horreat, quàm vitę. Ostende mihi Dialecticũ, qui non ab effectib⁹ propriis, ab conclusiũcula vinci malit, quàm aduersarii? Sileo Arithmeticos & Geometras qui omnia numerant, omnia metiuntur, vnius animæ numeros ac mensuras negligunt. Musici numerũ ad sonũ referũt, huic studio omne tempus impendunt, hi sunt qui contemptis moribus tractãt sonos, Ciceronianũ illud obliti: Maior & melior est actionũ, quàm sonorũ cõcẽt⁹. Illic ne discreparet elaborãdum erat, hîc sperni poterat, in quo tanto operę laboratur. Astrologi cœlũ lustrãt, astra cõnumerãt, audi rẽ vt ait Plini⁹, etiã Deo improbã, quid imperiis, aut vrbib⁹ euenturũ sit, tãto ante denũtiãt, quid sibi quotidie eueniat, nõ attẽdũt, lunę solisq; defect⁹ preuidẽt, prẽsẽtẽ eclypsim animę nõ vidẽtes. Iã qui clarũ Philosophiæ nomẽ habẽt, vel rerum causas quęrũt ventosa iactantia: Scire autem negligunt, quid est De⁹ rerũ creator omnium, vel virtutes loquendo describunt, viuendo destituũt. Postremò qui sibi nomen honestũ præsumpserunt, & diuinorũ scientiam sunt professi, quò deciderint vides. Ex Theologis Dialectici, atq; vtinã nõ sophistę, neq; enim Dei amatores, sed cognitores, neq; id esse cupiunt, sed videri. Itàq; cũ alterum silentio sequi possent alterũ strepitu consequuntur, en quò mortalium redacta sunt studia. O vtinam scires, quantus nunc mè vrget impetus, quantus docendi calor accendit, vt de his copiosissimè disseram, sed maior, confusiórq; rerum area est, quàm quæ præsenti calamo verri queat, & nisi fallor, super incolo tui breuis epistolæ fundamento, satis ædificatum est. Ad hæc & mihi semper optatæ solitudinis otiique dulcedinẽ, quãta nuper inuisæ

frequentiæ, & insperatarum occupationum amaritudo conspexerit, forsan audisti, nimium diu securus fueram, nimium diu liber, nimium meus. Inuidisse fortunam dicam, an fortè credidi, ac esset ne lasciuiore animus voti compos inciperet? Fateor enim solitudo otium, libertas, tamen nisi perfectæ virtutis, consummatique animi bona sunt. Vnde me otium abesse sentio, & lugeo; profectò autem animo passionibus obsesso nil ocio peius, nil solitaria libertate damnosius: tunc obsceni subeunt cogitatus, subit insidiosa luxuries, blandum malum, & familiaris occisarum mentium pestis amor, quibus ego me laqueis absolutum rebar, sed fortè fallebar, ferenda fidelis medici licet asperior manus, fortè latentibus consulitur malis, aut rediuiuis morbis occurritur: & fortè breui incommodo, lōga præteriti, venturique otij fœlicitas commendatur. Certè ego dum fata, Deúsque sinebant, otio meo cupidissimè fruebar, & fruerer si mansisset. Nempe quod in finem valde optas, vt merearis inter discipulos meos dici, quid nisi nimis amicum, & modestum, & humile notum est? Inter amicos diceris, eósque non vulgo, sed vt docti vocant quorum vides quanta penuria est. Ego te quidem, vt studiorum & voluntatum omnium, vt patriæ, nominísque participem habeo, sic siquid id est, & gloriæ velim, haud ignarus, fœliciter me hoc contubernio mercari, opulentámque sacietatem, magnámque lucri spem, paruo mihi famæ peculio comparari. Et vale.

FRAN. PETRARCHA GVLIELMO DE PASTRENGO, S. Epist. XXIIII.

Conqueritur de illius silentio, petítque vt scribat.

HEus chare, quibúsnam luce latibulis lates? quibus in abditis abderis? En ad Lælij nostri pergo fores, te peto, vox non datur, pulso non aperitur, quorsum hæc? Egredere, corám cupido te exhibe, fare, age, corā quem quæritis, adsum.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA GVLIELMO DE PASTRENGO, S. Epist. XXV.

Reddit rationem cur Pastrengus eum videre non potuerit.

DIgne quidem admirans, quibus ego latebris delitescerem quærebas, aut quid nouæ rei contigisset, propter quod tibi oris mei præsentia, solito rarior occurreret, & nunc aliquantò dignius miraberis, quid hic præstigij sit, quod cum relicto rure, mihi hac præsertim anni parte gratissimo, faciem tuam visurus, ad odiosam semper ciuitatem rediissem, te insalutato, sic repentè discesserim. Vtriusque ergo rationem accipe, quam breuissimis verbis, digerendam fortè latiùs apud te. Mihi enim & nuntius hic, & sol ad Oceanum properans breuiloquium suadent. Subegerat me sibi pridem vita lautior, ea quæ in vrbibus agitur, & in ea vrbe potissimùm, vbi tu nunc es, illic multos per annos, quas miserias, quósue labores pertulerim infœlix, non epistola breui opus est, quibus tandem exagitata mente cernens, nullam nisi in fuga libertatis, spem relictam retrahentibus, quanquam his, quibus me amando perditum ire mos fuerat, profugi, & eripui, meipsum periculis quacunque patuit via. Atque omnes fortunæ minas perpeti decreui, dum mihi vel prope mortem aliquantisper viuerem. Cœperat enim sensim quod optabam contingere, & animus ex diuturnis compedibus relaxari inenarrabili quadam dulcedine, & cœlesti vitæ simillima. Sed quanta est duratæ consuetudinis vis. Sæpe adhuc infaustam mihi ciuitatem repeto, nec vlli⁹ vnco necessitatis tractus, vltrò in laqueum redeo, & ex portu totiens naufragium passus, relabor in pelagus, quibus vrgentibus flatibus incertum est. Mox omne mei ius eripitur, mihi vndique ventorum rabies, vndique fluctus & scopuli, cœlum vndique, & vndique pontus, postremò mors vndique, & peius morte vitæ præsentis tædium & venturæ metus ante oculos. Quod itaque me his proximis diebus videre nequiueris, scito nullam causam fuisse aliam, nisi curæ veteres ex edentes cor miserum, confestim vt me in mœnibus suis inuenerunt,

tanquam [illegible] sermo, [illegible] carcerem, [illegible] & verbera, cum [illegible] experirentur, nostri [illegible] si & me videre [illegible] & aduersus [illegible] Vale memor nostri.

GVIL. DE PASTRENGO F. PETRARCHAE S. Epist. XXVI.

Quod carcerem exierit atque in Vallem clausam se contulerit laetatur, eiusque loci amoenitatem describit.

Haud equidem fugam tuam aequo animo ferebam animo, priuor namque conspectu grato, careo dulci eloquio, veras non audire datur voces, nec mente profectò concipio, quónam pacto eius queat non esse tristis absentia, cuius conuersatio fuit dulcis. sed tabescenti, aegróque animo, curarúmque vndanti fluctibus, epistolae tuae occurrit lenimen, hac edoctus te carceris exosi euasisse claustra, vincla rupisse, laxasse compedes, ergastula reiecisse, procellosum transnatasse salum, cupito appulsum littori, optato portum solo, edaces animi sedari sunt turbines, & furenti freto lenis suborta tranquillitas. Liber nunc volatus tui liberi, de plurimis pauca referre, videre nempe saepe te videor, parente Memnonis equis euecti roseis, auium concentu dulcisono, praelabentis riui garrulo excitum murmure per anfractus collium rosidos montium, iuga conscendere, & herbido sedens cespite, mare fortè vehiculum, culta terrae, iacentésque despicis terras. Nō pugillares desunt, meditaris sed illò: semper aliquid scriptitas vt te tibi meliorem reddas. Delio coeli petente summa domum repetis Fabricij, Curiique non aspernatus epulas, membra paulisper à thoro leuas. At coeli medij, rapidos vt summoueas ignes, Vallem illā verè Clausam ingrederis, vbi sole iam in gyrum flexo montes ad ortum vmbram iaciunt, illic fons ille mirabilis, ex radicibus scaturiens, rupium centum fermè per ora, argenteas singultans aquas, totidem vomit fluctus,

qui

qui grandi fragore, rapidis per vallis ima præcipitatis verticibus inter saxa confraga, rauco murmure sonantibus, allisus scopulis, amœnum post paulò crescit, in amnem. Illic antrum illud ingens, atque terrificum. latebris nunc silentibus tacitum, nonnunquam horrendos fluctus eructuans, miram, gratámque æstuantibus temperiem præbet. Ibi specus alter aquis illimibus, vitro candenti lucidioribus imminens, nympharum vt reor domus. Illic tibi certam delegisti sedem, hunc iuxta crassa sedens in vmbra, vatem suum saxo repetens, dum protegit hædera, oblectante prospectu, amœnos oculos pascis intuitu: ibi tui acumen intendis ingenij perspicacis. Inibi de sede animi arcana depromis. Tunc Helicon, Aganippe, Aon, Pyerides præstò sunt, tunc Fauni, Nymphæ, Satyri, Panes, Naiades, Oreades, Dryades tibi plaudunt, tibi concinunt. Orbis tunc delicias, fugacem reputas vmbram, nec his comitatus choris torpes otio, desidia marces, vacas omnino, non inde profectò antè discedis, quam tabellas portes plenas, licet manus vt plurimum vacuas, bonus huiusce non solus, vt fortè autumas amice potiris, adsum coràm, tecum fruor pariter refocillor, exulto, & cresco. Dilecte vale, eiúsque qui tu alter es, memoriam habe.

FRAN. PETRARCHA GVLIELMO DE PASTRENGO, S. Epist. XXX.

Pastrengi profectionem quàm ægre ferat, significat.

TEnes memoriæ diem illam, qua de patria mea discedens, Pischeriam appulisti oppidum sanè munitum, decorum, mirabiléque, hoc solis ab ortu Benaco ex patre, per pascua læta prælabens, alluit Mintius, hic post largas dapes quieti dediti, honestis sermonibus insomnem parte ex magna traximus noctem. Illucescente die, conscendimus equos, non aurora vibrantes detexerat radios, nusquam cœli læta facies. tristem nubila tenebant lucem. Iam mœnium liqueramus septa, camporum tenebamus culta. iam patentes exieramus in agros, cum sub tris visib. nostris, hinc Benaci placida se offerunt terga, illinc Licana sylua, diffusos explicat saltus, festinares licet votis iter, captúsne loci amœnitate, ad

amici, quem [illegible] dulci praesentia pigrius incolebas. Ventum erat ad locum, quo amnis breuis Veronensem solum à Brixiensibus discriminat, amœno similis, continuo [illegible] atque amantis implicitus collo, in haec tandem verba erupisti. Distrahor à te chare, regionis exterae futurus incola, nunquam fortasse meis te praesentabis oculis, fides semper dubitabit amor. Nulla vnquam secula, distantiam veram oblitterabunt amicitiam, me possides, ego te. vale dilecte:

Sat tibi cura mei,
Sat mihi cura tui:

Et vale dicens parce quaeso, lachrymis non pepercisti. At ego distractus mente, mœrens corde, imbre suffusus, oculos: nil aliud potui dicere, praeter: Erit: diuellimur, abeuntem visu prosequor, spectare iuuabar, morantem vix retrahunt comites saepius lumina torqueo, lucem illam elinguis ferè pertranseo. Curarum nutrix sequitur, nox fugatur, somnus membris non datur quies. Dum profectionem tuam mente agito, coeli inclementiam, soli malitiam, ardua montium, lubrica vallium, obruta niuium, lutosa camporum, ventorum rabiem, proluuiones torrẽtium animo verso, solabar me, curásque his demere tentabam dictis. Viget aetas, valent membra pernicia, robur adest, valetudo suffragatur, iuuentae flore potitur, praestat animus cuncta virtuti cedunt, nunc sollicitudinibus huiusce liber, edomitis alpibus, ante reuerendissimorum patrum ora versaris, huic semita cedis, caput aperis, assurgis, illi alteri dexteram porrigis, & nonnunquam de more patrio in oscula ruis, nunc in Agricolae nostri aede iactaris, vacas sacris, Elisias circum agis sedes, columnae adhaerens Paphicè sacras colis lauros, frondis Delphice in vmbra gratularis. Gratulor & ego, nec liuoris felle torqueor, sed exuberãti gaudio farcior. Vale, fœlíxque viue, mi luce charior.

F R A N.

FRAN. PETRARCHA DOMINO GVLIELMO DE PASTRENGO, S. Epist. XXXI.

Librum quendam sibi mitti rogat.

GRatiam tibi habeo vir optime, quod te mihi adeò ... norigerum præbes, ego enim multo malim studiis meis, quàm voluptatibus opem ferri, quamuis & studia suas voluptates habeant immarcessibiles, honestásque; quas nulli hominum notiores arbitror esse quàm tibi: libro illo valde egeo in Virorum illustrium congerie, cui hos humeros qualescunque subieci. Oro ergo festina, scis quàm charum est tempus, horas & momenta librantibus, insupèr & pro eo nominatim gratias ago, quod me tam debiti admones officij, tenuaui vt suadebas, quod per meipsum fecissem, & iam cœperam, sed tarditatẽ meam nosti, & contemptum rerum: ita enim mihi contingat mori, ne totus moriar, vt multi versantiũ, ineptissima fabula & prorsus inane somnium videtur ferè quicquid in terris agitur. Stimulis ergo opus erat, hos mihi, morum meorum conscia tua fides, adhibuit: de euentu viderit fortuna: sed quid loquor? Nihil illam esse didici, præter nudum nomen, & præualuit apud me Graij vatis auctoritas. Viderit ergo Deus omnipotens cui Dauidicum illud dixi. In manibus tuis sortes meæ pium certè consilium, esse inefficax non debebit. Tu vale, Raynaldũ nostrum vt saluere iubeas precor. Mediolani. v i i. Cal. Augusti properẽ.

FRAN. PETRARCHA GVLIELMO DE PASTRENGO, S. Epist XXXII.

Quàm Pastrengum suum amet significat.

NOmen tuũ, optime atque exoptatissime mihi Vir, quo nihil dulcius audio, quódque hodie huius deuoti tui ore auribus meis insonuit, non dicam me coëgit ad calamum, qui nescio quo seu errore, seu fato, seu æstuum humanorum odio, vix nisi somno, vel necessitate alia excussus è manibus meis cadit, sed alio tendentem calamum huc conuertit, vt tibi scriberem: esse me Patauij corpore viciniorem tibi, quàm soleo (Nam

amici, quem relinquebas dulci præsentia, pigrius incedebas. Ventum erat ad locũ, quo limes breuis Veronense solum à Brixiensibus discriminat, amenti similis, continuisti animam atque amantis implicitus collo, in hæc tãdem verba erupisti. Distrahor à te chare, regionis exteræ futurus incola, nunquam fortasse meis te præsentabis oculis, fidus semper dubitabit amor. Nulla vnquam secula, distantiam veram obliterabũt amicitiam, me possides, ego te. vale dilecte:

Sit tibi cura mei,
Sit mihi cura tui;

Et vale dicens parce quæso, lachrymis non pepercisti. At ego distractus mente, mœrens corde, imbre suffusus, oculos: nil aliud potui dicere, præter: Erit: diuellimur, abeuntem visu prosequor, spectare iuuabar, morantem vix retrahunt comites, sæpius lumina torqueo, lucem illam elinguis ferè pertranseo. Curarum nutrix sequitur, nox fugatur, somnus membris non datur quies. Dum profectionem tuam mente agito, cœli inclementiam, soli malitiam, ardua montium, lubrica vallium, obruta niuium, lutosa camporum, ventorum rabiem, proluuiones torrẽtium animo verso, solabar me, curásque his demere tentabam dictis. Viget ætas, valent membra pernicia, robur adest, valetudo suffragatur, iuuentæ flore potitur, præstat animus cuncta virtuti cedunt, nunc sollicitudinibus huiusce liber, edomitis alpibus, ante reuerendissimorum patrum ora versaris, huic semita cedis, caput aperis, assurgis, illi alteri dexteram porrigis, & nonnunquam de more patrio in oscula ruis, nunc in Agricolæ nostri æde iactaris; vacas sacris, Elisias circum agis sedes, columnæ adhærens Paphicè sacras colis lauros, frondis Delphicę in vmbra gratularis. Gratulor & ego, nec liuoris felle torqueor, sed exuberãti gaudio farcior. Vale, fœlixque viue, mi luce charior.

FRAN. PETRARCHA DOMINO GVLIELMO DE PASTRENGO, S. Epist. XXXI.

Librum quendam sibi mitti rogat.

GRatiam tibi habeo vir optime, quod te mihi adeò onorigerum præbes, ego enim multo malim studiis meis, quàm voluptatibus opem ferri, quamuis & studia suas voluptates habeant immarcessibiles, honestásque; quas nulli hominum notiores arbitror esse quàm tibi: libro illo valde egeo in Virorum illustrium congerie, cui hos humeros qualescunquè subieci. Oro ergo festina, scis quàm charum est tempus, horas & momenta librantibus, insupèr & pro eo nominatim gratias ago, quod me tam debiti admones officij: tentaui vt suadebas, quod per meipsum fecissem, & iam cœperam, sed tarditatē meam nosti, & contemptum rerum: ita enim mihi contingat mori, ne totus moriar, vt multi versanti, ineptissima fabula & prorsus inane somnium videtur ferè quicquid in terris agitur. Stimulis ergo opus erat, hos mihi, morum meorum conscia tua fides, adhibuit: de euentu viderit fortuna: sed quid loquor? Nihil illam esse didici, præter nudum nomen, & præualuit apud me Graij vatis auctoritas. Viderit ergo Deus omnipotens cui Dauidicum illud dixi. In manibus tuis sortes meæ: pium certè consilium, esse inefficax non debebit. Tu vale, Raynaldū nostrum vt saluere iubeas precor. Mediolani. v i i. Cal. Augusti properē.

FRAN. PETRARCHA GVLIELMO DE PASTRENGO, S. Epist XXXII,

Quàm Pastrengum suum amet significat.

NOmen tuū, optime atque exoptatissime mihi Vir, quo nihil dulcius audio, quódque hodie huius deuoti tui ore auribus meis insonuit, non dicam me coëgit ad calamum, qui nescio quo seu errore, seu fato, seu actuum humanorum odio, vix nisi somno, vel necessitate alia excussus è manibus meis cadit, sed alio tendentem calamum huc conuertit, vt tibi scriberem: esse me Patauij corpore viciniorem tibi, quàm soleo (Nam

omnia videntem Deum testor, semper animo praesens sum) unum praeterea, & benevalentem ac iocundissime senescentem: quod ad aetatem attinet, fortunae nempe vulneribus, non aliis. quam nimirum crebris charorum mortibus impelli & concuti, me fateor non prosterni: de reliquo, veteribus illis meis deditum curis, quas, etsi taceam nosti, atque in primis tui memorem, tuique avidum, quod desiderium lenire propediem spero: apertum est enim iter, quod nisi fallor immeritò clausum erat, permisit námque mihi dominus beneficium illud, pro quo totiens laborasti, & quod multò pluris facio, archam mihi magnae humanitatis exhibuit, beneficiũ quidem ipsum, simúlque adolescentem cuius fuerat. O res hominum, mors abstulit, qui cum paucos dies laetos vidisset in vita, eo ipso die, mirum dictu, quo iuri suo restitutus videbatur, vitali destitutus est spiritu, Deo gratias, qui me lõgo labore, sed nõ sine dolore liberauit. Tu viue foeliciter nostri memor & vale. Patavi. x. Augusti serò.

FRAN. PETRARCHA GVLIELMO DE PASTRENGO, S. Epist. XXX.

Commendat adolescentem quendam qui se ex fabrili officina ad musas contulerat.

VIrum hunc si nosse coeperis, & amare incipies, & mirari. Longa est historia: summa est quod honestis ex causis familiarissimus & amicissimus factus est mihi, & serò licet tantus eum discendi ardor coepit, vt neglecto studio rei familiaris, & deserta fabrili officina, in quam insigniter eminet totum se literis dederit. Itaque iam nil nisi scholas, libros, & magistros cogitat, que hoc vnum noctes insomnes, & sollicitos dies agit, amplectere eum oro te, & proposito suo faue, nihil est deformius quàm iustis desideriis opem non ferre, & quid putas ambiat? non opes, non potentiam, non honores, non vulgi compedes, ac venena mentium voluptates, sed vnicum otij sui praesidium, & vitae solatium, libellos quaerit, sine suo ductu, tuísque auspiciis nil ausurus, suspirabis intelligens, quò aspiret, & tacitus dices, Vtinam tempestiuius coepisses, sola enim aetas obstat ingenio, quamuis & Plato prouectior Philosophiae, & Cato senex Graecis literis ope-

ram de-

ram dedit:hæc hactenus. Raynaldũ nostrum mei memorē salutere iube,cui hoc ipsum scribere nec volui, nec potui,expecto enim Calphurni Bucolicum carmē,& tuam Varronis agriculturam,valde enim memini si quid mihi promittitur. Vale Patauì XVII. Aprilis properè.

FRAN. PETRARCHA DOMINO GVLIELMO DE PASTRENGO S. Epist XXXI.

Literas se à Pastrengo accepisse significat.

LIteras tuas ornatissimas, atque pulcherrimas,obiurgatus à me Lælius meus, sed iaculo tamen meo clypeum legitimæ excusationis obiiciens , misit tandem, qui te salutatum cupit. Poteris eum vt augeror cum Ludouico,& Gerardo fratre . hodie vel cras hospitem habere , & sitientes ad riguum fontis mei , iam istic degenerátem, sed adhuc quædam originis suæ signa gestantem,inducere, peponem optimum non comedi , sed deuoraui : nemine in partem admisso , præter Nympham, pictis,iam tunc pedibus deorum conuiuia meditantem, & Neptuni nuptias,aut Nærei, aut Tritonum obsequia, & siquid vel æquorei,vel fluminei numinis vsquam est.

Discolor vt Nymphæ,tetigit vestigia pellis,
Lectior,& cunctis nimis inuidiosa puellis.
Nescit habere locum,refugit sub claustro reuerti.
Et tibi purpurei,dedecus,addidit innuba serti,
Téque per arua canens,varios legit vndique flores.
Et timeat humentes pedibus calcare sorores.

PRIORIBVS ARTIVM, VEXILLIFERO IVSTITIAE P. Q. FLORENTINO, S. Epist. XXXII.

Amici cuiusdam per prædones interfecti mortem deplorat.

SÆpe mihi propositum fuit , egregij Ciues , pro varietate rerum ac temporum , aliud ad vos scribere & vicissim nunc frenum ais,nũc calcar incutere,nunc indignari perdita , nunc recuperata libertate gratulari , nonnunquam flere vobiscum , multiplices & varias Reipub. tempestates , & impendentis naufragij fideliter admonere , vt ita me vobis , quoniam aliter non dabatur, verbis saltem , animi testibus,& si non habita-

potem, certè amatorem patriæ comprobarem, sed dum cogitarem mecum cœpi, quantum ab altitudine curarum vestrarum distaret, meorum humilitas studiorum, subitò semper mihi è manibus calamus lapsus est. Nunc autem cogor vt scribam, nec reluctari valeo, valeo: viget enim animum dolor ingēs, & extorquet mihi verba cum lachrymis. Ecce etenim, quod ignorabam hactenus, atque vtinam perpetuò ignorassem, suauissimus & meritò charissimus, ciuis vester, & amicus meus Florentinus, Maynardus Accursij, fortè dum è Romana curia, Florētiam redit, molestias atque pericula tam longi itineris transgressus, & iam dilectæ patriæ vicinus, in ipso penè portarum limine, & in vestro, vt ita dicam gremio, crudeliter interfectus est. Heu vir infœlix, quantos ætate viridi pertuleras labores? Quotiens ignota terrarum circumiueras, vt tranquillam in patria tua tandem & honoratam ageres senectutem? quò pergis ah! miser, fatique tui nescie, & vbique tutior, quàm in patria future, Quò pergis? Quò ruis? Quò miserande festinas? Tibi canitur Poëticum illud:

Fallit te incautum pietas tua.

Quæ cū sit magna in parentibus, & in propinquis, vt ait Cicero, tamen in patria maxima est. Illa te proculdubiò trahebat soli natalis amantissimum, illuc iam senior redibas, vnde puer excesseras, & illi terræ, quæ te infātem pauerat, fatigatæ vitæ reliquias referebas, cupiens vbi ortus eras, mori, & vbi reptaueras sepeliri: Sed ô scelus, ô inhumana feritas! truculentissimi homines, imò verò cruentæ, & immanes belluæ, te improuisum & inermem calle medio spectabant, horrendum & ignotum orbi Italico prædonum genus, qui non saturati auro quiescere, quæ summa votorum raptoribus esse solet, nisi sitienter tuum sanguinem haurirent, & exoptatum ingressum patriæ tibi præriperent, ac sepulchrum: O sitim sanguinis inauditam, quid amplius quæritis sæuissimi canes? Quid quæritis in corpore spoliato? Odium quidem ignoti & innocentis hominis, nec vllum erat certè, nec fingi poterat. Si auri fames vera sceleris causa est, reddite iam nefarij voti compotes ad prædam, & graues speluncas crimi-

num officinas, & qui illic auidè vos expectant, hospites vestros inuisite, finite nudum peditem abire, satis est, nihil vlterius poscitur, ne in latronum manus inciderit; sed hominum, nil inde vobis metuendum est, tam munitis habitatis arcibus, vt impunè & cœlum, & Florentiam contemnatis. Homunculum solum fessum, & attonitum timetis? Habentes receptacula tam vicina; tam valida. Nolite igitur auaritiæ sæuitiam cumulare, quicquid populabile manu erat, quódque in vestros visus verti poterat abstulistis, animam sibi & amicis, & vobis nulli vsui futuram linquite, quod toruum intuemini? Quid cogitatis? Quid molimini? Quæ ista rabies est? Quid micantes volunt gladij? Quid petunt? O voluptas effera, nullo odio, nulla spe proposita, & nullo more sacrosanctum, & Deo simillimum animal hominem trucidare, ferre rapidas manus in viscera, & quod ne generosæ quidem feræ facerent, lacerato cadaueri incumbere, & spumanti sanguine delectari. Pudet ac miseret, ô clarissimi ciues, nec de paruo doloris scaturiunt tot lamenta, neque magis talis amici talem casum lugeo, quàm tantùm tam gloriosæ Reip. pudorem. Quid enim dicetur apud gentes? Quid posteritas loquetur? Innoxium hominem, qui inter feras vt Lucanus ait Rhodani gẽtes, qui per deserta Prouinciæ qua nulla vsq; hodie dissolutior, nulla desolatior terra est, ac per alpes medias, nõ niuibus tantũ aut vagis excursoribus, sed armatis hoc tẽpore exercitib' cæsas nõ modò per diẽ, sed sub tẽpesta etiã nocte incesserit, in finibus Florentinis luce media, procubuisse, velut ouem impiæ victimæ destinatam? Et ô æternum ætatis nostræ dedecus, inuentos esse qui audeant è conspectu quodammodo vrbis vestræ, & illius olim formidati palatij in quo celeberrima iustitiæ sedes erat, laniare pro libitu ciues vestros! O tempora! O mores! libet enim exclamare cum Tullio. Ego quidem puer, audiebam maiores natu, narrare solitos, populi illius virtutes omnimodas, eximiámq; iustitiam, non in contradictionibus modo, placitísque conuentis, sed in his duobus maximè quibus solum sapientissimus legislator ait: Rempublicam contineri præmio scilicet & pœna. Quorum profectò si desit alterũ, necesse est velut

alterno pede claudicantem efficiat ciuitatem vestram, vtrumque consertatam protectis & languidam, frigescente hinc bonorum virtute, illinc malorum inardescente nequitia in vtramque partem: magnificè prouiderant patres nostri, quibus auctores Romanae originis, quam fama vulgauerat certissimam fide dederat, atque vt olim genitor ille vester, Pop. Ro. toto potitus orbe terrarū, sic illos acceperant, quantū coelitus datum erat eisdem vestigiis gradientes, & singularē in primis quandam laudem. apud omne genus hominum meruisse & inter Tuscorum populos longis tēporibus tenuisse voluntariū quodammodo principatum, titulo quidem Imperij abstinente, & quo superbiae, inuidiaeque minus, eò laudis & gloriae plus erat in nomine: non ergo dominium dicebatur, sed auxilium, ac profugiū vicinorum. Vt nō immeritò conferretur floridum illud nomen sortitam Florentiam, in qua flos virtutum omnium, & gloriosorum actuum abundaret, erat omnium finitimarum gentium, ad tam bene moratum populū, amore & reuerentia mixtus timor, neque solū in propriis, sed in extremis quoque Tusciae finibus, timebat ciuitas magistra iustitiae. Quid enim aliud causae fuit, quòd inter lapidosos & asperos colles, in solo arido, nec maritimo portu, nec natali flumine adiuto, tam breui temporis spatio (ferè enim omnium Italiae ciuitatum recentissima ciuitas vestra est) in eam successerit magnitudinem, vt vicinas omnes amplissimas quidem vrbes propè incredibiliter supergressa, non solum forma nominis, aut pretiosis mercib', quod ipsum miraculi instar erat, sed & ipsa etiam foelix prole virum, & in hoc quoque matri similis. at tantae sobolis, iam non capax disseminatis toto orbe ciuib. omne mūdi latus impleuerat? Quae-nam quaeso, tot praesertim aduersantibus huius tantae & tā repentinae magnitudinis causa fuit? Dixerit aliquis, fortasse aerē causam esse, &, quod vitati est proprium, tribuet fortunae, alter impigerrimae gētis industriam, versatilésque animos, & applicabile ad omnes artes ingenium. inter causas numerabit non ineptè quidē, dum meminerit, tandiù primam & maximam huius rei causam fuisse, donec iustitiae studium floreret. Illa siquidem incremēti vestri vera & praecipua causa est, sine qua

nedum,

nedū ciuitas, sed hec domus exigua non dicā crescere, sed arc stare quidē poterit. Fundamentū ciuitatum omnium iustitia est, super q̄ si verū quæritur, vestri maiores ædificatā vobis florentissimā atque firmissimā Rēp. reliquerunt. Id si modò per ignauiā labi permittitis, quid sperari licet aliud quā ruinam? Surrexerūt ecce siccarij infames, & quod vnū ad excitandum omnes irarū aculeos satis erat, ciuem vestrū optimum virum cui, vt creditur, ab eo die, quo sinistrum pedem domo extulit, insidias tetenderunt, nusquam nisi in sinu vestro mactare ausi sunt, quódque suorum tēporibus cogitare etiā in cubilibus timuissent, id sub oculis vestris, & in via publica, crudeli atque intolleranda prorsus audacia peregerunt, quod scelus, si inultum linquitis actū est de statu publico, actū de iustitia, actum denique de salute, de libertate, de gloria. Corruit fundamentum illud, super quo vsque ad sydera creueratis, & Deus bone, quorū manibus euersum? Magna pars doloris est, vilis auctor, iniuriæ, furciferi, carnifices, syluicolæ, ferino victu assueti, sed ferino magis pectore, & ferinis moribus, vix carcere vix cathenis, aut funibus vestris digni passim in iugulos vestros ruunt, & ad satietatē suam pascuntur cædibus, & sanguine miserorum: pfectò nunquā hoc ausuri, nisi vel in vestra segnitie, vel in suis latibulis spem haberent, quæ spes, si vos vt soletis, viri estis, ab omni eos parte deluserit. Exercuit vos fateor, & impulit his temporibus fortuna, sed non strauit neque debilitauit, vsq; adeò vt paucos in circuitu sæuientes latrunculos perferatis. Solet vera virtus, & clarior ex aduersitate consurgere, & si bene mores vestros noui, nec me longa de vobis fallit opinio, vos à populo Romano, vnum hoc inter multa præcipuum, & velut hæreditarium possidetis, ne scilicet fortunæ vos deiiciat aut frangat iniuria, sed attollat, & quod maximè virorum est, inter difficultates crescant animi. Hinc mihi spes non parua suboritur, audio enim vos accensos atrocitate negotij, & generosa indignatione flammantes, ad solita arma iustitiæ conuerti, quod si verum est, nullus vnquam locus vt spero, nulla ars, nullus sceleratorum fauor hominum, ab infandis ceruicibus, meritum iracundiæ vestræ fulmen auertet. verū ego

praedulcis amici, lachrymabili iactura, supra quàm dici posset amarissimè cruciat', multa vobiscum viri illustres familiariter locutus sum, heu frustra, heu serò, scio enim damnum meum non posse restitui, non si mille linguis admonentis in sempiternum loquar, aut Orpheo dulcius flebilibus ad lyram querimoniis saxa permulceam. Nūquam mihi reddet amicus meus, cuius irremeabile iter ingressus est. Neque nunc id agitur, vt ille resurgat, sed ne cū illo corruat decus vestrum, quorū alterum impossibile, alterum verò perfacile, & in vestra positum manu est. Illud quidem admonere non est necesse, quod scelerum iudices, non praeterita, sed futura respiciunt, quid enim prodest, ad ea quae retractari nequeunt studiū adhibere? similibus tamen malis occurritur, & exemplo terribili humana temeritas coërcetur: hinc illa nimirum doctissimorum hominum laudata sententia est, Non quia peccatū est, sed ne peccetur inuenta supplicia. Quae quanquam sint pro huius sceleris immanitate dignissima, quanquam tacitus expectare non prohibear, expectare tamen rector. Vniuersa igitur haec si intelligar dixisse, vt apud beneuolas aures doloris mei sensum loquendo deponerem, ac graui molestia tumidum cor leuarem, potiùs quam vt animos vestros ad vindictam sanguinis inflammarem. Id enim nec professioni, nec statui meo conuenit. Itaque testatus, quod ad illam quicquid dicturus sim, aut dixerim non aspiro. Id quod honestius possum flagito, quatenus antiquae gloriae vestrae, iustitiaeque memores, qua singulariter floruistis, eam vestris perire temporibus non sinatis, ídque obnixè precor, vt viae salutis publicae, per quas & ad vestra, & ad ipsa Parentis moenia, semper quidem, sed nunc praecipuè, instante hoc nostis Iubileo, fidelium ex omni regione concursus erit, purgatae latronibus pateant peregrinis, ne iusto metu territi, vel pium opus omittere, vel rectum iter flectere compellantur. Quod nisi acriter prouideritis (sed spero vtique prouisuros) aeternae vobis infamiae maculam irrogabis. In primis autē expeditum esse decet Apennini transitū, vnde numerosior populus expectatur, ad quod vtinam tempestiuius in animū venisset, vestrā magnificentiam

tentiam exhortari, fuisset prouisũ fortasse maturi⁹ nec alijs cauendi, circumspiciendiq; materiam infoelicis amici mei miserabile spectaculũ praebuisset. At quid suspectũ erat, id aetas nostra non viderat, sed sic à senioribus acceperat, esse quidẽ Apennini iugũ natiuae asperitate difficile, caeterum nil viatori tutius vel hospitali⁹. Quid autẽ erit, si de custodib. fures, de canib. lupi fiũt? Vbi ad summũ syluosi mõtis horrorẽ, nequissimorũ hominũ terror accesserit? breuis nẽpe totus ille terrarũ tractus, ab hominib⁹ deseretur, inhospitalior Athlãte vel Caucaso. Huic ignominiae & huic pesti, Viri fortes, occurrite, videbitis saxa nondum sicco, ciuis vestri cruore rorantia: inde discetis, caeterorũ saluti quonã remedio prouidendũ sit, qui amputare vult arborẽ, à radicibus incipiat, qui siccare vult riuulos, fontẽ siccet. Qui extinguere vult latrones, insistat receptatorib⁹ extirpandis, ite celeriter, ite foeliciter, quo coepistis, & bene iuuãtib⁹ superis, foeda scelerũ claustra confringite simul ac notã ob oculis nostris abstergite, relinquentes posteris iustitiae famã, quã à patrib. accepistis. Illuc nominatim precib⁹ istis addidetim, vt dominũ Lucã cognomento Christianũ, virũ sanguine ac virtutibus clarũ, qui eidẽ Mainardo infaustę viae comes fuerat, & de quo dubiè fama loquitur, pro honore vestro iubeatis inquiri, an impiorũ manibus euaserit, quod quidã narrant, an parili feritate cõsumptus sit, quod potius timeo, & timere non desinã, donec aliud sciuero. Parcitẽ autem multiloquio, tulit me longius fortè quam decuit, hinc humanitatis vestrae fiducia, illinc doloris mei impetus, & amicorum pietas, de quibus ante modò scripsi, vt eos per dies singulos praestolabar. Ita enim concorditer de Auinione discesserãt, vt me visuri, nulla alia causa suadente, per hoc iter longius venirent, & cũ Parmae nõ inuenissent in domo mea per noctẽ, & diẽ non integrum morati discesserũt moesti, literis ibi demissis, quarũ summa erat, se huc ad me è vestigio reuersuros, cũq; ego rediẽs, & multis dieb. expectãs, lõgiorẽ promisso morã incipere admirari, famulũ vnũ cũ literis misi. Qui eos tarditatis argueret, per quẽ didici, hoc eos charitatis & amicitiae pretiũ percepisse. Quamobrẽ si loquaciorẽ fecit dolor, i-

gnoscite. Licet enim rerum nescius & absens tunc fuerim, quia tamen meus solus amor, videndíque desiderium, eos hac traxerat, solus ego ut mihi videor totius infortunij causa fui. Omnipotens Deus, vos tantis mundi malis incolumes conseruet, in statu foelicissimo. Parmae 11. Iunij concusso animo grauíque prostrato festinanter.

FRAN. PETRARCH PHILIPPICO DE VITRIACO MVSICO S. Epist. XXXIII.

Increpat illum quòd non probaret peregrinationem Cardinalis Bononiensis, ubi ostendit quos fructus ex peregrinationibus percipiamus.

AMicas aures, amicus sermo pulsabit, non tam blandus, quam verax, neque tam compositus quam fidelis. Quid enim loqui verear, de longinquo, qui coram positus non verear? Magna est amicitiae libertas, magna securitas qui multum diligit nihil timet, imò verò timet omnia, & omnia circumspicit magn⁹ amor, illa (inquam) omnia quibus amatū suspicatur offendi. De amico quidem suo Seneca viderit, de quo ait: Non amo illum nisi offendero, ego nihil minus velim, quam te offendere, sed absit, ut offendi vero possis, veri semper acutissimus & ardentissimus inquisitor. Delectare potiùs spero, & imbecillitati animi, virtutis ope succurrere, ut tantus aetatis nostrae Philosophus, abiectis vulgi delirantis ineptiis, & iam non modò viriliter sed Philosophicè sentias & loquaris, quid enim quaeso te, ne dicam aeternum, sed vel diurnum restat homini, si in animum quoque senectus admittitur? Ego quidem & ratione insignita, & experientia magistra, & illustri etiam historico attestante didiceram: Orta omnia occidere, & aucta senescere; sed ab hac ineluctabili sorte mortalium, exemptum animū arbitrabar, quippe qui non terrestris, sed aethereae substantiae sese in altum vi propria, & quibusdā, ut ita dixerim, naturae suae alis attolleret; mortémque despiceret, quódque de quibusdam vetustissimis Italiae populis apud Poëtā legeram, quod scilicet, nec tarda senectus debilitat vires animi, latiùs extendens ad omne genus hominū referebam, cogis me, in hac dubiū opinione subsistere, videris enim mihi, & eloquar apertè, quod sentio, videris, inquā, mihi vir egregie, nō tā corpore, quā animo senuisse. Quod si ac-

cidere

cidere tibi potuit, in tanta bonarum artium copia, tantáque virtutum supellectili, quod euenturum credimus his nudis, & enermibus nullum virtutis solamen habentibus nullũ præsidiũ literarũ? His dico, qui passim in triuiis oberrant, curis inanibus circumacti, ad nil aliud explendum turbæ numerũ idonei, & fruges comedere nati? Vt elegãter ait Flaccus. Atqui hoc mihi nõ negaueris, si senescere anim⁹ potest, posse etiam interire, cũ haud dubiè vltima vitæ pars, & quasi quidã descensus ad interitũ sit senectus, quod vbi cõcesseris vide quid sequitur. Dulcedo enim vitæ intercidit, spe immortalitatis erepta, quæ vna præstabat, vt me hominẽ, nõ dolerẽ ex parte altera morti tẽporaliter obnoxiũ, nobiliori interim & quod naturæ fides addiderat, vtraq; tandẽ parte victurũ. Nec sũ nesci⁹ mirari te, quorsũ tã lõgis anfractib. mea pergat oratio, imò verò si ingeniũ tuũ noui, iamiã cõsciẽtia bellicãte, quid dicã, & quid sim dictur⁹ intelligis. Est hic vt nosti, pclarissim⁹ pater, & cõmunis amborũ domin⁹ Guido Bononiẽsis Cardinalis, & Apostolicę sedis Legat⁹, iam faciem tuã intueri videor, modest⁹ illã rubor inuasit. Non præsagiebas me de manib. suis, tuas literas inspecturum, quod si euenturũ cogitasses nunquã pfectò tam molliter, tam demissè, nunq̃, da veniam veris nominib. tã muliebriter loquereris. Etsi nõ mihi, at saltẽ missis hospitib. meis parceres, quæ ne modò aduersus te numeris suis armentur, non illarum patientia, sed tẽporis breuitas causa est. Quid enim ais pro te, cognosce mecũ, verborũ tuorum formulam, consignatis, vt dici solet, tecũ agitur tabellis. Hunc ipsũ dominũ nostrum, arguis, pũgis, increpitas, & nimis intoleranda mollitie, nõ absentiã, sed vt tu vocas, exiliũ eius defles, peregrinationémque sanctissimã, & qui gloriosior nulla esse potest, exilij cognomine decoloras. Hæc nimirum est illa senect⁹ animi, q̃ in te lugeo amice. Nunq̃ quo primum mihi tempore notus esse cœperas, ista dixisses, deferbuit sanguis, & ille ardor egregi⁹, quo nulli secũdus videbaris abdita quælibet & incognita perscrutandi. Itá-ne inter curiositatẽ anxiam vltimámque segnitiem, nihil est medium? Parũ tibi distans India videbatur, Iam Taprobanem, & si quid orientalis

gnoscite. Licet enim rerum nescius & absens tunc fuerim, quia tamen mei solus amor, videndíque desiderium, eos huc traxerat, solus ego vt mihi videor totius infortunij causa fui. Omnipotens Deus, vos tantis mundi malis incolumes conseruet, in statu fœlicissimo. Parmæ 11. Iunij concusso animo grauitérque prostrato festinanter.

FRAN. PETRARCH. PHILIPPICO DE VITRIACO MVSICO, S. Epist. XXXIII.

Increpat illum quòd non probaret peregrinationē Cardinalis Bononiensis, vbi, ostendit, quos fructus, ex peregrinationib. percipiamus.

AMicas aures, amicus sermo pulsabit, non tam blandus, quam verax, neque tam compositus quam fidelis. Quid enim loqui verear, de longinquo, qui coram positus non verear? Magna est amicitiæ libertas, magna securitas qui multum diligit nihil timet, imò verò timet omnia, & omnia circunspicit magnus amor, illa (inquam) omnia quibus amatū suspicatur offendi. De amico quidem suo Seneca viderit, de quo ait: Non amo illum nisi offendero, ego nihil minus velim, quam te offendere, sed absit, vt offendi vero possis, veri semper acutissimus & ardentissimus inquisitor. Delectare potiùs spero, & imbecillitati animi, virtutis ope succurrere, vt tantus ætatis nostræ Philosophus, abiectis vulgi delirantis ineptiis, & iam non modò viriliter sed Philosophicè sentias & loquaris, quid enim quæso te, ne dicam æternum, sed vel diurnum restat homini, si in animum quoque senectus admittis? Ego quidem & ratione insignita, & experientia magistra, & illustri etiam historico attestante didiceram: Orta omnia occidere, & aucta senescere; sed ab hac ineluctabili sorte mortalium, exemptum animū arbitrabar, quippe qui non terrestris, sed ætheræ substantiæ sese in altum vi propria, & quibusdā, vt ita dixerim, naturæ suæ alis attolleret; mortémque despiceret, quódque de quibusdam vetustissimis Italiæ populis apud Poëtā legeram, quod scilicet, nec tarda senectus debilitat vires animi, latiùs extendens ad omne genus hominū referebam, cogis me, in hac dubiū opinione subsistere, videris enim mihi, & eloquar apertè, quod sentio, videris, inquā, mihi vir egregie, nō tā corpore, quā animo sensisse. Quod si accidere

cidere tibi potuit, in tanta bonarum artium copia, tantáque virtutum suppellectili, quod euenturum credimus his nudis, & enermibus nullum virtutis solamen habentibus nullū præsidiū literarū? His dico, qui passim in triuiis oberrant, curis inanibus circumacti, ad nil aliud explendum turbæ numerū idonei, & fruges comedere nati? Vt elegāter ait Flaccus. Atqui hoc mihi nō negaueris, si senescere anim⁹ potest, posse etiam interire, cū haud dubiè vltima vitæ pars, & quasi quidā descensus ad interitū sit senectus, quod vbi cōcesseris vide quid sequitur. Dulcedo enim vitæ intercidit, spe immortalitatis erepta, quæ vna præstabat, vt me hominē, nō dolerē ex parte altera morti tēporaliter obnoxiū, nobiliori interim & ꝙ naturæ fides addiderat, vtraq, tandē parte victurū. Nec sū nescius mirari te, quorsū tā lōgis anfractib. mea pergat oratio, imò verò si ingeniū tuū noui, iamiā cōsciētia bellicāte, quid dicā, & quid sim dictur⁹ intelligis. Est hic vt nostri, pclariss im⁹ pater, & cōmunis amborū domin⁹ Guido Boloniēsis Cardinalis, & Apostolicę sedis Legat⁹, iam faciem tuā intueri videor, modest⁹ illā rubor inuasit. Non præsagiebas me de manib. suis, tuas literas inspecturum, quod si euenturū cogitasses nunquā pfectò tam molliter, tam demisse, nunq̄, da veniam veris nominib tā muliebriter loquereris. Etsi nō mihi, at saltē missis hospitib. meis parceres, quæ ne modò aduersus te numeris suis armentur, non illarum patientia, sed tēporis breuitas causa est. Quid enim ais pro te, cognosce mecū, verborū tuorum formulam, consignatis, vt dici solet, tecū agitur tabellis. Hunc ipsū dominū nostrum, arguis, pūgis, increpitas, & nimis intoleranda mollitie, nō absentiā, sed vt tu vocas, exiliū eius defles, peregrinationémque sanctissimā, & qui gloriosior nulla esse potest, exilij cognomine decoloras. Hæc nimirum est illa senect⁹ animi, q̄ in te lugeo amice. Nunq̄ quo primum mihi tempore notus esse cœperas, ista dixisses, deferbuit sanguis, & ille ardor egregi⁹, quo nulli secūdus videbaris abdita quælibet & incognita perscrutandi. Itá-ne inter curiositatē anxiam vltimámque segnitiem, nihil est medium? Parū tibi distans India videbatur, Iam Taprobanem, & si quid orientalis

oceanus habet occidētalis, cupido metiebaris ingenio, tanquam ad extremam Thylen ignotis littorib. latitantem suspirabas, quoniam Orcades & Hybernę, & quicquid terrarum noster fluctꝰ alluit, ipsa in ciuitate sordebant. Quid autem miri, si angusta animo literatissimi hominis terra erat? In hunc assiduum cœli verticem, qui supra nos stabili temone cōuertitur, inq; illum alium, quē se qui sunt Antipodes suspiciunt, in obliquum. Denique solis callem inque fixas, & errantes stellas, infatigabili studio cōscendentes. Nam quid non dies longior euertit? Esse in Italia miserum exiliū reris, extra quam esse, nisi quia omne solum forti patria est, potius videri posset exiliū? Pace tua dixerim, nimis tibi paruus pons Parisiensis impressit testudinei sui arcus effigiem, nimis aures tuas subterlabentis Sequanę murmur oblectat. Postremò nihil calceo tuo nisi Gallicus puluis insedit. Oblitus mihi videris illiꝰ, qui interrogatus cuias esset, Mundanum se esse respōdit. Tu vsq; adeò Gallus es, vt Galliae fines excedere, qualibet ob causam exiliū voces: est quidem non inficior, natalis patriae dulcedo nobis insita. scio pręclarissimos viros, nequaquā huius affectus expertes: audio apud Liuium restitutorem Vrbis, & Imperij Camillū, quibuslibet summis ducib. parem, sese in exilio Ardeatino tractū fuisse, cœli patrij memoria: confitētē audio Diomedē apud Vergilium suum Calydona. Deorū inuidiae ascribentem: audio Nasonem suam absentiā, non paucis verbis, sed integro volumine deplorantem. Cū hoc autē & illud scio, pusilli & inualidi animi esse, vbi honestę vacant causę abiectis his compedibus, nō posse consurgere. Ingens est Romanorum, & externorū ducū, ingens quoque Philosophorum copia, qui vel vt bellicā, vel vt ingenij gloriam cumularent, vitā in perpetuis peregrinationibus exegerunt, sed quia libentius professioni nostrae viciniora commemoro, Philosophorum aliquos attingam. Plato relictis Athenis, vbi si dici fas est, pro terrestri quodā numine colebatur, Ægyptū, primò deinde Italiā circumiuit. At quantus labor hominis sedere solito, sed per omnes viarum difficultates, discendi cupiditate, pro vehiculo vtebatur. Est & peregrinatio famosa Democriti, famosiórq; Pythagorae,

qui

qui semel domo egressus, nunquã rediit, veri flagrantior amore, quàm patriæ, lustrauítque Ægyptũ, vt ait Cicero, Persarũ Magos adiit, tantas regiones barbarorũ pedibus obiuit, tot maria trãsmisit Cuius peregrinationis extremũ si quæritur, in Italiã ipsam venit, ibíq; reliquũ vitæ egit, & quatuor ibi lustra cõsumpsit vbi tu nunc annuam Domini nostri morã, velut flebile exiliũ & prorsus perditum tẽpus doles. Expergiscere obsecro, & ingeniũ tuum excita, vir insignis, atque inclinatũ animũ attolle, videbis quanta opinionũ nube vulgarium tenearis, dum illæ tibi voces exciderint, quas vtinam non legissem: non est exilium, quod tu putas, sed breui labore famæ materiã sempiternæ. Hoc tibi persuadere nunc difficile est, qui vt video, nihil extra Parisios magnificum, aut delectabile suspicaris, & extremas illas agelli tui glebulas, quibus animum addidisti. Cùm verò ad te ipse redieris, & prophanis vulgi rumoribus exclusis, te vnum percunctari, tibi credere malueris, bene de te sperare non desinã. Redde mihi collocutorem meum, redde mihi pristinũ Philippum, me quidem tacente veritas perorabit. At modò non tecum, sed cum altero nescio quo, Philippi illius hoste, conflictatio mihi ista suscepta est, quamobrem siquid fortè liberius dictũ legis, quàm blãdiciarũ nostri qui mos habet, ignoscito. Iuuat enim magnificè loqui, & certè decet, vt quadam ad Ciceronem epistola Brutus ait: aduersus ignorantes, quid pro quoque timendum sit. Vt enim ad exulem tuum reuertamur, videres hunc autem augustiore solito, & fronte syderea per vrbes Italicas insidentem. Videres populorum ac principũ concursus, summo illum honore prosequentium, audires plaudentium, atq; fauentium voces, eneruati puderet eloquij, neque iam exulem, sed pacis, & quietis auctorem, atque sospitatorem Reip. nuncupares veriore vocabulo. Cùm enim inter Vngariæ & Siciliæ regna profundius odiorum fontibus scatentes, bellorum causæ, magnam Europæ partem in discrimen traherent, tanto par oneri, nemo alter inuentus est. Hũc Rom. Pont. iudiciũ, hunc sacri collegij consensum, si tu tibi miserũ aut pœnitendũ censes, quod fœlix, faustũmque dicturus sis nescio. Sed adiuro te, per il-

quàm sibi sedem delegit delectationis non tam patriæ quàm vndique conuenientium commoditati prospiciens: deinde ad compescendos Arctoos motus, Aquileiam præteruectus, Alpésque Noricas transgressus, longè, latéque Germaniam peragrauit, & illum olim imperij limitem Danubium, Nilo parem, mille superbum fontibus, & horrificis gurgitibus æstuantem attigit. Inde nuper multa reuersus cum laude, hodie minoris corpus Antonij ingenti populi deuotione transuexit, quæ vna sibi apud Patauium longiusculæ moræ causa fuit, cui translationi ego interfui, grauitatis eximiæ ac cærimoniarum mirator vnus ex plurimis. Crastino iter interceptum aget, ac sicut Adriatici frementium maris vidit, sic Thyrrenas aspiciat tempestates, & primò quidem fluuiorum regem transibit Eridanum, & antiquissimam ciuitatem Rauennam, post Ariminum, mox Fanum, inde Perusium præualidam vrbem, atque inter iacentes: alias tandem rerum caput & Dominam Romam petet, quam quicunque non viderit, temerè alias admiratur, cuius vrbis aspectus, vt interdum speciosior foret P.R. fortuna præstabat, vt verò nūquam salutatior iubileus annus efficiet. Voces licet exulem, ille mihi videbitur fœlicissimus peregrinus. Ibi Apostolorum limina & terram calcabit, sacro martyrum purpuream cruore, videbit vel muliebri linteo vel in cunctarum Ecclesiarum matris parietibus, extantem Domini vultus effigiem. Videbit vbi profugo Petro CHRISTVS occurrit, & super praeduram silicem, æternum gentibus adoranda vestigia. Ingredietur in sancta Sanctorum, locellum cœlestis gratiæ plenum. Vaticanum lustrabit, & beatis ossibus extructus Calixti specus, incunabula & circuncisionem Saluatoris aspiciet, & virginei lactis vasculum candore mirabili. Videbit Agnetis annulum, & diuinitus extinctæ libidinis miraculū, recognoscet. Contemplabitur truncum Baptistæ caput, & Laurentij craticulam, & aduectum aliunde Stephanum, vnóque duos contentos hospitio. Videbit vbi Pauli fuso sanguine dulcis aquæ fontes eruperint, vnde nato domino fons olei descendit in Tyberim, vbi templi pulcherrimi fundamenta, æstiuę niuis indicio iacta sunt, & vbi partu Virginis

ginis templa fortissima corruerunt. Cernet lapidem infando Simonis cerebro maculatum, mõstrabitur ibi Syluestri latibulum, & visio Constantini, & dicta cœlitùs insanabilis morbi cura. Innumerabilia quoq; alia, quorum partem idem ego, ad Clementem VI. scribens, loquaci quondam sum complexus epistola. Siquando verò à cœlestibus ad terrena descendere libuerit, cernet Romanorum principum stupenda licet collapsa palatia, Scipionum, Cæsarum, & Fabiorum domos: videbit septem colles, vnius muri ambitu circũclusos. Mirabitur latas vias, captiuorum contra agminibus angustas, & triumphales arcus, subactorum quondam regum, ac populorum spoliis onustos: Capitolium ascendet omnium caput, arcémque terrarum, vbi olim cella Iouis fuerat, nũc est ara cœli, vnde Augusto Cæsari puer CHRISTVS ostensus est. Hæc ille. Tu verò quotiens prata germani, & Genouefe collem contemplabere, ortum solis tibi lustrasse videris, & occasum, opinione tua fœlix, si tamen vlla est in errore fœlicitas. Roma autem digressus ille, nequid scias, per Italiam Italiæ regionem Hetruscorum vrbes inuisere in animo habet, gelidis ac tepentibus circumfluum fontibus Viterbium, & Vrbem veterem, prærupti saxi in vertice sedentem. Senas præterea & lupa alitrice, & septem collibus Romæ æmulam ciuitatem; Romanorum opus ducum Florentiam, de qua nihil ad præsens, ne qui te mihi, me tibi suspectum faciat amor patriæ. Inde superato rursus Apennino, per studiosam transire Bononiam, atque huc iterum reuerti cogitat, omnium hic legationis suæ prælatorum solenne concilium acturus, atque ita cùm demum Mediolanum repetet, & ad læuam flectentes, tertiò transiliet Apenninũ visurus & Ianuam, nec immeritò. Nulla enim animosior, nulla hodie verius regum ciuitas dici posset, si ciuilis inde concordia nõ abesset. Ita per Ligusticum sinum, quo nullus amœnior, per cedrinos ac palmiferos saltus, per odoriferum atque vndisonum littus, ad Italiæ finem veniet in Gallias reuersurus. Nõ hęc properantis tædio affecti animi signa sunt, vides vt Menandreo more circumflectitur, quo & à pluribus locis aduentus sui iucunditas sentiatur, & generosa

na indies augetur, & vires minuũtur, habeo hic praebendam, quae mihi panem & vinum dat non solum ad vtendum, sed etiam ad vendendum. Reside tia mihi aliquid valeret, sed ego vrbes, vti ergastula fugio, & magis eligo solitario in rure si oporteat esurire quam in vrbibus abũdare, quamuis nulla fuga, nullae me latebrae à concursu protegant: habeo famulos, sine quibus vtinam viuere possem, aut scirem. Habeo equos, quãdo pauciores duos saltem, & vt sileam quae sunt historiae longioris, soleo habere scriptores quinque vel sex habeo tres ad praesens, & ne plures habeam causa est, quia non inueniuntur scriptores, sed pictores vtinam non inepti. Habeo vnũ presbyterum venerabilem virum, qui dum in Ecclesia sum assiduus mecum est, cum quo saepe, vbi solus prandere disposui, ecce subitò è transuerso conuiuarum acies vel cibo pascenda, vel fabulis, vitari enim prorsus nequit, ne vel superbior appaream, vel auarior quàm sum. Sic me Deus amet, vt nonnunquam spectare mihi videor, illos Penelopeos Homericos procos. nisi quod hostes illi fuerant, hi autem sunt amici. Exonero animum loquendo tecum, imò mecum, & ideò te tandiu hoc inutili sermone occupo: Quando autem de me, Frater, haec crederes? Et totum hoc mihi facit lenitas mea, quae me natura licet vulgo abstractum in commune restituit. Cupio praeterea & dispono Deo dante, non templum Marti, quantum nusquam esset, vt Iulius Caesar, sed vnũ hic paruum Oratorium Beatae virgini extruere, iámque opus aggredior, si deberem libellos meos pignorare vel vendere. Et si ad opusculum hoc explendum, CHRISTVS mihi vitam & facultatem dederit, statim si venire ipse non possim, sicut non posse arbitror, defectus viribus corporeis, famulum vnum ad dominum meum Sabinensem, & ad te mittã, ad retentandum istic, quod olim me frustrà noluisse, & ipse scit, & tu etiam non ignoras. Haec amice curarum mearum pars millesima est, si his ergo atque aliis, & quid mihi à praedecessore suo promissum erat vt nosti, dominus noster quieti meae consulere dignaretur, non tenetur fateor indigno & immeritò, nisi ad imitationem forsan illius, cuius vicem gerit, qui multa bona

quoti-

quotidie confert immeritis & indignis. Etsi quidem hoc velit, vt literæ eius indicant, potest persacilè profectò vno verbo. Nullus enim Dominorum, tam facilè potest benefacere quibus vult, quàm Romanus Pontifex, qui si fortè mihi facere vellet, secundùm suam condecentiam, quod dixisse fertur Alexander Macedo, multum esset aut nimium. Si verò secundùm meam insufficientiam, nihil esset, aut modicum. Temperet hæc igitur, vt sibi videbitur: siue enim multũ faciat siue nihil, siue modicum, contentus ero. Quin tu potiùs, dicat aliquis, pete quod videtur, quãdo paratum habes animum largientis. Hoc amice non possum, triplici ratione. Primum nempe quid petam prorsus nescio, sicut ille, qui rarò vnquam de talibus cogitaui. Omnia ferè vitia mihi obiici, vel ab amico patiar, vel ab hoste, dum dolus malus, dúmque ambitio sequestrentur. Deinde esto quod amicorum indagine, aliquid quod peterem inuenirẽ, antè tamen q̃ nunci⁹ meus ad pedes Apostolicos perueniret, esset idipsum facile petitum ab alio & concessum. Non est enim vt opinor dominus noster in illa duritie, qua fuerunt aliqui in diebus nostris, negare omnia parati, dum non nisi perfectis viris dare aliquid volunt, quod si fiat, aut omnia beneficia vacabunt, aut paucissimis omnia conferentur, tam rara est humana perfectio. Postremò fieri posset, vt aliquid peterem, quod eidem Domino non placeret, sed propter incomparabilem benignitatem suam, supplicationib. meis cõdescenderet, quod ego nullo modo vellem habere aliquid, quamuis magnificum, & mihi vtile, quod sibi non penitus gratum esset. Quid fiet igitur, dicã tibi: Si voluntas Domini est, qualis videtur esse ipse sit & benefactor, & cõsultor, nec meretur id sibi dici, quod fœlicis recordationis Domino Clementi, patruo suo dixi Cum enim sui gratia, officiũ quod tu nunc industriè geris, mihi obtulisset, quod me nolente, tunc habuit magister Franciscus de Neapoli, & deinde me sæpe, licet indignum, Episcopum facere voluisset, & ego indignantibus Dominis, & amicis continuè recusassem, vltimo mihi dixit: Pete quod vis & faciam tibi. Cui ego respondi: Si bene facere mihi vultis, non solum beneficentia, sed electio

Pater sanctissime vestra sit, vos scitis optime quãti me faciitis, quando aliquid petente alio, vel quomodolibet ad notitiam vestram venit, quod me dignum videatur, mei si placet memoriam habetote. Quod ipse se facturum clementissimè repromisit, & fecisset non dubito, nisi eum mors, multis & inter alios mihi damnosa præuenisset. Ita ergo mihi expedit, vt Dominus noster faciat, si mihi aliquid vult facere. Nam si expectatur, vt ego senex nunc sollicitus sim petitor, quod iuuenis nunquam fui, actum est, nil penitus vnquam fiet. In hoc sanè Domini mei Sabinensis interuentio, & tua sedulitas efficacissima erit, & neutram defuturam certè spero: Alios ibi non habeo, nam quos habui, vel defuncti, vel alienati sunt. Solus ipse Dominus Sabinensis tribus & triginta annis, in eodem proposito erga me mansit, nec vlla vnquam, siue propter occupationes eius inextimabiles, siue propter silentium meum, siue propter abscessum suum facta mutatio est, nisi de bono semper in melius. Secum de his ergo delibera, & ipsum ad omnia fidenter require, animum eius ad me, verbis vt puto tibi cognitum, factis animi testibus recognosces. Ego enim sibi breuiter scribam, & eum quoque ad has literas remittam, ne minutias, & fabellas meas sæpe repetam. De quibus scis quod nunquam tibi aliquid scripsi, neque nunc quidem fueram scripturus, nisi quia sic res poscere visa est. Et nũc frater habes totam hanc historiam, necessariam potiùs quàm iocundam, si vnum addidero, quod posset forsan in colloquium venire. Nam si roget in hunc modum: Quamuis nominatim nescias, quod petendum sit, cuius generis tamen beneficio optares edicito: dicam quod apud Ciceronem Cotta: Omnibus ferè (inquit) in rebus quid non sit citius, quam quid sit dixerim. Prelaturã itaque nullam volo, nec volui quidẽ vnquam, similiter nec beneficium curatum quodcunque quamuis opulentissimum, satis est mihi vnius animæ meæ cura, atque vtinam illi vni sufficiam. De reliquo faciat Dominus noster, vt sibi placuerit, vt vnum sciat, quod siue mihi prouideat, siue non, seruus suus sum, quamuis ad nihil vtilis at fidelis saltem, méque suis iussis obnoxium fateor, & suis olim alloquiis,

quiis,& nunc suis literis insigniter honoratum, ita vt sibi non iam sua libertate deuotior, sed obligatior fieri possim. Illud quoque sibi persuadeas, quod siquid mihi contulerit, idipsum citò alteri conferre poterit. Ego enim iã delebor, & vt extimo tẽpus meæ resolutionis instat, heu mihi miserò, quia quæ sequuntur dicere nõ possum. Certè ego frater, præter naturalem vitæ legem, quæ non est aliud quam cursus ad mortem breuis & lubricus, sentio me indies vltra etiam ætatis exigentiam rapi, & vehemẽter imminui, atque vmbræ in morem euanescere. De quo miror quidem, quia non ita vixi, nisi fallor, vt id adhuc mihi deberet accidere, sed Deo teste non doleo, & si pro peccatis meis accidit valde etiam gaudeo. Ita enim dudũ me adeò poposcisse bis in deuotiuncula quadã memini, his verbis. Fiat mihi thalamus meus purgatorium meum, & lectulus meus lachrymarum conscius mearum, & in corpore meo doleam, priusquam præceps corruam in tartara. Et iterum: Sit mihi pars purgationis labor meus, quo hic per singulos dies exerceor, reliquum in hac vita, & in membris exige, priusquam veniat tempus egestatis. Si quod bis petij semel assequor, bene habet. Tu viue fœliciter mei memor, & vale. Arquade inter colles Euganeos: in vigilia Pentecostes.

FRAN. PETRARCHA PHILIPPO CAVALLICENSI EPISCOPO, S. Epist. XXXV.

Super quædam munuscula iocatur Petrarcha cum Episcopo Cauallicensi.

TRia tibi veniunt, pater, multum diuersa munuscula. Vnicus auro nitens piscis, & squamis maculatus argenteis, Torrentinam alij, Tarturam quidam vocant. Gratius tamen fuerit saporem nosse, quàm nomen hunc hospitis mei filius seruus tuus, in his hodie lucidissimis vndis cepit. Item pinguis anas amœni dudum fontis incola, cui aduersus raram indolem egregij canis, nec libe ras aer vias, nec tutas fluuius latebras dedit, nec natãti fuga patuit, nec volanti. Ad hæc epistola quædã recens, quã in rure tuo nuper hamo debilis ingenij, inter animi mei fluctus & rerũ scopulos, ipse quoque piscatus sum. Cætera tamen ita veniunt, vt apud te maneãt, hæc venit vt rideat

Pater sanctissime vestra sit, vos scitis optime quãti me facitis, quando aliquid petente alio, vel quomodolibet ad notitiam vestram venit, quod me dignum videatur, mei si placet memoriam habetote. Quod ipse se facturum clementissimè repromisit, & fecisset non dubito, nisi eum mors, multis & inter alios mihi damnosa præuenisset. Ita ergo mihi expedit, vt Dominus noster faciat, si mihi aliquid vult facere. Nam si expectatur, vt ego senex nunc sollicitus sim petitor, quod iuuenis nunquam fui, actum est, nil penitus vnquam fiet. In hoc sanè Domini mei Sabinensis interuentio, & tua sedulitas efficacissima erit, & neutram defuturam certè spero: Alios ibi non habeo, nam quos habui, vel defuncti, vel alienati sunt. Solus ipse Dominus Sabinensis tribus & triginta annis, in eodem proposito erga me mansit, nec vlla vnquam, siue propter occupationes eius inestimabiles, siue propter silentium meum, siue propter abscessum suum facta mutatio est, nisi de bono semper in melius. Secum de his ergo delibera, & ipsum ad omnia fidenter require, animum eius ad me, verbis vt puto tibi cognitum, factis animi testibus recognosces. Ego enim sibi breuiter scribam, & eum quoque ad has literas remittam, ne minutias, & fabellas meas sæpe repetam, De quibus scis quod nunquam tibi aliquid scripsi, neque nunc quidem fueram scripturus, nisi quia sic res poscere visa est. Et nũc frater habes totam hanc historiam, necessariam potiùs quàm iocundam, si vnum addidero, quod posset forsan in colloquium venire. Nam si roget in hunc modum: Quamuis nominatim nescias, quod petendum sit, cuius generis tamen beneficio optares edicito: dicam quod apud Ciceronem Cotta: Omnibus ferè (inquit) in rebus quid non sit citius, quam quid sit dixerim. Prelaturã itaque nullam volo, nec volui quidẽ vnquam, similiter nec beneficium curatum quodcunque quamuis opulentissimum, satis est mihi vnius animæ meæ cura, atque vtinam illi vni sufficiam. De reliquo faciat Dominus noster, vt sibi placuerit, vt vnum sciat, quod siue mihi prouideat, siue non, seruus suus sum, quamuis ad nihil vtilis at fidelis saltem, méque suis iussis obnoxium fateor, & suis olim alloquiis,

quiis,

quiis,& nunc suis literis insigniter honoratum, ita vt sibi non iam sua libertate deuotior, sed obligatior fieri possim. Illud quoque sibi persuadeas, quod siquid mihi contulerit, idipsum citò alteri conferre poterit. Ego enim iã delebor, & vt extimo tẽpus meæ resolutionis instat, heu mihi miserò, quia quæ sequuntur dicere nõ possum. Certè ego frater, præter naturalem vitæ legem, quæ non est aliud quam cursus ad mortem breuis & lubricus, sentio me indies vltra etiam ætatis exigentiam rapi, & vehemẽter imminui, atque vmbræ in morem euanescere. De quo miror quidem, quia non ita vixi, nisi fallor, vt id adhuc mihi deberet accidere, sed Deo teste non doleo, & si pro peccatis meis accidit valde etiam gaudeo. Ita enim dudũ me adeò poposcisse bis in deuotiuncula quadã memini, his verbis. Fiat mihi thalamus meus purgatorium meum, & lectulus meus lachrymarum conscius mearum, & in corpore meo doleam, priusquam præceps corruam in tartara. Et iterum: Sit mihi pars purgationis labor meus, quo hic per singulos dies exerceor, reliquum in hac vita, & in membris exige, priusquam veniat tempus egestatis. Si quod bis petij semel assequor, bene habet. Tu viue fœliciter mei memor, & vale. Arquade inter colles Euganeos, in vigilia Pentecostes.

FRAN. PETRARCHA PHILIPPO CAVALLICENSI EPISCOPO, S. Epist. XXXV.

Super quædam munuscula iocatur Petrarcha cum Episcopo Canallicensi.

TRia tibi veniunt, pater, multum diuersa munuscula. Vnicus auro nitens piscis, & squamis maculatus argenteis, Torrentinam alij, Tarturam quidam vocant. Gratius tamen fuerit saporem nosse, quàm nomen hunc hospitis mei filius seruus tuus, in his hodie lucidissimis vndis cepit. Item pinguis anas amœni dudum fontis incola, cui aduersus raram indolem egregij canis, nec liberas aer vias, nec tutas fluuius latebras dedit, nec natãti fuga patuit, nec volanti. Ad hæc epistola quædã recens, quã in rure tuo nuper hamo debilis ingenij, inter animi mei fluctus & rerũ scopulos, ipse quoque piscatus sum. Cætera tamen ita veniunt, vt apud te maneãt, hæc venit vt rideas

Neque diutius quàm vt oculos tuos semel impleuerit, tecum sit. Scis causam? Quia veritas odium parit. Quod si iam tunc tempore Terentij verum erat, quid hodie arbitraris? Perlege ergo si libet atque secretius, ac remitte; donec sciamus, quid mundo Deus aut fortuna parauerit; tunc consultabimus, quid huic fiat, an danda sit flammis, an sororibus ascribenda. Interim scito, & huic fidē mentire meam nullis me oculis hanc aliis ostensurum fuisse, quàm tuis. Vale decus meum, ad fōtem Sorgiæ. xix. Cal. Ianuarij silentio noctis intempestæ,

FRAN. PETRARCHA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI, S. Epist. XXXVI.

Petit vt pro se intercedat, ad munus aliquod impetrandum.

SI quicquid mea mēs cogitando nō concipit, scribēdo parturiat, ingens digitis meis, oculisque tuis opus exoritur. Quod etsi valdè aggredi cupiam, pater amabilis, tempus vetat, ita distrahor incertis affectib9, & dum necessitati pareo, desiderio obluctor, sed bene habet, quicquid scripturus fueram, tacito me luculenter intelliges. Nosti animū, vbi cogitationum, actuúmque nostrorum radix fixa est, vnde fit, vt quæ ex illo prodeūt, ignorare non possis. Familiariter olim tibi nisi fallor, studiorum finis & votorum meorum intellecta modestia est vtor enim fidēter, hoc nomine non superbè, conscius suæ humilioris originis quod vnde modicum, inde & modestia dicitur, & à modo nomine vtrunque descendit. Quæ cū ita sint, cogita pater indulgentissime, quid velim. Nullis ariolis, nullo op9 interprete, nec ipso quidē vel meæ vel alienæ vocis oraculo. Intus ad aurem cordis tui clamat animus meus, & noster nihilominus Socrates non tacebit, quàm improbat concupiscentia, etsi probè noueris, certius tamen, nunc ex amici colloquio pensabis. Tu autem pater, apud communem Dominum, in quo spei anchora, & quod propriè titulo suo conuenit, rerum nostrarum cardo consistit, preces meas si fauorem merentur adiuua. Si minus excusa, vt enim magister amorū ait:

Quid deceat non videt vllus amans,

Amo ego vos, ita me ille amet, in cuius amore summa fœlicitas est sita. Amo (inquam) & veneror, vestrámque præsentiam eximiis præcordiis concupisco. Itaque dum voto meo obsequor, vestra forsan fastidia non aduerto, siquid importunius agitur, hoc me precor absoluat: intensi enim affectus regi nesciunt, frenum mordent. Epistolam illi inscriptam, quamuis longiusculam, plura tamen volentis dicere animi nuntiam efficacissima vocis tuæ auctoritate confirma, interpretare, iustifica, paucis enim versiculis, summam tibi meæ mentis aperio, præsta te mihi, ne frustra præoptauerim, quod hominum magna pars metuit silentium, solitudinem, paupertatem, mirum solus ego ex omnibus mortalibus diues fiam, cum pauperum qui frustrà diuites fieri volunt, passim tot milia videamus. Occurrite omnes, qui me diligitis huic monstro. Non cogar vnus, vnde tam multi se exclusos dolent, & vnde tam cupidè omnes fugiunt nõ excludar. Diuitias alij, ego paupertatem appeto, sed non omnem profectò, non sordidam, non tristem, neque sollicitam, sed tranquillam, sed pacificam, sed honestam. Hanc mihi nisi ab illo dari posse despero, etsi verum loqui iubes indignor, atque ab alio dari nolim. Apud eundem igitur intercede, pulsa, vrge, insta, opportunè quidem, vel si res exigit importunè. Facilem pro me aditum inueniẽt preces tuæ: non solet suas ille despicere, proinde ne videar precando diffidere, age non vt mereor, sed vt spero. Mediolani Idus Martias.

FRAN. PETRARCHA DOMINO FRANCISCO BRVNO, S. Epist. XXXVII.

Commendat quendam amicum.

PRædilecte frater, casus fuit, vt cum satis multa per alterius manus ad te ventura scripsissem, iterum mihi in manus calamũ necessitas honesta reponeret. Siquidẽ lator præsentium presbyter N. plebanus, &c. Domini capitanei capellanus, cum præfato Domino suo, ad Dominum nostrum venit. Est autem vir, vt mihi dicitur bonus, & in suo genere singularis, propter quod inter tam multos, ad tantum officium præelectus est, quibusdam

quoque mihi venerabilibus ac dilectis charus admodum & acceptus, quibus cum notū esset, quod hic paucis bonis est incognitum, quanta scilicet inter nos sit identitas animorum, optarunt vt ad te commendatorias literas meas ferret, ad quas non difficilis fui, quia & amicis talibus nil negare didici, & apud bonum pro bonis, intercessionem fauorabilem reor. Faue illi quaeso, qua potes: rem mihi feceris gratissimam. Vale.

FRAN. PETRARCHA FRANCISCO BRVNO, S. Epist. XXXVIII.

Eundem iterum commendat.

NIsi valdè fortibus humeris sis, tot mearum intercessionum sarcinas ferre non valeas. Scripsi saepe & repeto, notam adeò his in locis amicitiae nostrae famam, vt si passim omnibus annuam, literas ad te meas, optantib⁹ sat negotij, vnum hoc tibi allaturum sit. Parco autem labori tuo, parco & meo, & ad multa facillimus, hac in re difficilem, imò inexorabilem me praebeo nisi his solis, quos mihi vel virtus, vel singularis amicitia conciliat. Vtroque vero latorem praesentium affluentem noueris, N. virum scientificum atque honestum, & mihi has ob causas atque insignem morum suauitatem qua delector, acceptissimum. Hunc tibi dudum commendasse memor sum. & ipse tuae benignitatis ac virtutis praeco ingens, mihi se ne dicam tibi, tuum ob meritum perpetuò obligatū fert. Nūc fortè aliis ex causis, sed vt reor, licet hoc taceat, quia vnus est ex illorum acie, quorum virtus malis, ac morum diuersitas odiosum facit: studuit aliquantisper peregrinari à patria, & tentare siqua sibi sors alibi prosperior foret. Recommendo eum tibi iterum, eò arctius, quò sola olim fama, nunc experientia notus insuper & dilectus tunc amicus amicorum, nunc verò amicissimus mihi est, quod non esset nisi talem scirem qualem dico. Si sibi ergo vel ope, vel consilio prodesse potes. te hinc viro bono, imò optimo profuturum, hinc mihi cui semper places eximiè placiturum scito. De me siquid nosse volueris ipse dicet. De aliis enim pridem latiùs scripsi, & respōsum tuum expecto. Vale Paduę XXVI Nouemb. mane.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. XXXIX.

Hæc epistola, Cancri in modum retrograda, ingenij exercitio insigni ab authore conscripta, lecta siquidem, in genere demonstratiuo versatur, à principio de cursu laudat, à fine incœpta vituperat.

IVcunda ipsa fœlicitate. lætísque iisdem successibus te prosperis potiturum, nunquam quælibet te passurum aduersa, probate re vera, fide & operibus amice non ficte vir intimis affectibus gestio. ac iugiter Deum oro. Prolongentur dies tui, nec tibi sit vita breuis, Diuitiis affluas neque careas ergo cunctis optatis, debita quæpiam hæc tuæ virtuti non vitiis. Versus ad commendationes tui, promere volui, stylo sonante dispositus fidelitatis in tuas laudes, non iurgia criminandum, siquid fuerit, tegens de tui rubore, pandens tua tamen egregia, non infirma opera prædicanda. Cognoui te moribus perfectum, in cunctis quadruplici virtutum cardinalium radio, absque vitiorum maculis aspersum, sic iugiter extitisse. Virtutum ipsarum ordinem seruandum non iam præposterandum ideò duxi, singula ordinata in te facere, quoniam semper noui. Probas te prouidum in futuris, caues semper pericula, neque prospera fortunæ nisu animi complecteris, Disposita in te præsentia, solerti non segni studio, certa in actibus tuis ostendis, compositũ hic animum nónque rudem effectibus monstras. Amplectenda sunt vtiq;, non aspernenda operum tuorũ gesta, probanda reipsa exemplorum veterũ illustrium memorẽ, none exordem, námque te fuisse prorsus, & esse homines proclamant, prompta non disgregata memoria. Tribus itaque temporibus tuus animus manet, dispensantibus in singulis, prudentia omni, ac peritia rerum absque cordis ignorantia quorumcunque naturaliter insita tibi dilectam te iustitiam in iudicando foues, præmia bona, non supplicia iustis, iniquis pœnarũ discrimina nõ coronas, dudũ tribuere didicisti. Veritati similis, abdicatis tibi flagitiis reddis, hominib' omnib' sua, nõ piger, aut iniquissim' cẽsor. seruãs dubio procul misericordiã in seueris, & pietatẽ in rigoribus, sẽper tuis cedens ex animo clemẽti in adiecti onibúsque pœnarũ. Donator liberalis, nemini parc' largitor

munificus, non auarus. Execraris vitia non virtutes, mores honestissimos insectaris & honestum: nílque penitùs est iniquum quod operaris: iustos & bonos sequeris per omne tempus: pius in consiliis, iustus in omnibus operibus tuis. Constantem in animo te certè noti ferunt, fœlici statu non exaltari, aduersis euentibus fortem non depressum te reddere. Fortitudinem ac virtutem omnibus temporibus inuictam, sic seruans agnosceris. Declamaris animo probo, reuera, publicâ longáque fama nimis non trepidus, non remissus, non vecors, diceris apparere. Sancta modestia, pulsa gastrimargia, fungeris, castimonia, reiecta lasciuia, delectaris. Temperatum in verbis & actibus: cibis, & potibus, te die ac nocte experti manifestius attestãtur. Deo atque hominibus grata omnibus opera tua patent. Meditaris nam iugiter quódque fas quódque nefas, & purgas animam mala fece. Fœlicem in gradibus singulis dicere malim te, probandum consona veritate regno dignissimum, indignissimum rure.

FRAN.



FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. IN EPISTOLARVM SINE TITVLO, librum,

PRÆFATIO.



CVM semper odiosa fuerit, nunc capitalis est veritas, crescentibus nempe flagitiis hominum, creuit veri odium, & regnum blandiciis, ac mendacio datum est: id me sæpe dixisse, interdum etiam & scripsisse memini, sed dicendum sæpius, scribendúmque est. Non antè fletus desinet quàm dolor. Ea me pridem cogitatio induxit, vt Buccolicum carmen, poematis genus ambigui scriberem, quod paucis intellectum, plures forsitan delectaret, est enim nonnullis corruptus adeò gustus ingenij, vt eos notus sapor, quamuis idem suauissimus offendat, ignota omnia, licet asperiora permulceant, sic (mirum dictu) difficultas rerum, sæpe etiam fragilibus humeris grata est. Idem me hodie respectus inducit, vt his literis, pauca quidem, sed quò veriora, eò malis odiosiora

concludam,bonis verò nisi fallor amabilia:Epistolas scilicet aliquot, diuersis ex causis, variisque temporibus, ad amicos scriptas, quas vnum in locum ideò conieci,ne vt erant sparsæ,totum epistolarum corpus aspergerent, ac veri hostibus odiosum facerent. Et vt qui has legere voluerit, sciat vbi eas quærat, qui noluerit intelligat,quid declinet,siquis autem eradendas,abiiciendásque censuerit, possit facilius partem vnam, sine totius operis deformitate conuellere. Qua in re & lectori consultum volui & mihi. Et sicut in pastorio,de quo loquebar opusculo,sic in isto,illic obscuritate quadam, hic scriptorum latebris, ac silentio tutus sum,nec solus ego, sed hi quoque quibus hæc scripseram,quorum nomina sciēs, voléńsque subticui, ne his forsan in lucem erumpentibus,aut noxæ si supererant, aut odio si obierint illis sint, quasi hæc eis potissimè inscripserim,quos scirem libentius audituros. Equidem liber ille,ad quorundam manus maximorum hominum, me præsente peruenit, dúmque eam partem legerent, qua maximè tangebantur, quid ibi sensissem percontatos memini, méque de industria transtulisse sermonem. Hic verò quia nullum huiuscemodi velum erat, prouidebo, si potero,ne viuo me, cuiusquam talium in manus veniat,si fefellerit, ego tamen veri studio, quæsitum odium, non verebor,& meritis partam inuidiam, inter titulos numerabo sin vsque dum abiero, bona fide latuerit.Postmodum vt libet sæuiant, irascan-

cantur,tonent,fulminent,quid ad me?Certè si Satyrico placet, viuenti de mortuis loqui tutum est,multò est tutius,mortuo de viuis. Illic enim potest superesse, qui vindicet, hic in quem vindicet,vtique iam non est. Sit licet odiosa veritas,sit pestifera, sit funesta, ipse iam in portu nauigat,vt ait Comicus,& in tuto est, iam terribilia cuncta transgressus,omnes mortalium minas spernit,si quid tunc igitur in me parant, iam hinc pro responso habeant illud Plantij Oratoris elegans dictum aduersus Asinium Pollionem. Cum mortuis non nisi laruas luctari.Sin in hunc,seu alios libellos meos accinguntur, vbi illos huic calamo, vel mea indignatio,vel eorum obiecit indignitas,non mecum sibi fore nouerint, sed cum veritate certamen,Deo iudice,mundo teste.



FRANCISCI PETRARCHAE, V. C. EPISTOLARVM SINE TITVlo, liber.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. I.

Seculi fallaciam, portum salutis ostendit.



QVID agis bone vir? Quid agis pater optime? Quid agis, oro te? Quid cogitas? Quem rebus exitum, quem pręsenti naufragio finem speras? portúm-ne tenebimus, an in mediis tempestatibus obruemur? Aequorei sæuis cymba tantis impar est fluctibus, nimius carbasa ventus impleuit, & carina grauissimo fasce deprimitur, remos agunt inexperti, claui autem rector, vt vides, artis nauticæ præcepta despiciens, terram amat, quod ingens nauigantibus solet esse periculum, idem & sereno nimium fidit, demens, & stellas vagas intuens, stabilem Arcton, fidam puppibus ducẽ spernit. Hęc inter, vino madid', æuo grauis ac sopo rifero rore perfusus, iam iã nutitat, dormitat, iam somno præceps, atq; (vtinã solus) ruit: Iam pallorem cadentis aspeximus, iam naufragium miserum murmur audiuim', iam fatiscens aluus crepuit, sparsa iam pelago fluitant armamenta. O vtinam si Pater excelsus amisso fluitantem errare magistro sentiens, ipse etiam ratem suam, nocturnis in vndis regat, nec emergi sinat, quam tanto pretio redemit

redemit ab hostibus. Alioquin valdè metuendum est, ne vrgente æstu, inter pyratas & scopulos pereamus. Huc nos gubernatoris nostri perduxit inscitia mitiùs loquor, imò verò cæcitas & hoc ipsum excusabile. Loquendum est igitur propriè & vera rebus reddenda vocabula, fecit hoc furor & rabies, & turpis inertia, & procellosi littoris feruidus appetitus, & rationis imperium fortunæ traditum, & hortatu fœdæ cupidinis pondus infamiæ susceptum. Heu quantò fœlicius, patrio terrā sulcasset aratro, quam scalmum piscatorium ascendisset, quid dicam, scio equidem, quod vniuersi offensæ, particularis vindicta non sufficit. Sed quid amplius fiet? Ille igitur vadit pro meritis accepturus, & canibus esca maritimis, ille digitis omnium ostensus, omnium salibus aspersus, omnium ludibrium, iocúsque mensarum: postremò omnibus hoc mare sulcantibus in æternum fabula. De nobis autē quid putas? Certè si ad clauum similis nauclerus accesserit, salus nos ipsa, si velit saluare vix poterit, vna nobis in tantis terroribus spes salutis tale nusquam esse portentum. Tu verò circunspici, si qua est ad enatandum tabula, quàm complexi, in siccum euadamus. Si consiliū meum poscis, in rure tuo, si liceat optime manebimus, ibi silentium optatum, & portus mihi quietissimus videtur, hic animum intende, & Vale.

FRAN. PETRARCHA PRINCIPI ROMANO, S. Epist. II.

Maiestatem læsam dolet.

QVid hinc humanitatis aut elementiæ, seu quid omnino iustitiæ sperare possis, excellentiæ tuæ nunti⁹, expertus testabitur nouum genus sęuitiæ, puerum incomitatum, incautum, innocentem, hostiliter aggredi, virgulam, quam si quid sani esset, & vereri & timere debuerat, capsulamque quoque, gratissimis ac suauissimis literis refertam, in caput immeritum, donec vtrunque frangeretur allidere, ipsas quoque literas, quæ marmoreos animos mollire potuissent, disceptas effundere. En hospitalitas, en charitas, ad Durentiam captus, tortus, flagella-

tus, & ciuitatis ingressu prohibitus, nuntius tuus, minas cum verberibus, ac vulneribus referens, ad pedes tuos, vertice cruentato rediit. O verè Durentia, vt vulgus appellat, duritiem gentium, siue vt quidam scriptores vocant, Ruentia, à ruendo diceris præceps fluuius, damnosúsque, cuius accolæ nihil vndis, & alueo mitiores, & ipsi tanto impetu in quodlibet scelus ruunt! O impudenter elati! O irruentes & indeuoti amnes! O non tua sorbens, & tumidè in Dominum surgens Sorga! O Rhodanus rodens omnia, sic Tyberim recognoscitis, sic Romanam dominam honoratis? O Auinio, cuius vinea (siquid coniectoribus fidei est) botros amarissimos, & cruentam profert vindemiam, sic dominam Romam colis, sic tui sic illius, sic propriè seruitutis, sic summi imperij memores. Væ tibi infœlix, si illa cœperit expergisci, imò verò, si caput extulerit, & dormienti sibi illatas iniurias, ac damna prospexerit. Experrecta enim iam nunc est, crede mihi, non dormit, sed silet, & somnia præteriti temporis, sub silentio repetit, & quid surgens actura sit cogitat. Expectato paululum, & videbis magnalia in orbe terrarum, fieríque mirabere, quæ antè factum impossibilia iudicasses. An quid scis, an vbi sis, an cui subsis ignoras? An prouinciæ nomen nescis, vnde descendat? Quis-nam furor hic? Quænam ista dementia? Sic modico sereno, tempestatem omnium surrepsit obliuio? Sicci-ne prouinciarum dominam veneraris? Sopita erat, tu mortua credidisti, ac velut morte dominæ libertati reddita, adhuc seruam te putasti. Nisi libertatem ipsam flagitiis approbares, esse aliquid posse, aliquid videri cupis, nos aliquandiu te voti compotem, deliberando fecimus, tempus est, vt nobis admonentibus resipiscas. Multorũ nempe potentia, non in propriis viribus, sed in aliena debilitate fundata est. Verùm hæc aduersario conualescente corruat oportet, tunc ergo quid fueris intelliges, cum quid adhuc sit Roma cognoueris, cuius modo nuntiis sic insultas, putans non esse qui vindicet: falleris ineptis, insanis, est, qui vindicet in cœlo Deus, est qui vindicet in terris amicus Dei, quem tu nescis, sunt vires, quas ne suspicari quidem potes. Ha misera, sed experiêre illicò vt spero, tuæ,

ro,tuæ,nobis vim nostrã,iniuriæ reddidere cum primum dolere cœperimus, magno tractu,& ad sanitatem,& robur accessim⁹. Tu verò res nostras misereare, Vir illustris erige surgentẽ patriam, & gentib⁹ incredulis quid nunc etiam Roma possit ostende. De reliqua enim Italia,cui dubium est,quin quantum potuit possit,nec vires,nec opes,nec animos deesse, sed consensum. Qui si vnus affuerit,illud dentibus nomini Italico,tenore præsentis epistolæ,propinquam stragem,perniciémque denũtio. Tu (inquam) quem tantę rei ducem fata constituunt,perge qua cœpisti, nihil formidaueris, nubeculæ istæ sole radiante dissilient: vulpecularum astutiæ leonis impetum non ferent: ingressus es gloriosè, i fortiter, i cõstanter, ad reliqua, ostende superbiæ quantum humilitate sit inferior, auaritię quãtùm largitate pauperior, fallaciæ quàm stulta sit adiecta prudentiæ, voluptati quàm turpis admota temperantiæ ac decori. Agnoscat tandẽ fucus hypocrisis, quàm nihil sit,vbi vera virtus affulserit. Eia age, rumpe moras,& ranã tumore ridiculo,molem solidi bouis imitantẽ protere,frange,cõculca. Non loquor vt incitẽ,nec impulsore, nec lenitore indiges,& calcar,& frenum in potestate habes,sed dolorem animi,tacitus ferre non potui. Dolor loquendo auctus,querelã auxit,& vicissim sermo indignationi alimentũ præbuit,& indignatio sermoni, quis enim tranquillus hæc videat, violatum ius gentiũ,spreta humanitatis fœdera,in nuntij tui persona? O immemor honestatis ira, meli⁹ inter barbaros hostes fuisset nuncius tu⁹,quàm inter eos,quos & rebaris Latinos,& beneuolos merebaris. Euoluant historias,si modò quicquã præter, quibus inhiãt, diuitias spectare queant, inquirant, & mihi respondeant, quæ barbaries legatos violauit vnquam? Nisi perraro,nulla præsertim causa interueniente? Tentauit hoc quondam in legatis nostris, fallax, & infida Carthaginensium plebs, sed prohibita vis est magistratuum interuentu. Hanc vim, quæso,quis prohibuit? Quis facta puniuit? Durior sum, imò verò quis arguit,vel reprehendit? Quanto totius nuncius tuus isset in Parthiam, truncatis Crassis & legionibus nostris fusis? Quanto intactior isset in Germaniam, cæsis

Teutonis & Mario triumphante, quàm huc venit, te Romanam Ecclesiam filialiter venerante? Certè ne victoris insolentia, ne victi hostis dolor tantum præsumpsisset, quantum fictę amicitiæ præsumpsit inuidia. Faciliùs puer tuus, nemorosum Pelion, & algentes Tauri colles hyeme media, quàm Orgonis planitiem, autumnali tempore transiuisset. Liberiùs Gangem & Tyberim, quàm Durentiam transnatasset. Hæc leuandi animi gratia dixisse volui. Te verò vir magnifice, nec iniuria, nec iniuriæ illatores, nec vlla prorsus falsæ magnitudinis simulachra permoueant, non est vera magnitudo, nec verum robur posse nocere: id enim nimis atque infirmissimis animantibus datum est, magnitudo vera est posse prodesse: verior autem velle: potuerunt nocere nocentissimi hominum, innocenti puero, & boni nuntij vicem hanc referre, quid hic magni est? Imò verò quid nisi nihilominus? Si enim peccatum omne nihil est, eò magis est nihil, quò peccatum maius: ita peccati magnitudo, si dici potest magnitudo, nihil est. Hac modò magnitudine viri fortes, & suis artibus vsi sunt, potuerunt quod scorpius, quod aranea potuisset, nocuerunt vni ex tuis, & quod est in hac immanitate conspectus, tibi nocere voluerunt, nec tibi vt tibi, sed, vt libertatis ac iustitiæ defensori. Te enim non nisi propter illas odio habent, illas autem propter se, vt quas iniusto, quo superbiunt imperio contrarias norunt. Tu si ad magnitudinem animi tui redis, horum tumidum, & inane propositum, simul oderis & contemnes, acria quidem ista & acuta, sed parua sunt. De maioribus agitur. Hæc cum vniuersitate transibunt, & serui tui vltio latebit, sub Reip. vindicta. Vale, & perfice quod cœpisti.

FRAN. PETRARCHA PRINCIPI ROMANO, S. Epist. III.

Romam Italiæ coniungere esse vtile.

LEue est quod nunc animum premit, egerendum tamen, ne neglectum stomacho obsit, plus enim quàm pro quantitate bilem excitet, & paruum licet, ingentis nauseæ

nauseæ materiam fert. Olet nempe virus abditum, profundi, vetustíque odij, ita mihi visum est, ita tibi visum iri certus sum,& si latiùs innotescat, totius Pop.Rom.atque omnium Italorum animis, incussurum iustissimæ indignationis aculeos, spero,excussurúmq; grauedinem torporis,quo nunc priscus generosæ indolis vigor tepet, cui vi vel sponte totus olim orbis cessit, nunc pudor vltimi hominum insultant, non inutile opus Reip. si successerit vt opto, breuis scintilla, magnum mouit incendium, verbum vnum, multarum ac magnarum rerum fuit indicium: sed iam res ipsa tractanda est,nec tam magis exaggeranda sermonibus, quàm indignatione legentium. Nuper equidem inter quosdam,ex his qui sibi videntur sapientes, aliis fortè non ita, dubitatum, & in quæstionis formam propositum fuit,Expediréte ne terrarum orbi, vrbem Romam, & Italiam esse vnanimes atque pacificas: Et quamuis illa rerum dubitatio,satis puerilis & inepta sit tamen disputandi studio, vtrunque poterat excusari,nisi multis argumentis vltrò citróque iactatis, is qui omnium sapientissimus habebatur, cum plausu & fauore omnium,nullatenus expedire, venenata diffinitione firmasset. Quod tu,quæso, vir eloquentissime, cùm primum vt soles, in publico perorabis, populo Romano meis verbis indica, vt intelligat, quæ sunt horum procerum, de nostra salute, per quas, etsi nihil nocent, animos tamen suos, ventosa loquacitate detegunt, dum quod de nobis cupiunt, tam vehementer cupiunt, vt dissimulare non possint, & votum iniquissimum, ac hostile propositum suum in rationis locum transferre, contendunt cæcitate turpissima. Sed ipsi quidem, in erroribus suis morientur. Nos in manibus Dei sumus, fortunam non quam ipsi volunt,sed quam ille nobis præparauerit habituri. Non tamen his deliramentis interfui, contristassem fortasse aliquos, neque enim aut honestum, aut mihi possibile, in tam impia loquacitate silentiũ fuisset: cæterũ vt res ad me perlata est, indignat⁹ grauiter, & tunc inter nostros contrariũ diffiniui, & nunc, & apud te libertatis nostræ Principẽ,quantulãcunq; auctoritate diffinio. Téque ante alios & Romanũ populũ

atque vniuersam Italiam, vt quod ego verbis assero, rebus approberis, per omnes cœlicolas supplex oro, & vt in statu prospero diu viuas, & Remp fortiter liberatam, fœliciter regas, opto.

FRAN. PETRARCHA POPVLO ROMANO, S. Epist. IV.

Libertatem & eiusdem assertorem, vt tueatur, & innoxium defendat hortatur.

Apud te quidem Inuictissime, domitórque terrarum Popule meus, apud te clam, paucis, res magna tractanda est, aduertite animos, quæso, obtestórque vos Viri clarissimi, vestra res agitur. Magna (inquam) nec solum magna, sed maxima, & cui in terris *nulla par esse* potest, néue forsitan sciendi auidos, expectatione conficiam, aut rem suapte natura permaximam, nitar verbis augere, præfationibus omissis, ad ipsam rem venio. Tribunus olim vester, nunc captiuus alienus, ô triste spectaculum, ceu fur nocturnus, aut patriæ proditor, ex vinculis causam dicit, & quæ nulli vnquam sacrilego prærepta est, apud iudices orbis terrarum, & iustitiæ magistros iustæ sibi defensionis facultas eripitur. Est ille fortè non indignus hæc perpeti, qui in suo ingenio, suísque, *vt ita* dixerim, manibus plantatam, & iam radicatam, florentémque Remp. in ipso gloriosissimi successus flore destituit? At minimè digna est Roma, cuius olim ciues, lege inuiolabiles, & supplicio exempti, nunc non modò sine sceleris infamia, sed multa quoque cum laude virtutis, passim sæuo quorumlibet arbitrio violentur? Ne enim causam ignoretis, Viri illustres, qua olim caput & rector, nunc ciuis dicam, an exul vester opprimitur, rem nescio an vobis incognitam, sed certè mirabilem, & indignam audietis Non ille quidem neglectæ, sed defensæ libertatis arguitur: nec deserti, sed occupati capitolij reus est. Illud sibi summũ, & crucibus expiandum scelus, obijcitur, quod affirmare præsumpserit, Romanum imperium, nunc etiam Romæ, & penes P. R. esse. O impia sæcula! O truculentã inuidiã! O maleuolẽtiã inauditã! Tu verò nũc infallibilis, & incorrupte rerũ arbiter CHRISTE quid agis? Vbi sunt oculi tui, quibus humanarũ miseriarũ nebu-

las serenare solitus es ? Cur illos auertis? Cur nõ ancipiti fulmine, causam dirimis sceleratã? Et si non meremur aspice in nos, & miserere nostri Respice inimicos nostros, nec minus tuos, quoniã multiplicati sunt, & odio iniquo oderũt nos, nec minus te. Discerne quæsumus, inter partes, omni ex parte dissimiles. Denique de vultu tuo iudicium nostrum prodeat, oculi tui videant æquitatẽ. Certè si iugo Romano, quod omniũ iustissimũ atque suauissimũ fuit, aliqua gens, imò verò gens omnis, vt cernim⁹, voluit colla subducere, nihil est q̃ indignemur, aut miremur. Est enim animis mortaliũ, libertatis insitus appetit⁹, sæpe etiam incõsultus ac præceps, & sæpe dũ parere melioribus pudor vetat, qui bene subessent malè præsident; sic omnia miscentur, atque turbantur, vnde nonnunquã in loco digni imperij, seruitium indignum, & in loco iusti seruitij, iniustum imperium videmus. Quod nisi ita esset, meliori loco essent res humanæ, & adhuc incolumi capite, mundus integrior, id si mihi non creditur, experientiæ credatur, quando vnquam tanta pax tanta tranquillitas, tanta iustitia, tantus virtutis honor, tanta bonis præmia, tanta malis supplicia, tam bene consultum rebus, quàm postquàm vnum caput orbis habuit, capútque ipsum Roma fuit? Quo potissimum tempore, amator pacis ac iustitiæ nasci Deus ex virgine, terrásque visitare dignatus est. Singula quidem singulis corporibus data sunt capita, & orbis vniuersus, cui à Poëta magni corporis nomen ascribitur. vno temporali capite, debet esse contentus. Monstruosum est enim omne animal biceps, quantò magis horrendum, & immane prodigium est, animal mille capitum diuersorum, seséque mordẽtium, inuicémq; pugnantiũ ? Quod si capita plura sint, vnũ tamẽ, q̃ cũcta cõpescat, atq; omnib. præsit, esse debere non ambigitur, vt totius corporis pax incõcussa permaneat. Certè q̃ experimẽtis innumeris, & doctissimorũ hominũ auctoritate deprehẽsũ est, & in cœlo, & in terra, optima sẽper fuit vnitas principatus. Id sanè supremũ caput, velle se De⁹ omnipotẽs, nõ aliud esse quàm Romã, multiplicib⁹ declarauit indiciis, quàm belli, pacísque gloria, q̃ séque mirabilem sine exemplo virtutis, tanta præeminen-

tia dignam fecit, quæ quamuis ita sint, adhuc tamen si humani more animi, malo suo quotidie gaudentis, aliqua gens, vt dixi, damnosam & ambiguam libertatem, quàm tutum, & salutare publicæ matris imperiũ mallet amplecti, posset insolentiæ, vel inscitiæ venia deberi. Illud verò, quis inoffensis auribus accipiat, inter homines doctos quæri, An Romanum imperium Romæ sit? Ergo apud Parthos, Persásque & Medos, Parthorum, Persarúmque, & Medorum regna consistent, Romanum imperium vagum erit? Quis hanc indignitatem stomachus ferat? Quis non potiùs euomat, penitúsque reiiciat, si imperium Romanum Romæ non est, vbi *quæso* est? Nempe si alibi est, iam Romanorum imperium non est, sed eorum, penes quos illud volubilis fortuna deposuit. Etsi enim sæpe Romani Imperatores, pro necessitate Reip. in orientis, aut occidentis extremo, sæpe sub Borea, vel Austro cum exercitibus agerent, Romanum tamen interim imperium Romæ erat, & de Romanis Imperatoribus, quo vel præmio, vel supplicio digni essent, Roma censebat. De Capitolio petebatur quis honorandus, quis plectendus, quis Vrbem priuatus, quis ouãs, quis triumphans introiret, si inquirãt post Iul. Cæsaris seu tyrannidem, seu dicere malumus Monarchiam, Romani principes, quanquam iam Deorum concilio ascripti, adhuc tamen à S P.Q.R. gerendarum rerum licentiam postulasse compertum est, & data, vel denegata licentia, egisse quæ destinauerant, vel cessasse. Imperatores igitur vagi esse possunt, stabile fixúmque semper imperium est, nec de temporali statu, sed de perpetuitate imperij dixisse credendus est Maro, vbi ait:

Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiúmque pater Romanus habebit.

Neque enim hæc dicens, centum aut mille annorũ, sed immortalem illis duobus gloriam spondebat. Néve quisquam verba hæc blanditias vocet, quæ profectò, nec lingua mea, nec vestris auribus dignæ sunt, digressione opus est. Scio ego, de hac re Virgilium quodã loco ab Augustino reprehensum, non iniustè, sed ibidem mox iustissimè excusatum, cùm Poëta loquentem de vobis Iouem

faceret,

faceret, sic ait:

Romulus excipiet gentem & Mauortia condet
Mœnia, Romanósque suo de nomine dicet.

& origini perpetuitatem adiiciens, inquit:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono
Imperium sine fine dedi.

Hoc non immeritò quidem notat Augustinus. Quomodo enim imperium sine fine dabit qui nihil vnquam dedit, aut dare potuit, nisi quod homo sceleratus, & mortalis potest, falsa diuinitatis opinione, non ornatus, sed oneratus, & oppressus? Prætereo autem hæc, quisquis imperium Romanum dedit (quod non dedisse certum est, nisi omnipotentem Deum, cuius in cœlo, & in terra imperium vnum est, vnde imperia cuncta descendunt) vbi tamen hoc imperium sit quærit Augustinus: in terra, an in cœlo? Et vtique (inquit) in terra est, & si esset in cœlo, cœlum & terra transient quæ ipse fecit Deus, quantò citius, quæ condidit Romulus? Hæc Augustinus in Virgilium. Et certe perspicuum est, regna omnia, & quicquid vsquam clarum, aut magnificum oculis nostris apparet, & si antè non ruerint, tunc saltem ruitura esse, dum cœlum & terra mouebuntur: Illa concutiente qui creauit, quíque nouũ cælum, nouámque terram faciet, non mentiturus, vt Iupiter, cum ipse sit veritas. Eius est illud regnum, principio carens, & fine cariturũ, de quo scriptum est: Et regni eius non erit finis, quòd licet fortè Virgilius ignoraret, cui Deus ingenium excellens, eloquiúmque præstiterat, verum hæc à sapiẽtibus abscondita & paruulis reuelanda negauerat, illud certè non ignorabat, peritura esse omnia regna, quæ initium habuissent. Ingenti igitur cautela vsus est, siquidem vbi immortalitatẽ Romano pollicebatur imperio, non ipse loquebatur ex persona propria, sed Iouem loquentem inducebat, vt mendacis Dei, mendax oraculum esset & falsa promissio. Ipse autem ad gratiam P. R. alieno mendacio vtebatur, at alibi, quando ex persona sua loqui voluit, veritatem ipsam idem Poëta non tacuit:

At enim res Romanæ, perituráque regna.

Quis non clarè videat, inter imperium sine fine, periturá-

que regna, quid interfit? Sed hîc Virgilius, ibi Iupiter loquebatur, hîc homo ingeniosus, ibi falsus Deus, aliis quidem verbis, sed hac planè sententia Virgilium accusat, & excusat Augustinus, secundum quam intelligo quæ dixi, & quæ dicā. Certè Romanus erat ille qui scripsit. Omnia orta occidunt, & aucta senescunt. Senescent ergo hæc omnia, si durent, & si cuiusque rei finis est senect⁹ sua, vtique omnia senescent, nisi iam fortè senuerint, quando & quæ stant, cuncta occident, & occasum si non præuenerit, saltem comitabitur senectus. Ita nulla est exceptio, seu durent, seu non durent, orta omnia, aut setius, aut ocius tandem occident, & senescent. Voluet motu continuo rotam suā instabilis fortuna, & de gente in gentem volubilia regna versabit. Faciet illa cū volet reges ex seruis, seruos ex regibus, & in vrbem Romam, & in orbem Romanum, suam ineluctabilem potentiam exercebit. Quam precipuè in vos Viri optimi, multis fortè miserantibus, nullo penitus succurrente, diu miserabilibus modis exercuit & exercet. Scio, doleóque, & plus quā credi possit indignor: quid amplius faciam non habeo. Nec me angit, ꝙ fortuna iure suo vtitur, vt in reliquis, sic in vobis, atque vt se rerùm humanarum planè dominam probet, ipsum rerum caput attingere non veretur: Scio violentiam, instabiles mores noui, quarundam verò indomitarum gentium inanem iactantiam ægrè fero, quarum nunc Romano trita iugo colla lasciuiunt, ita pudor & fœlix fabula; iam (vt cætera multa & grauia sileam) in quæstionem venit. An Romanum imperium Romæ sit? Enimuerò vbi nunc horrida sylua est, poterunt regia tecta consurgere; atque vbi nunc atria sunt, auro rutilante fulgentia, poterunt cupidi greges pasci; & penetralibus regum, vagus pastor insistere, non detracto fortunæ imperium; potest illa funditus, vt vrbes alias, sic reginam Vrbium pari nisu, ruina maiore prosternere, quod heu; magnā ex parte iam fecit. Illud profectò nunquam potuit efficere, vt Romanum imperium, alibi sit quàm Romæ, simul enim vt alibi esse cœperit, desinet esse Romanum. Hæc se mirabilis Ciuis vester affirmasse; & affirmare non negat, & hoc est illud graue crimen;

vide

vnde in discrimen capitis adducitur, addit autem, se id multorum consilio sapientum dixisse, nec puto mentitur, & defensionis copiam, aduocatúmque sibi dari flagitat. Negatur, & nisi diuina misericordia, vestérque fauor occurrerit, actum est, innocens, indefensúsque damnabitur. Hominum pars magna compatitur: nemo ferè est, qui non misereatur præter eos, quibus proprium erat misereri, & parcere erroribus, non inuidere virtutib⁹. Iurisconsulti insignes hic etiam non desunt, qui iure ciuili asserant, hanc ipsam sententiam probari clarissima ratione, nec desunt qui ex historiis, se multa & valida probaturos dicant, ad eiusdem sententiæ firmitatem, modò liberam vocem liceat emittere. Nũc tamen nemo est, qui mutire audeat, præter quàm in angulis, in tenebris, in timore. Ego ipse, qui vobis hæc scribo, & fortè pro veritate non recusem mori, si mea mors collatura aliquid Reip. videatur, nũc taceo, neque his ipsis ad vos scriptis meum nomen adiicio, stylum ipsum sufficere arbitratus, hoc adiecto, ciuem Romanum esse, qui loquitur: quòd si tuto in loco, apud æquum iudicẽ, & non ad tribunal hostium res agatur, spero veritate animum illustrãte, & linguam, seu calamũ dirigente Deo, posse aliquid dicere, quo luce clarius appareat, Imperium Romanum, quanquam fortunæ iniuria attritum, oppressúmque diu, & quanquam variè ab Hispanis, Afris, Græcis, Gallis, Teutonis occupatum, adhuc tamen quantulumcũque est, Romæ esse, non alibi, idémque mansurum, etsi nihil prorsus ex tanta vrbe, præter nudum saxum Capitolij superesset, quinetiam tunc, quando nondum externis manib⁹ agebamur, tantúmque Romani Cæsares imperitabant, non penes eos, sed penes Capitolij arcem, ac Populum Romanum, omne ius imperij fuisse, si verum est, quod malæ fidei possessor, vllo tẽpore non præscribat. In hoc autem rerum statu, dum dies trahitur, quod fortè desuper datum est, vt quod modò nec sperare quidem auderetis, tãta res in lucem veniat, vnum quod ad vestram, & Romani nominis dignitatem spectare visum est, dissimulare nõ potui, cogente me ad calamum fide illa, qua nos vrbémque vestram, inter omnes singulari quodam amore, ac venera-

ctione complector. Charitatem igitur vestram hortor, atque obsecro, ne ciuem vestrũ in extremis positum deseratis, sed vestrum esse monstretis, solennibus eum nuntiis reposcentes: etsi enim vobis imperij titulum nitantur eripere, nondum tamẽ eò vesaniæ sunt euecti vt negare audeãt, vos in vestros ciues ius habere. Certè si quid homo iste peccauit Romæ peccauit, nec dubitari potest, de cõmissis Romę peccatis, vestrũ esse iudiciũ; nisi vobis fundatoribus legũ atq; cultoribus, & qui iura gentibus tradidistis eripitur ius commune. Vbi enim iustius delicta castiges quàm vbi commissa sunt? Vbi scilicet & locus ipse memoriam criminis renouans, sceleratis pars non parua supplicij, & scelerum spectatores, pene spectaculum, aut soletur, aut terreat. Quòd si fortè Trib. vester, quoniam multi, quin potius boni omnes ita sentiunt, non supplicio sed præmio dignus est, vbinã melius, quod meretur accipiet, quàm vbi fecit propter quod talia meretur? Nusquam dignius præmium viri fortis exoluitur quàm vbi fortiter gessit, vt qui actum viderint, ad imitandum præmio accendantur. Fidenter itaque reposcite Ciuem vestrum, nihil nouum, nihil iniustum poscitis, potiúsque delinquitis si tacetis. Quod si communis iure patriæ, vbi nunc captus est puniendus asseritur, quantò verius communis patria Roma est, vbi ille natus, educatúsque est, vbi quicquid id est, vnde accusatur, admisit, qui contrà nihil hic vel laude, vel vituperio dignum fecit: si verò contra morem maiorum cum fortuna ceciderunt animi, adeóque degeneratum est, vt iustitiam poscere temeritas videatur, his quorum patribus, nihil olim difficile visum est at saltem quod ab omni, quæ legibus viuat barbarie posci potest: poscite, vt ciui vestro audientia publica, & defensionis legitimæ non negetur copia, néue qui in luce fecit omnia, imò qui quantum per hominem fieri poterat lucem mundo reddidit, in tenebris condemnetur. Ostendite vos denique causam ac fortunam non negligere Ciuis vestri, resistite iniuriæ, prohibete nephas, protegite innocentem, reum vel nocentem iudicate, aut saltem, ne pro cuiusquam libidine iudicetur occurrite. Ferte quam potestis, & quam debetis opem

Trib.

Trib. vel si id nomen euanuit, Ciui vestro, multa de Rep. benemerito, atque illud in primis, quòd quæstionem magnam atque vtilem mundo, multis sopitam; ac sepultam seculis, suscitauit, quæ vna ad reformationem status publici, atque ad aurei seculi initium, via est. Succurrite illi viro, neque contempseritis salutem eius, qui pro vestra salute, sese mille periculis, ac sempiternę obiecit inuidiæ; illius propositum atque animum cógitate, & memineritis, quo in statu res vestræ fuerant, & quàm repentè vnius viri consilio atque opere, quantam in spem, non Roma tantùm, sed Italia omnis erecta est, quantum subitò nomen Italicum, quàm renouata ac detersa Romana gloria, quantus hostium metus ac dolor, quantum gaudium amicorum, quanta populorum expectatio, quàm immutatus rerum tenor, quàm facies orbis alia, quàm diuersus habitus animorum, quàm nihil sibi simile, ex omnibus quæ sub cœlo sunt, tam mira, & tam repentina mutatio rerum fuit. Septem enim mensium non amplius spatio, frena Reipublicæ tenuit, vt vix ab origine mundi maius aliquid attentatum rear, & si successisset vt cœperat, diuinum potius quàm humanum opus esse videretur, Et profectò, quicquid ab homine bene agitur, diuinum opus est. Huic ergo, quem vestræ gloriæ, non ambitioni propriæ desudasse notum est, fauor haud dubius debetur, de euentu fortuna culpanda est: siquis autem torpor feruenti principio interuenit, humanæ varietati atque imbecillitati veniam dare, & dum licet vindicate. Ciuem vestrum ab iniuria, qui Græcos à Macedonum, Siculos à Carthaginensium, Campanos à Samnitium, Tuscos à Gallorum iniuriis, non sine graui vestro periculo vindicastis. Extenuatæ sunt fateor opes vestræ, at nunquam plus animorum patribus vestris fuit, quam dum Romana paupertas, diues virtutum viguit. Imminuta vestra potentia est non ignoro, sed mihi credite, si qua pristini sanguinis gutta superest, nō parua vobis est maiestas, neq; mediocris auctoritas. Audete aliquid, adiuro vos per memoriā rerum Romanarum, per maiorum cineres ac gloriam per nomen imperij, per misericordiam IESV CHRISTI.

qui diligi proximum & succurri iubet afflictis. Audete, oro, aliquid, præsertim cuius & honesta petitio, & inhonestum ac turpe silentium est, etsi non propter illius salutem, at propter vestrũ decus. Audete aliquid, si vultis esse aliquid, nil minus Romanum est, quàm timor. Prædico autem vobis, quoniam si timetis, si vosipsos contemnitis, multi vos quoque contẽnent, metuet nullus: sin sperni nolle cœperitis, longè, latéque metuemini, quod cum sæpe olim, tum nuper apparuit, illo Remp. gubernante, de quo loquor. Aperite tantùm vnanimiter ora vestra, sentiat mundus vnam esse vocem P.R. nemo vsquam illã irridebit, aut spernet: nemo non venerabitur, aut timebit. Reposcite modò captiuũ hunc, vel iustitiam poscite, alterum non negabitur. Et qui parua quondam legatione, regem Ægyptium, sub obsidione Syriaca liberastis, nunc ciuem vestrum, ab indignis carceribus liberate, & valete.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist V.

Quod in Galliis moram trahere cogatur, dolet.

GEminus mihi Parnassus, alter in Italia est, alter in Galliis, qualis qualis exulantium latè Pyeridũ duplex domus: In Ausonio Helicone fœlicior fui:

dum fata Deúsque sinebant:

Vt apud Maronem illa miserabilis amans ait, si tamen amans miserabilis, & non pudicissima, ac constantissima mulier fuit Dido, nunc me Gallicus orbis habet, & occidentalis Babylon, qua nihil informius sol videt, & ferox Rhodanus æstuanti Cocyto, vel tartareo simillimus Acheronti, vbi piscatorum inops quondam regnat hæreditas, mirum in modum oblita principij, stupor est memorare illos, hos cernere auro onustos, & purpura, superbos principum, ac gentium spoliis videre pro inuersis ratibus, luxuriosa palatia, & mœnibus clausos montes, pro retibus paruis, quibus olim in æstu Galilæo, victus vix exiguus quærebatur, quibus in stagno Genezareth tota nocte laborantes, nihil cœperant. Mane autem facto, capta est in nomine IESV ingens piscium multitudo, audire nunc mendaces linguas, spectare membranas vero

vacuas,

vacuas,& pendenti plumbulo, versas in retia, quibus in nomine eodem,sed in operibus Belial, credula Christianorum turba concluditur, vt mox squamis exuta,curarum flammis, & desolatoriis carbonibus exuatur, auari ventris expletura voraginem:Cernore pro sancta solitudine,frequentiam sceleratam, & circunfusas acies satellitum pessimorum, pro sobriis voluptuosa conuiuia,pro peregrinationibus piis otium inhumanum, & obscœnum,pro nudis pedibus Apostolorum niueos,furum volitare cornipedes auro instratos, auro tectos,aurū mandentes,auro denique propediem, nisi dominus seruilem luxum coërceat calceandos. Quid multa? Persarum aut Parthorum reges dicas, quos adorari oporteat,quos salutari sine munere nephas sit.O hirsuti,ieiuniique senes! quib⁹ laborastis?quibus agrum Dominicum seuistis?quibus sata rigantes,sacrum sanguinem effudistis:mitto autem hæc.His igitur nunc in locis, misereare sortem iniquissimam amici,aliud fortè,sed hoc certè suppliciū non merentis his ego nunc in locis,vbi puer fueram,iam senior sum,fato me,liberum(vt putabam)ad puerilia rursum fastidia retrahente, hic ita confectus & affect⁹ sum, vt iam sensim morbo animi,in corpus translato,totus æger,nil præter meros dolores, ac rancores loqui possim. Itaque multa,quæ in animo efferant, dicere habui,vterque mihi nunc stomachus dolet, nil ex me hodie placidum speres. Non potest ex amato fonte dulcis riuus erumpere. Natura fert, vt exulcerati pectoris in festa suspiria,& offensi animi verba sint acria.

FRAN. PETRARCHA AMICO S. Epist. VI.

Malignitatem temporum suorum deflet.

SI per occupationes licuisset, nunquam aliàs tam iusta scribendi simul, & indignandi, ne dicam flendi,materia data esset,quid vis dicam?Piget incœpisse,sed & desinere itidem pudet, itaque quamuis aduerso sydere,postquàm tamen(vt aiunt) boues sub iugum misi, hæc mihi breuis papyrus exaranda est:

Omne in præcipiti vitium stetit. inquit Satyricus,

O simplex, ætatem nostram certè non videras, nunc in præcipiti vitia substiterunt, vt iam sine publica ruina trãsiri vlterius non possit, intempestiuè igitur alienam querelam, in tuum seculum transtulisti. Quicquid historicorum labor, quicquid tragœdiarum gemitus, in nostram pertulit notitiam, minus fuit, quàm quod oculis videmus. Quod apud illos cothurno dignum scelus erat, apud nos iam veniale peccatum est. Iratus est mundo Deus, nec immeritò, patientiam potius tantam miror. Temporibus illis iocabatur fortuna, nunc sæuit: redde Neronem precor, redde Domitianum, apertior quidem persecutio, sed leuior erit & breuior. Liceat pretio modici sanguinis mercari cœlum, & ad gloriam martyrio peruenire, latenti tabe consumitur non vita præripitur, sed virtus, nec bene viuere sinimur, nec honestè mori. Sentio redit ab inferis Iulianus, eóque funestior, quod nouum nomen assumpsit, animum seruas antiquum, & hostile propositum amicitiæ velo tegit, signa nostra sequentes prodimur, nostríque ducis auspiciis imus in perniciem, & nisi se CHRISTVS iterum vindicet, actum est. Heu, nimium dilecte mihi, quid putas, quid æstimas, quid censes, quid mihi nunc animi suspicaris? Mirum nisi contra naturam meam croceus sum, siquidem totus effuso felle sum cholera non autem metus, non reuerentia, non amor, non veritati indicta supplicia, præmia mendacio impediunt apertè loqui quæ sentio, sed occupatio, sed ira, sed dolor animi, sed luctus, hostes ingenij. Et ô vtinam stylus par materiæ, rebúsque meis explicitis, otiosæ vitæ spatiũ detur, profectò impetus, ardórque non deerunt. Non fabulas agam, etsi fabulis sint hæc similiora quàm vero, dicam monstra, quæ vidi, quæ audiuisti, quibus infectos oculos atque aures habeo. Non simplex insania, non vnus furẽs Hercules, non vna Thyestis cœna, non vnus monstruosus fœtus, concubitúsque non vna discordia inter auaros fratres, non vnus innocentis osor ac mactator coniugis, matrísque non vna profugæ parentis impietas ac libido. Denique non vnum Ilion euersum, non vnus iniqui patris imperio discerptus Hippolytus, sed totus orbis euersus ac

sus ac lacer, quæ ab aliis vndique studio conquiruntur, hic passim in triuiis occursant. Putás-ne Tragico carmini deesse subiectum? Cæteri singulorum fortunas ac singula scelera cecinere: mihi inaudita portenta, quorum nullus est numerus, mihi totius humani generis cantanda, seu potius deflenda calamitas, seruitus, ruina, ludificatio & mors: verissima quoque texetur historia, sed flebilis & horrenda, non lintei libri ab annalibus dissentient, nulla inter Polybium & Claudium, & Licinium, & Valerium Antiaten, nulla inter Salustium & Liuium, nulla inter Herodotum & Thucydidem lis erit: Vero omnia consonant (inquit) Aristoteles. Ego scribam, veritas dictabit, humanum genus omne testabitur, iudex esto posteritas, nisi fortè tuis malis oppressa, nostris intendere non potes. Tibi interim amice, si te noui, ex his paucis, omnia non modò quæ scribo, sed quæ meditor clara sunt, nec Tragœdia tibi alia, nec historia opus est. Vale & te fœlicem scito, quod hinc abes.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. VI.

Calamitatem temporum deplorat, Deúmque pro vindicta orat.

DVm sanctissimum, grauissimúmque sermonem repeto, quem mecum ante religiosi illius, ac veteris templi fores, nudiustertius habuisti, concalesco acriter, & ita sum, vt oraculum aditis penetralibus emissum putem, & Deum mihi videar audisse non hominem, adeò mihi diuinè præsentem statum, imò casum ac ruinam Reip. deplorare, adeóque profundè digitos eloquij tu in vulnera nostra dimittere visus eras, vt quotiens verborum tuorum sonus, ad memoriam aurium mearum redit, totiens dolor ad animum, mœror ad oculos reuertatur, & cor meum: quod dum loquebaris ardebat. Nunc dum meminit: dum cogitat, dum prouidet resoluatur in lachrymas, non quidem fœmineas, sed viriles, sed masculas, & si detur pium aliquid ausuras, próque virili portione, vsque ad iustitiæ patrocinium erupturas. Cùm sæpe igitur antea, tum præcipuè post eum diem, solito sæpius tecũ sum,

sæpe subit desperatio, sæpe spes, sæpe autem inter vtramque fluitante animo mecum dico: O si vnquam, ô si in diebus meis accidat, ô si tam clari operis, & tantæ gloriæ sim particeps. Dehinc crebrò ad eum, quem in delicijs crucifixum habeo, versus mœsta voce, atque oculis humentibus exclamo, IESV bone, & nimium mansuete, quid hoc est? Exurge, quare obdormis: exurge, & ne repellas in finẽ, quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ: Protector noster aspice. Deus, vide quid patimur & vnde, quæ-ve sub clypeo tui nominis ab hostibus tuis fiunt, vide & vindica. Si minus, occurre, priusquam mortiferi vis veneni vitalia mẽbra corripiat, & extremis malorum obruamur molibus. Quid agis? In te sperantium salus. Quid saluator cogitas, quid hæres, quãdiu oculos auertes, Quamdiu nostris nõ tãgeris miseriis? Quandiu nullũ tantis laboribus modum pones? an mala nostra non vides, quem nec cœli ambitus, nec abyssi profunditas fallit, nec stillæ Oceani, nec syluarum folia, nec arenæ maris, nec stellarum numerus, nec animantiũ multitudo, nec herbarum varietas? An odio tibi sumus, quos vsque adeò amare consueueras, vt nostri amore victus, cœli regnator Deus, in terram descenderes, atque homo moriturus ascẽderes in crucem? An forte vides & diligis, sed retrahit impotentia succurrendi? At si non es omnipotens, quid speramus? An terret vis hostium tuorum? Sed nondum puto seculi nostri superbia, fecit homines Deo pares. An fortè misericordia iudicium frenat? Sed vide iudex infallibilis, vide ne dum paucis parcis, perdas innumeros, & pietas sceleratis exhibita sit crudelitas bonis, innoxiisque pernicies. Sed quid loquor homuncio, quis ego sum, qui tecum litigem? Tibi nos ac nostra commisimus, de nobis tu videris qui creasti, memor imbecillitatem nostram, diutius sub tantarum erumnarum cumulo non posse subsistere. Itaque fer opem opportunam, dũ adhuc quicquam reliqui est, ne si perire permiseris, suscitare habeas, quos saluare potueris. Adesto spes nostra & quod quotidie iteramus, In adiutorium nostrum intende ac festina, & vel tot mundi mala, vel mundum ipsum finias, precamur.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA AMICO S. Epist. VIII.

De inamœno occiduæ Babylonis statu.

SI quicquid animus meus fert, de huius occiduæ Babylonis statu, cuius fato seu verius peccato meo, inuitus totiens ciuis fio, velim stylo committere, vereor Pater, ne & dolorem meum lamentis exaggerem, & sanctissimas curas tuas, occupationésque pulcherrimas, intempestiuis, & inutilibus querimoniis interpellem. In summa scito, non modò hunc, sed ne Ciceronianum quidem calamum rebus parem. Quicquid de Assyria, vel Ægyptia Babylone, quicquid de quatuor Labyrinthis, quicquid denique de Auerni limine, déque Tartareis syluis, sulphureísque paludibus legisti, huic tartaro admotum, fabula est. Hîc turrificus simul atque terrificus Nemroth, hîc pharetra Semiramis, hîc inexorabilis Minos, hîc Rhadamantus, hîc Cerberus vniuersa consumens, hîc Tauro supposita Pasiphae, mixtúmque genus (quòd Maro ait) proléśque biformis Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ, hîc postremò quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile vsquam est, aut fingitur, aspicias, ô semper virtutibus tuis fœlix, nunc absentia etiam fœlicior tua. Putásne ciuitatem hanc esse quàm vidisti? Longè alia est, longéque dissimilis. Fuit illa equidem omnium pessima, eáque tempestate fœdissima: hæc verò, non iam ciuitas, sed laruarum, ac lemurum domus est, & vt breuiter dicam, scelerum atque dedecorum omnium sentina, atque ille viuentium infernus, tanto ante Dauidico ore notatus, quàm fundatus, aut cognitus. Ah quotiens redit ad memoriam illa tua penitus paterna vox, & salutaris admonitio, dum digressum paranti diceres, Quò abis? Quid moliris? Quæ te tui immemorem trahit ambitio? nescis quid petis? quid relinquis? an sciens ad indignum te laborem vadis? Vnde, quæso, acriter quid agas? quo properes? si bene mihi notus es, pœnitebit te professionis tuæ, curiæ laqueos expertus totiens, non ignoras, in quos vbi semel incidaris, absolui non poteris cum voles. Hæc & his similia te

suadente. quid responderem aliud non erat, nisi me charitate victum amicorum, notas ad miserias reuerti Dicebam hæc nec mentiebar, nec dum me charitatis illius pœnitet, sed an libertatem meam, amicorum commodis habuisse pœniteat incertus sum. Certè nunc tibi malè credidi, & serò probati consilij, cui magnas gratias habeo cui hactenus non impunè fuit non parere: sed parebo melius si vnquam hinc emersero, quod CHRISTO dextram porrigente non despero & in quod summis iam nisibus accingor. Hæc tibi Pater, ne ante scriberem pudor inhibuit, turpe enim & indecorum viro est, velle quod mox nolit.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. VIII.

De generibus persecutionum, quas nolentes, aut volentes patimur.

PErsecutionum duo sunt genera, hoc nolentes patimur, hoc volentes, plura forsitan alter inuenerit, & profectò persecutiones innumeræ sunt, quas quisquis diu vixit intelligit, omnes tamen ad violentam, ac voluntariam restringuntur. Patimur autem nolentes exilium. paupertatem, rapinas, morbos, carcerem seruitutem, ignominiam, vincula, supplicia, secures. gladios & mortem. Volentes vitiorum iugo premimur, & vel degeneri metu, vel turpi segnitie, vel infami patientia. vel vilis lucri spe, vilissimorum hominum imperio paremus. Exempla posui, à quibus quid velim vides, & similia colligis, illud equidem primum multis, hoc mihi nouissimum grauius videtur, vbi scilicet crimen in causa est. & est sine commiseratione calamitas. Hoc persecutionis fasce, serua nostris temporibus suspirat Italia, tum demum finem habitura miseriæ cum vnum velle cœperit Difficilis planè conditio, sed nequaquam impossibilis. Vnum dico non studiis, sed studiorum termino, tædioque seruitij indigni. Proh superi, dominari solebamus optimis. heu quò decidimus? nunc seruimus pessimis. Dura sors! intolleranda mutatio! Sed ô semper stulta. nunc etiam demens, & vesana barbaries, reginam rides Italiam, omnibus vtinam,

idem

dem animus, consilio maiore, affectu autem non minore quàm mihi est, citò quidem explosis nugis, ventum esset ad seria. De hoc tamen omnipotens Deus viderit: si nondum exosus ad imum est, viderit fortuna, siquid est fortuna, siquid humanis ius habet in rebus. Sin altius effundere verum iubes, & quid sentiam exprimere, rident labiis, corde gemunt, ludunt exterius, intus tremunt, & nos & seipsos norunt, contemptum pro odio, & pro formidine simulantes. Quorsum hæc interrogas? Scribo, non quia audire expedit, sed quia mihi non expedit tacere. Graue enim onus & molestum est, quod nusquam fidentius quàm in tuis auribus depono, hæc tibi raptim Hierosolymitanus exul, inter & super flumina Babylonis indignans scripsi. Vale.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. X.

De tertia Babylonia, & quinto Labyrintho in Gallia.

Svbscriptiones epistolarum mearum miraris, nec immeritò, non nisi geminam enim Babylonem cum legeris, alteram apud Assyrios olim, vbi clarum Semiramis nomen habet, alteram apud Ægyptios nostra ætate florentem, quæ Cambysem habet auctorem, cuius nunc Babylonis inauditum tibi nomen ingeritur tecum voluis, non quòd nescias, quosdam ex nostris Romam, quasi alteram Babylonem propter proportionem imperiorum, & climatum statuisse, quàm quia me almam, sanctam & reginam vrbem vocitare solitum tenes, huius nouissimæ Babylonis, tibi nunc etiam stupor manet. Desine iam mirari: & sua Babylon huic terrarum tractui est, vbi enim quæso dignius, quàm in occidentali plaga ciuitas confusionis existeret? A quibus quidem condita incertum, sed à quibus habitata notissimum: certè ab his, à quibus iure optimo nomen hoc possidet. Et si vis, hic mihi crede, Nemroth potens in terra, & robustus venator, contra dominum, ac superbis turribus

cęlum petens, hic pharetrata Semiramis, hic orientali quoque vesanior Cambyses, & ipse regum primo terribilibus astris postremò defectus cpidis, & passus cędes foeda, ab infausti principio, redactus ad miserrimam egestatem. Non ego te ad Poëtas, neque enim Pierium opus est, non te ad Historicos mittam, consule Catholicos tractatores, sed precipuè Augustinum, super eo Psalmo qui sic incipit, Vt, epistolarum ad te mearum aliqua quę desinant, inuenies, quid sibi Babylonicum nomen velit, quod cum legeris, dices non minus Rhodano quàm Euphrati debitum, quàm Nilo. Neque verò mirabere, si in mentem redit, Ambrosium in eo libro, quo indignum Valentiniani iunioris interitum defler, hoc visum esse cognomine, dum de Rhodano loqueretur, atque vt hac admiratione succisa, à radice aliam conuellam, de quinque labyrinthis potes etiam mirari. Cum apud cæteros scriptores, non nisi de quatuor mentionem inueneris, vt puto, in quibus cum famam habeant Ægyptius, Lemnius, Creticus & in Italia Clusius, Labyrinthum Rhodani tacuerunt, omnium inextricabilissimum ac pessimum: siue quia nondum erat, siue quia nondum noscebatur. Huius apud me mentio crebra est, quàm iustè autem, qui noscere cupit, huc properet: non hic carcer horrendus, non tenebrosæ domus error, non fatalis vrna humani generis fata permiscens: Denique non imperiosus Minos, non Minotaurus vorax, nó damnatæ Veneris monimenta defuerint: Sed remedia, sed amor, sed charitas, sed promissorum fides, sed amica consilia, sed fila perplexum iter tacita ope signantia, sed Ariadna, sed Dædalus, vna salutis spes, in auro est, auro placatur rex ferus, auro immane monstrum vincitur, auro salutare lorum texitur, auro durum limen ostenditur, auro vectes, & saxa franguntur, auro tristis ianitor mollitur, auro cœlum păditur, quid multa? Auro CHRISTVS venditur.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. XI.

Veritatem scribere, metu se victum non audere.

VNde nunc ordiar, an verò non ordiar, in dubio est: & poëticum illud identidem occurrat:

Eloquar an sileam?

Loquar tandem, ne fortè de silentio suspiceris, aut per desidiam negligi, aut per insolentiam contemni, sed quid primum, aut quid penitus loquar, seu potius quid non loquar, tam diuersa certatim & me vrgent, & se inuicem præmunt, impediúntque concursim. Non vacat omnibus obsequi, infinita sunt enim, & si vacet, minimè tutum erit. Itaque nullis licet occupationibus, nullísque curis obsidear, quarum tamen pondus ac numerum non ignoras, vel solus calamum timor excusat. Siquidem extra virtutis regnum, imbecillis semper, & nuda veritas, atque omnis præsidij inops fuit. Quid euenturum censes, vbi extincta prorsus & sepulta pridem virtus est? Ibi profectò summum crimen est veritas, & sola sufficiens ad quærenda multorum odia, cum vnius hominis amor, multis obsequiis sit quærendus. Multis inseruiat necesse est qui multis charus esse vult. At qui omnibus odiosus, minus negotij habet, non arma capiat, non hostem feriat, oportet, lingua liberior pro gladio est, verax sermo pro vulnere. Quid ni autem id accidat, vbi nemo est, cui verum verbum absque graui conuitio dici possit? Vbi nulla pietas, nulla charitas, nulla fides habitat. Vbi tumor liuor, luxus, auaritia cum artibus suis regnant: vbi pessimus quisque prouehitur, & munificus prædo, ad cœlum tollitur, iustus pauper opprimitur, vbi simplicitas amentiæ, malitia sapientiæ nomen habet. vbi Deus spernitur, adoratur nummus, calcantur leges, irridentur boni, vsque adeò, vt iam ferè nullus qui irrideri possit appareat. O mores hominum, O seculum nostrum, O tristem & & miserum exilij mei locum, & ô fœlices oculos tuos, qui ista non vident, iucundissimus labor tuus, & inuidiosa pauperies, si huic obscœnæ, ac marcidæ quieti, & his malè collectis, & malè fundendis, diuitiis, conferatur. Vt

verbum est: Cecidit denarius in cloacam. Cuius intellectum, qui non habet, huc veniat, verbum hoc in frontibus singulorum, cum mille aliis æquè famosis titulis scriptum leget. Vnum ego libenter, huic scelerum vniuersali diluuio eximere, & meretur: fateor, sed ridiculum visum est tam solidam & tam latam regulam vnius nominis exceptione, conuellere. Nullus hinc igitur Noe, nullus Deucalion enatabit, ac ne Pyrrham putes fœlicius nauigasse, prorsus scito, nullam emergere, ciuitatem simul obscœnissimarum voluptatum fluctus inuoluit, atque incredibilis quædam muliebrium criminum procella, pudicitięque fœdissimum sine exceptione naufragium. Hæc pauca de multis ausa veritas, victo metu, ex quibus, & quæ silentio præmuntur, elicis. Si tamen hinc, aut ex quibusdam pestiferis animantibus, aut herbis salutare tibi aliquid, amici ope conflari posse confidis, scribere illico, ne differas. Omni enim studio, festino irremeabile Labyrinthi huius limen attingere, iámque ni fallor, quod vnum hinc sperari potest, generosi contemptus filum teneo. Si quid optas, oro, interim fiet, pro viribus, & supra vires fiet. Ego enim tantis in tenebris, quid tibi, aut etiam quid mihi præter fugam expediat, non video. Optat tibi salutem discipulus tuus, qui vtinam tecum esset, nisi forsan vtilius mecum est, vt ab annis teneris discat, hoc infandum specus, hunc verè tartareum carcerem, horrere, ne quando per errorem capi possit, vbi ego propè infans nescio, an parentum meorum, an meis, sed certè nondum admissis, illi ætate piaculis captus fui, & nunc cum sępius euasissem, atque iterum, & iterum in laqueos recidissem. Ad postremum, sponte mea iam vir, imò verò iam senior captiuus, præter meipsum non habeo quem accusem. Huic autem epistolæ, neque manum meam, neque annulum, neque locum, neque tempus apposui. Scis vbi sim, & vocem loquentis agnoscis.

FRAN-

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. XII.

Afflictionem patriæ & calamitatem deplorat.

VÆ populo tuo CHRISTE IESV, væ populo tuo CHRISTE, patere nos misericordiarum fons, nostras tecum flere miserias, quíque læsorum amantium mos est, eò fidentius conqueri, quò feruentius amamus. Si fas est de angelorum Domino semimortuos vermes lamentari, querelam nostram, placatus admitte, & miserere qui solus potes, non accusatores, sed supplices tui querimur, ante æternitatis tuæ solium cum lachrymis affusi querimur, vnde & vt querulos, inoffensus audias, supplicantésque t o: exaudias, oramus. Nec longo sermone, imò nec verbis vllis opus est, vides conceptus nostros, non solum antequam in linguam, sed ante etiam, quàm in animam veniant. Statutum verò populi tui, non módò tu qui omnia conspicis, sed vnde grauiter dolemus, atque erubescimus, hostes etiam nostri vident, & insultantes dicunt. Deus dereliquit eos, persequimini & comprehendite eos, quia non est qui eripiat, Deus ergo ne elongeris à nobis, Deus noster in auxilium nostrum respice, & respice vt non videas tantùm, sed vt miserearis atque opem feras, respice res nostras afflictos, & in extremo positas, & quoniam nobis propter inenarrabilem misericordiam tuam, hoc fiduciæ præbuisti, vt vascula terrea, atque fragilia, aduersus æternum figulum disceptemus, certè si tu nos in honorem creatos in contumeliam vertis, quamuis id iustè facias, multò tamen, quàm soles acrius vlcisceris, si pateris ab aliis verti, valde nostris in malis patientior solito factus es, si verò non aspicis, valde præter solitum factus es negligens tuorum. At si nos odisti, vbi est amor ille tuus, qui te pro nobis voluntariam traxit ad mortem? Quod si fortè nobiscum ludis, vide ne ludus tuus æquo durior sit, nósq; nimis inualidi ad tã grauia tolerandũ, non valeamus: tu enim es victor Leo de tribu Iuda, nos auté oues pascuæ tuæ sum⁹. Vide quã impar est ludus leonis more, nisi desinis, nos ludẽdo

conficies ac mactabis. Sin iratus es nobis, iram tuam nos meritos non negamus. Sed vbi est illud quod de te nobis dictum Prophetæ, cui ore credidimus Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis? Recordare Domine, recordare misericordiæ tuæ, criminúmque nostrorum obliuiscere: hoc nobis expedit, hoc te decet, meremur fateor omne supplicium. imò certè peccatis nostris nullum supplicium par est: fecimus propè quæ dignè iustéque nos punias. & scimus quia iustus es valde, sed duplo misericordior, vnde non sine causa Propheta idem tuus, antequàm te iustum diceret, misericordem ac miseratorem dixit: Exortum est (inquit) in tenebris lumen rectis, misericors & miserator. Vix tandem ait & iustus. Idem alio loco cùm dixisset: Misericors Dominus & iustus, videns hæc paria confestim addidit: Et Deus nŏster miseretur. Irã in medió posuit, geminósque hinc illinc misericordiæ obices adhibuit, irámque circumdedit, ne misericordiã frenãte, se moueat. Ergo misericors IESV CHRISTE, nobis quæsumus ista confundere, noli licet contumaces in seruos iræ tuæ frena laxare, cuius impetum intra misericordiam inclusisti, noli intra iram misericordiam includere, sed nostrarum immemor offensarum miserere nostri. Nunquid in æternum proiicies Domine, aut in finem misericordiam tuam abscindes à generatione in generationem? Aut obliuisceris misereri Deus, aut continebis in ira tua misericordias tuas? Ecce Domine prophetica interrogatio illud sonat, ne misericordias in irá contineas. sed potius è conuerso, vbi non fortuitò verba iactauit, sed consultò posuit, vnde appareát quod dicebam, iram vnam, misericordias plures esse. Has ergo misericordias tuas, mirifica nunc in nobis, qui saluos facis sperantes in te, à resistentibus dexteræ tuæ custodi nos, vt pupillam oculi, & qui ingratissimum tibi semper populum Iudaicum in misericordias dedisti, apertóque mari rubro ad propria reduxisti, nobis quoque mare rubrum aperi, & nouum populum tuum, licet ingratum, certè tuo nomine gloriantem, da misericordias, in conspectu omnium qui cœperunt nos, & saluos nos fac Domine, vt experti intelligamus misericordias Domini, &

conf-

confiteantur tibi misericordiæ tuæ. Citò nos anticipent misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis, adiuua nos Deus salutaris noster, non quidē propter meritū nostrū, sed propter gloriā nominis tui, libera nos, & propitius esto peccatis nostris, nō quia digni sumus, sed propter nomen tuū, & ne fortè dicant quod certè dicunt in gentib⁹, Vbi est Deus eorum? Vbi enim sunt misericordiæ tuæ antiquæ, misericordiæ Domini, quas in æternū cantabimus, de quibus in æternum sperauimus, ac speram⁹. Aut quid est Domine ꝙ nunc agis? Cōtriuisti portas æreas, nostrę captiuitatis & vectes ferreos cōfregisti, & humiliatos in cōpedibus pedes nostros vinctos, in medicitate & ferro, mittēs. Ex alto iussione tuā, rex æterne, soluisti, cur noua nobis vincula, ex eadē massa te patiente cōflantur? Contriuisti laqueū antiquū, cur eiusdē canabis laque⁹ nobis alter intexitur? Eripuisti nos iugo graui & pessimo, & obscœno, quid nobis ex eodē stipite iugū importabile reimponis? Reimposuisti enim nostro in dorso tribulationē, & homines super capita nostra, atque vtinā homines, & nō bellua famelicas & immites. Oram⁹ flentes: ne tradas bestiis animas cōfidētes tibi, & animas pauperū tuorum ne obliuiscaris in finē. Repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, miserere nobis. Cōmouisti terrā & cōturbasti eā, sana cōtritiones ei⁹, quia verè, grauiterq́; cōmota est. Ostēdisti populo tuo dura, igne nos examinasti sicut examinatur argētū, trāsiuim⁹ per ignē & aquā, reduc nos in refrigeriū. Noli nos à nostra iustissima expectatione cōfūdere, sperauim⁹ enim in te, ꝙ motū fluctuū nostri maris, in quo fœliciter senex ille piscatus, tandem periit, tradita successori nauicula, mitigares tu, qui potestati eius dominaris, quódque superbum humiliares, & in brachio virtutis tuæ deponeres inimicos tuos, de ouibus lupos, de piscatoribus pyratas, de pastoribus abactores, nunc verò superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Hactenus Deo hæc. Tu autem Pater, quem imprimis dolorum meorum participem habeo, noli fortunæ succumbere, sed donec illa, quod modò facturam sperabamus meliorem in partem, instabilem rotam voluit, nitere vt viuas, & valeas, vt hinc postmodum

nostro tempore discedentes, meliorem rumorem ad felices animas perferamus.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. XIII.

Ecclesia Catholica oppressionem luget.

VT vides eunt res, imò verò non eunt, sed retrahuntur: nihil est præsidij in virtute: Iustitia periit, libertas abiit, æquitas victa est, libido regnat, sæuit auaritia, feruet inuidia, omne genus hominum suos patitur tyrannos. Ad laudes ore & animo canendas Deo geniti, totam vitam in contentionibus & æmulationib9 agimus, insignis illa IESV CHRISTI aula, illa olim arx diuini cultus eximia, nunc tandē peccatis nostris id agentibus cœlesti auxilio destituta, immaniū spelunca latronū facta est. Et vno quidem fonte descendit origo mali, accedunt fontes alij minores, ex quibus ingens omnimodæ miseriæ flumen exæstuat? Quo necesse est propediē pereamus, supremísque malorum obruamur fluctibus, ac nisi humanæ perfidiæ diuina pietas occurrerit, triste naufragium patiatur Ecclesia. Quàm verò diuersi mores! quàm aduersa ædificantium, & euertentium mens! Prouideat domui suæ, Deus omnipotens: ego enim nihil habeo, quod tam multis contrà nitentibus præstare possim præter commiserationem matri debitam, & mihi placitam, vt vides fugam, quàm oculos meos tam mœsto liberem spectaculo. Video quidem eminus, sed prohibere nó valeo, cominus videre renuo, artificium hoc cœnum & infame, quo Ecclesiasticus iste Dionysius, nostras vexat ac spoliat Syracusas Video qua arte virum mentita Semiramis, frontem tegit, ingenióque oculos perstringit astantium, & incestis polluta complexibus, viros calcat. Video quibus artibus, noster hic Pericles se tuetur, vt quas reddi nequit, non cogatur reddere rationem, & hic suum habet Alcibiadem, & nemo velocius iniquis consiliis acquiescit. Turbat igitur omnia, miscétque de industria, quam putas ob causam, nisi vt circulatorum more, vel perplexo loro, vel confuso vulnere licentius fallat, & fraus propria sub vmbraculo turbatæ Reip. delitescat. Et

illle qui-

ille quidem, pro qualitate propositi, artibus vtitur non nouis. Nam & in fruticoso gaudet anceps, piscator in turbido, fur in tenebris: nobis autē pro inertia nostra, quid possim optare miserius, quàm vt nostri similes semper simus, coram adultero vigili, nare stertentes ad calicem. Nescio fateor, an illius impudentia, an patientia nostra sit turpior.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. XII.

Quod in Gallijs habitare desideret, dissuadet.

Diu distuli expectans & materiam, & nuntium: vtrumque simul affuit, quamuis vt es tu semper honestorū actuum prælargus, ego etsi ingenij inops scripturæ vtique non auarus, horum alterū deesse non possit. Adest ecce nuntius, vltrà quàm optari idoneus, nihil tibi deuotius, nil mihi familiarius, adest scribendi materia. Peregrinationis tuæ rumor longè difficilis, & imanœnæ, qui mihi iam pridem calamum suggerebat, nisi quia incertus eram, vbinam terrarum esses inueniendus: neque enim aut ipse mihi persuadebam, longas te moras apud inferos exacturum, sponte tua aut omnino suspicari poteram. te illuc aliter quàm coactum cuiuspiam magnæ necessitatis imperio perrexisse. Itaque tuum tacitus excusabam iter, quod illa iussisset, quæ adamantinum sæpe Regum Pontificúmque ceruiuicibus iūgum imponit. Nunc quia incolumem te reuersum gaudeo, familiaritate illa, quam mihi peperit tua dignatio, fides mea, libet ex te quærere. quid viro optimo, cum pessimis locis, quid tibi cum Babylone? Fortissimos Romanorum, legimus vitare solitos Campaniæ Baas, apricum licet, & salubrem locum, vbi vt exiguum honestatis, sic saltem voluptatis & lætitiæ multum erat, adeò rebus omnibus neglectis, vni studio virtutis intenti erant: si hoc ita est, quis non Rhodanum vitet? Quis oro, non fugiat Babylonem, & vitiorum simul omnium, & laboris ac totius miseria mœstum domum? De quo quidem aliquid nosse debes. Visa loquor non audita, fato meo pessimo, in eas terras puer euectus.

cui vsque ad hanc ætatem, indignari equidem, sed fortunæ compedibus, nescio quibus victo, magnæ illic partes ætatis in gemitibus abierunt. Noui expertus, vt nulla ibi pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reuerentia, nullus timor, nihil sancti, nihil iusti, nihil æqui, nihil pensi, nihil denique vel humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant. De veritate quidem sileo, nam quis vsquam vero locus, vbi omnia mendaciis plena sunt, aer, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, vestibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diuersoria ædium, penetralia templorum, iudicum subsellia, pontificum sedes? Ad postremum ora hominum, nutus, gestus, voces, frontes animi? Quid ais? An mentior, an verò de mendaciis verum loquor? Si illic fuisti, & nullo tuo maiore negotio distractus, in nephariam illam scelerum scœnam, acumen ingenij atque oculos intendisti, alium iudicem non optabo. quàm scilicet omnia ibi virtute, veróque sint vacua, plena criminibus, plena fallaciis, plena fucis, plena blanditiis, plena pessimis artibus, ambitionis, auaritiæ, superbiæ, liuoris. Vidisti fictè & inaniter fieri omnia, non tantùm hominibus, sed Deo, notasti subdolos risus, corda flebilia, serena supercilia, nubiles mentes, molles manus, actus asperrimos, angelicas voces, dæmoniacas intentiones, suaues cantus, ferrea pectora, & verba prædulcia pulmone amaro, & sicco ore cadentia, summísque labiis vix expressa, in quibus planè Dauidicum illud impletur: Molliti enim sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. Neq; verò impunitum modò apud eos, sed gloriosum etiam est, mentiri, ceu maioris sit ingenij qui fefellit, maioris status quem increpare audeat nemo. Nolo hunc articulum scrupulosiùs exequi, ne forsan vrgente materia, stylus eat quò non expedit. Res est insuper mundo nota, neq; probationis omnino, neque sermonis egens. Vnum & breue, & ad reliqua perdiscenda satis efficax inseram, cui ego ipse qui loquor interfui. Duo simul è cõscriptis Patribus in quib' orbis terrę, & ostiũ Domus Dei, velut in cardine voluitur, à palatio Pont. Max. densa stipati famulorum acie, descendebant, turba ingens expectantium,
quibus

quibus ante omnes illa infœlix,& Deo odiosa ciuitas plena est,de more surdum illud,& prædurum limen obsiderant,qui ducibus suis visis,in quibus spem habebant,circumstrepere cœperunt .& pro se quisque anxiè percontari,quæ fortuna,quisve suarum rerum apud Pontificem status esset. Tunc vnus patrum,nihil motus in re subita, vt qui iam pridem talibus assueuisset,nihil aut verecundia tactus , aut misericordia miserorum , inter spes vanissimas animã,vitã,fortunásq; suas,& tempus omne perdentium,insignis mendaciorum opifex,multa mẽtiri orsus,& fingere quid cuique spe reliquum , quid ad huius, aut illius postulata Pontifex respondisset , singula constanti impudentia , & in nullo hæsitans prosecutus est. Quibus auditis creduli omnes , & hic quidem vt fit lætior,ille subtristis in diuersum abeunt. Alter autem Patrum,& naturæ nobilioris,& verecundioris animi,& qui nisi ex illo esset ordine,vir bonus esse potuisset.in collegam iocãs, Nihil-ne te(inquit)pudet his simplicibus viris illudere , & pro arbitrio fingere responsa Pontificis, quem vt scis non modo hodiè, sed multis iam dieb.proximis videre nequimus? Ad hoc ille reuerendus Pater & egregius veterator.vt erat fronte meretricia,& attrita subridens. Imò verò te(inquit)pudeat, tam ingenio tardum fore,vt curiæ artes addiscere, tanto iam tẽpore nequeas. Quo dicto in stuporem ego, cæteri autem risum resoluti omnes,& responsum nebulonis illi⁹ multis laudibus efferentes, virum argutissimum prædicarunt. qui tam promptè mentiri didicisset ac fallere Verum ego nimis latæ materiæ campum, nec epistolæ,sed libri opus ingressus sum , itaque frena iam contraham Ad te verò pater optime stylum vertens,oro obsecro,obtestor,adiuro te per temetipsum , si tibi charus es, si solitam animæ curam geris,ne quando tibi posthac in cor veniat illuc ire,vnde nemo vnquam exemplo melior factus , pessimi autem innumerabiles rediêre. Adde quod nemo inde vnquam non mœstus exiuit,nisi eo fortè lætus,quod euaserat,& infaustũ limẽ fusco calle repererat. Ad sũmã, quoniã tua omnia cupide, semper in optimam ac fœlicissimam partem traho,profectionem hanc tuam neces-

lariam, breuem, vnicam. non modò nihil nocituram tibi, sed plurimùm profuturam spero. Quid enim aliud, vt seria fabulosis aspergam, quid sibi vult Achilles Homericus, dum vt impenetrabilis ferro fiat, fertur ad inferos, & tartareis vndis abluitur, nisi vt vitiorum fluctibus tantis exercita, contrarij sui odio, solida tua virtus indurnerit robúrque contraxerit, contráque omnem humanarum, cuspidem passionum, iam prorsus inuiolabilis facta sit? Placet, laudo, approbo, modò ne redeas. Senecæ verbum est, Nō tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Ille autem vnde te dehortor, & corpori pestilens & animo, nec omnino te dignus est, non conueniunt mores: fit igitur inter vos diuortiū sempiternum, eant illuc, qui artes illas discere cupiunt, quarum ibi sunt innumeri professores, tu domi mane, ínque tuo proposito, & tua sede consiste, quam tibi clarissimam virtus dedit, cùm clariorem, etiam mereáre. Sin vt est, animus honesti motus appetens, quoniam quod eruditissimis quibusdam placitum viris scio, vnū hoc nobis cœlestis originis argumentum est, vt motu perpetuo delectemur, loco te si mouere volueris, ad nos veni, vide Romam, vide Mediolanum, vide Venetias, vide Florētiam, vide Patauium tuum, vide Bononiam, vbi honestis in studiis egisti adolescentiam, & integritatem patriam Italicis artibus adornasti. Postremo quidlibet vide, Indos quoq; modò ne videas Babylonem, neque descendas in infernum viuens.

FRAN. PETRARCHA AMICO S. Epist. XV.

Dissuadet Galliarum habitationem.

O Quàm consona sensibus meis consilia tua sunt! breuiter dici nequit: est sanè inter optima rerum ac pessima, minimè difficilis electio, itaque toto animo, & quod dehortaris fugio, & quòd hortaris amplector, quódque aiunt pedibus in sententiam tuam eo. vnde non diuellar, nisi insignis forte, aliqua rerum incidens mutatio vehementer vrgeret, quam profectò, neque hic metuo, neque istinc spero. Vbi si qui olim videbantur esse, vel

se,vel fuerant virtutis amici, aut certè iampridem obierunt,aut abierunt scelerum schola,iam virtutis & bonorum hostes esse didicerunt, corruptíque & abominabiles facti sunt in studiis suis. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum De his loquor,quibus vt benefici esse possent liberalior fortuna dederat, vt contrario delectari,sontes & malefici esse mallent, insita dedit iniquitas,& peccandi auida,& dæmoniacis instigata suggestibus,neque per insolentiam aliquando cœlestibus oraculis acquiescens.Tu verò meus hortator,quid de te statuis(quanquam quid statuisse profuerit)nusquàm minus cogitata respondeant. Vnus enim in terris est locus,vbi nullus consilio locus est, vbi omnia temerè, fortuitóque voluuntur, intérque omnes miserias loci illius,quarum non est numerus,illud insigne ludibrium est,quod cuncta visco atque vncis,& laqueis plena sunt,vt dum euasisse videare, tum te arctiùs implicitum, vinctúmque reperias.Nulla ibi præterea lux,nullus dux.nullus index anfractuum,sed caligo vndique, & vbiq; confusio,no parum vera,fit Babylon ac perplexitas rerum mira,vtq; Lucani verbo vtar:

Nox ingens scelerum:

Tenebrosa (inquam) & æterna nox, expers syderum & auroræ nescia, tum profunda & iugis actuum opacitas, perennes angustiæ,infinitus labor,immortale fastidium, neque violentior illic aut Rhodani gurges,aut Circi flatus, ac Boreę, quàm impetus & instabilitas animorum, non populum, sed rotatum vento puluerem putes, neque magis ciuitatis infandę vicos, quàm ciues ipsos,fœdos ac lubricos fateare.Vna prorsus est hominum,ac locorum facies obscœna,tristis, informis,vtrisquē non aliter quàm Ægypto & Pharaoni intelligas iratū Deum,& mittētem in eos iram indignationis suæ, iram,indignationem,& tribulationē, immissionē per angelos malos. Denique nulli omnino gentium magis incubuisse Dauidicam precationem.Fiat tanquam puluis ante faciē venti,& angelus Domini coarctans eos.Fiant viæ eorum tenebræ,& lubricum, & angelus Domini persequens eos. Hinc ergo nisi Deus eripiat,quis emerget?

FRAN. PETRARCHA AMICO S. Epist. XVI.

Quod ex Galliis in Italiam redierit amico congratulatur

O Si nosses, quanto me gaudio compleuit abitus, imò quidem reditus tuus (namque ire in patriam redire est) omnino nihil de te gratius audire poteram. Cætera enim fortunæ futura erãt, hoc verò proprium tuum est, hunc tibi animum fuisse, vt inter tantas spes tot curarum vncos, tot aduersa consilia, obscœnissimam sentinam flagitiorum omnium spontè desereres, & illos meracissimo sanguine impinguatos, & in Dominum calcitrántes, non hominum, sed voluptatum, & pecuniæ piscatores, simul illam terrarum arcẽ semierutam, sed verendam, atque illud sacrosanctissimum mundi caput, impexa canicie gloriosum, tandem consilio saniore reuiseres. Fecisti optimè secundum cor meum, qui nec diutius almæ Vrbi tanti ciuis aspectum eripere voluisti, nec infaustum illud ergastulum, dignũ amplius tua præsentia iudicasti.

Quod metui, nequid Lybiæ tibi regna nocerent:

Nunc verò quàm lætè audio, te illius irremeabilis labyrinthi fœdis, ac mœstis ambagibus absolutum, nunquam si quid apud te fidei mereor, in eosdem laqueos, sic se rebus habentibus reuersurum: & si tibi quies, si delectatio, si libertas, si vita si gloria chara est, neque ideò *minus* & diuinæ gratiæ & sortibus tuis fidas: semel *locutus* est Dominus, & de te, & omnibus qui sunt, & qui fuerunt, eruntve mortalibus, imò statuit edicto, Omnis cesset ambitio: dic Deo: In manibus tuis sortes meæ, Et semel arreptum iter ne destituas. durum licet, arduum & difficile, ibis necessario ad fœlicem portum, neque tibi pessimorum hominum segnis liuor obstiterit. Tabescent illi malis propriis, & inter malè partas opes more Tantaleo sitientes, aridique æquanimem te, in omni statu, & ferè diuinis vtentem muneribus mirabuntur. atque intelligat, fortunam nullum penitus inconstantem, & generosum animum ius habere. Proinde multis in tenebris hos breues anxios, & inglorios dies agent, vnus vitæ & no-

minum

minum finis erit, furiis illos vltricibus, & diris suorum scelerum aculeis laniandos linque. Ipsi te & omnes bonos, & spoliatum atque oppressum orbem suis manibus, suis euentibus vindicabunt. Si quid veri præsagij vsquam est, propè est: Deus vltionum Dominus liberè agat, & retribuat abundanter facientibus superbiam. Sua est enim vltio, & ipse retribuet, vt labatur pes eorum: iuxta est dies perditionis & adesse festinant tempora. Redit in animum, quod illi olim nostro, qui ex eo numero, si dici posset, pessimorum optimus fuit, & cui tu sanguine, ego autem familiaritate, & obsequio iunctus erã, ante multos annos occurrit, vt dicerem, instare illi ordini fati diem, quo superbia eorum fatigata, iam Dei patientia atq; hominum deponeretur ac rueret. Cúmque ille (cuius vt nosti ipse iracundæ mentis fuit) proteruiæ, mixto risu, potiùs mihi Tyresiæ cæcitatem, quam vaticinium optasset, obiecisset illud Euangelicum: Simon, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & ego nõ fidei defectu, sed euersorum fidei ruina, quæ vtique fidei esset augmentum, loqui me ioco liberiore subiungerem. Ille iam serio in me versus: Tace (inquit) & si verum est, non simus auctores, sed ecce iam ex illo quot fluxerunt dies? Credo si viueret, vt res sunt, vatem illi me diceret, iam ad extrema, per uentum, iã & Romano & humano generi satis illusum est. Satis diu virtus, & veritas fuêre contemptui, satis barbarica regnauit indignitas. Omnia etsi nolint, suum locum repetunt, & illusionum & longæui ludibrij finis adest, quem cùm videro, satis vixero.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. XVII.

Calamitatem Vrbis Romæ deplorat.

QVocunque te conuerteris, idem es, & pariter me delectas, vniformi enim amoris tui dulcedine, sed multiplici & varia verborum tuorum consolatione reficior, siue ab oriente, siue occidente, & desertis montibus: quoniam licet Deus iudex sit, & hunc humiliet, hunc exaltet, tamen te mihi semper humilem, semper altum, semper amabilem, & ab omni parte suauiter spirantem,

dulce curarum mearum refrigerium seruat. Epistolæ quidem illi, verissimis, grauissimísque sententiis exundanti, vbi diuinæ facundiæ tuæ fons, è terra arida ac squalenti, & omnis boni vacua, terra(vt Prophetæ egregij verbo vtar) deserta, inuia & inaquosa, oculos meos atque aures, animúmque compleuit, iucunditate mirabili, neque perennibus ingenij scatebris, mutati loci nocuisse malignitas quiuit. Quid priùs tibi respondeam, non habeo, quàm vt miserari me sortem tuam, quæ in terra florentissima ortum te, & ab incunabilis enutritum, nunc repentè patriis finibus auulsum, ad extrema terrarum, atque hominum inopina rerum mutatione transtulerit. Sit illud gratulari, quod iudicium tuum, vel opinionibus, vel persuasionibus falsis inuolui, abducíque è vero non est passa: tali enim ingenio, humani nihil incognitū esse debet. Poteras fortassis errare, poteras suspicari, poteras credere his, quib⁹(vt dici solet) præter pretiū in pretio nihil est, nunc verò neque veritas opinionibus cedet, neq; cuiquam potius, quā oculis ipse tuis, & experiētiæ fidem dabis. Ecce iam oculis vides, iam manibus palpas, qualis est Babylon illa nouissima, feruens, æstuans, obscœna, terribilis, quam nec Cambysis opus Babylon Niliacam, nec illa vetustior regia Semiramidis Babylon æquet Assyria, Nilum & Euphratem Rhodanus vincit: nempe qui tartarea flumina, Cocytum vincit, & Acherontem, quicquid vspiam perfidiæ & doli, quicquid inclementiæ, superbiæque, quicquid impudicitiæ, effrenatæque libidinis audiuisti, aut legisti, quicquid denique impietatis & morum pessimorum sparsim habet, aut habuit orbis terræ, totum istic cumulatim videas, aceruatímque reperias. Nam de auaritia, déque ambitione superuacuum est loqui, quarum alteram ibi regni sui solium posuisse, vnde orbem totum populetur ac spoliet, alteram verò, alibi nusquam habitare compertum est. De quibus omnibus ad te dudum non epistolam, sed librum scribere meditabar, ne in rebus, scilicet à prima mihi ætate notissimis, amicum falli sinerem, etsi enim nolim, me ibi tunc mirabiliter & miserabiliter inuiscato, eisdem tu fuisses in locis, vbi velut in cœno, imò quidem, velut in igne, aurum

amici-

amicitiam primum tuam longè auro chariorem reperi: tunc tamen & inexpertior rerum ætas, & iudicij minor vis & moræ tuæ breuitas vero obstabant, insuper & exilio in peius infinita mutatio facta erat. Redisti ergo & ætate iam, & iudicio pleniore & mora non ad sufficientiam modò, vel satietatem, sed nisi fallor ad fastidiũ prolixa, vt qui optima rerum probe noueras, in pessimis non errarès, quisque virtutem semper amaueras, ad vehementius amandum, quod efficacissimum est vitiorum odio animum excitares. Etsi Christvm colis, quod semper religiosissimè fecisti, conspecta hostium eius impietas, manum pietati, & fidei tuæ calcar adiiceret. Vides enim populum, non modò Christi aduersarium, sed quod est grauius sub Christi vexillo rebellantem Christo, militantem Sathanæ, & Christi sanguine tumidum, atque lasciuientem. & dicentem: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Populum duricordem & impium, superbum, famelicum, sitientẽ, hianti rostro, acutis dentibus, procuruis vnguibus, pedibus lubricis, pectore saxeo, corde chalybeo, plumbea voluntate, voce melliflua, populum cui nõ modò propriè conuenire dixeris Euangelicum illud atque propheticum: Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longè est à me. Sed illud etiam Iudæ Iscariotis, qui Dominum suum prodens, & exosculans aiebat: Aue Rabbi, & Iudæorum qui indutum purpura, coronatum spinis percutientes & conspuentes illusione amarissima flexis poplitibus adorabant, & salutabant, Aue rex Iudæorum, quem neque vt regem diuinis, aut humanis honoribus, sed vt reum mortis ac blasphemum, contumeliis dignum, atque suppliciis inhumano iudicio destinarant. Quid enim, quid oro, aliud assidue geritur, hos inter Christi hostes, & nostri temporis Phariseos? Nón-ne etenim Christvm ipsum, cuius nomen die, ac nocte altissimis laudibus attollunt, quem purpura atque auro vestiunt, quem gemmis onerant, quem salutant & adorant cernui, eundẽ in terra emunt, vendunt, nundinantur, eundem quasi velatis oculis non visurũ, & impiarum opum vepribus coronãt, & impurissimi oris sputis inquinant, & vipe

reis sibilis insectantur, & venenatorum aestuum cuspide feriunt, & quantum in eis est illusum, nudum, inopem, flagellatum iterum atque iterum in Caluariam trahunt, ac nefandis assensibus, cruci rursus affigunt? Et ô pudor, ô dolor, ô indignitas! talium hodie, vt dicitur Roma est, patientibus, quorum erat obstare, tanto illam fastu sibi vendicant, vt quam suam volunt, aspicere dedignentur, & pro qua olim orbe toto tantus fluxit cruor, tot clari duces, tot exercitus cecidere, eam nunc nescio, quot indigesti & infames rustici nutu regunt, & captum, velut ab hostibus, nullo iam contradictore dilacerant. O inconsulte Princeps ac prodige, nesciebas quantis laboribus constaret imperium, quod tam facilè dispergebas? Solent studia adolescentes à patribus quaesita prodigere, nempe ignari, vnde vel qualiter parta sint, siquidem indigentiae ac laborum recordatio, magnum prodigalitati ac lasciuiae frenum ponit. At tu senex, quid agebas, vbi eras? Si videri munificum delectabat. De proprio largireris, tuam donasses Imperij haereditatem, quam curator acceperas successoribus integram reliquisses. Nescio quidem, an potueris sed fecisti, vt ad has tunc humiles, nunc superbas manus, heu longè, aliis manibus fundati status administratio perueniret. De quo non illepidè iocans quidam ait: Roma, tibi fuerant serui, Domini Dominorum, seruorum serui, nunc tibi sunt domini. Pol. ego tecum multa loqui habeam, si facultas detur. Sed an haec audias ignoro, & certè si audias frustrà sit: fecisti enim, quod neque si redeas, mutare possis, instaurator fundatori, quam euersori similior sit oportet. Tu CHRISTE, qui potes, à quo imperia omnia, & in terris, & quae sursum, & quae deorsum sunt precario possidentur, qui hanc meam, & maximè publicam querelam vel in silentio audis, exaudi quaesumus, si iusta est. Scio quidem scriptum esse. Si iniquitatem aspexi in corde meo, nō exaudiet Dominus. Apud te CHRISTE rerum veritas certa est, apud nos anceps opinio, secūdum quam, certe quod posceris, aequum est, cum multa enim grauia, tum illud importabile, quod non solum duro & inepto, sed odioso etiam, & hostili fasce premimur, vt verificatum sit à nobis ad literam, illud

Psalmi:

psalmi: Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos diripiebant sibi, dedisti nos tanquam oues escarum. Nota sunt quæ sequuntur: nobis hoc vnum ad querelam, & gemitum satis est: nam si res inspicitur, olim Domini gentium, quid nunc aliud facti sumus nisi oues escarum? Vtinam lanæ oues aut lactis essemus. escarum sumus. Rodimur volentes, consumimur, deglutimur, ab his qui si nolle ceperimus, oues coram leonibus videbuntur, neque id insolitum videbuntur, quod diutissime vsi sunt. Nunc noster torpor, hanc ignauiæ præstat audaciam, patientiam nostram impiè prorsus & deuorant, & oderunt, & quod vehementissimè stupeas, quos extra despiciunt, intus timent, contemptus fingitur, metus est. Mille sunt odij, mille formidinis argumenta, vnum vtriusque simul inseram, quod licet occultum prius erupit tamen, vt non modò Babylone, sed longiùs nasceretur. Eo tempore, quo ille Pont. Max. qui sibi prouinciam Italiam, atque in primis hanc vrbem Mediolanensium euertendam, sacerdotalis militiæ, senili expeditione delegerat, & sic in vtramque Christianam, Christianorum Pater perfecto odio sæuiebat, quasi non Italia hæc, sed Syria, vel Ægyptus, non Mediolanum, sed Damascus esset, aut Memphis. Cùm ad hoc sanctum, piúmque opus vnum è sacro patrum collegio, filium vt multi dixerunt, suum (& secundùm famam similitudo ingens morúmque ferocitas adiuuabat) non Apostolicum, sed prædonis in morem, neque signis virtutum ac miraculis, sed signis castrorum & miris instructum legionibus, in has terras, quasi alterum non Petrum, sed Hannibalem destinasset, in quo bello Deus omnipotens suo more & superbię restitit, & fauit humilibus, ac palam pro iustitia decertauit. Fuit vnus ex eodem illo grege vir, & ipse in nos inexplebilis odij, infinitæq; superbiæ, cuius ego tũc & faciẽ puer norã, & quantũ poterat ætas inualida animũ execrabat. Is pontifici ante omnes charus, die quodã in secretarium ingressus: cum rumoribus consternatũ, atq; anxium inuenisset (Hærebat enim belli impetus præter spem huius Vrbis) in limine, quæ tunc quidem muris nuda erat (at quod optimũ muri genus est, & militia insigni, & ducib⁹

armata fortissimis) itaque sæpe iam obsessores suos fuderant obsessi, iam captiuorum turbis carceres inundabant, iam cæsorum pinguescebant arua visceribus. In hoc ergo rerum statu, cum solito mœstiorem cerneret, familiaritate intima fret⁹, sic aggreditur: Miror (inquit) Pater Sanctissime, quid est, quod acutissimus in cæteris, in eo vno, quod est summum nobis, ac præcipuum parum vides? Ad hæc Pontifex grauibus pressum caput extulit: Experge (inquit) Quid rei est? Tunc ille consultor egregius: Scio (ait) te nihil tam optare, quàm Italiæ vastitatem, in hoc vires, opes consilia expendimus, in hoc Ecclesiæ thesauros, iam penè omnes effudimus, inextricabilem rem aggressi, nisi alia tentetur via. Ecce nunc ille tantus bellorum apparatus, illa nostrarum virium cuspis, in ipsis Mediolani portis obtunditur, quam tibi adulatores, vni alicui nostrarum vrbium similem asserebant, re ipsa superior omnibus est inuenta, quando Italiam vinceremus, ab vna Italica ciuitate vincimur. Sed si velis, alia longè facilior via est. Quænam (inquit) Pontifex dic ocyus? Hoc enim molior, hoc cupio, hoc est vnū pro quo velim corp⁹ & animam pacisci. Ille autem, Potes (inquit) omnia, & quicquid iusseris ratum est, cur nō igitur, & Papatum, & imperium vrbi Romæ, & Italiæ eripis? Et illum Cathurcum patriam nostram, hoc est, in Vasconiā transfers? Non magnus est labor: dic, & fiet, & non armis est opus, quibus longè impares sumus, verbo de hostibus triumphabis, sic & nos ornaueris nouis insignibus, ad nos translato rerum apice, & gemino lumine inuisum gen⁹ orbaueris. His erectus Pontifex, ex ira risu oborto. Fefellisti me (inquit) hactenus, nondum, te delirare cognoueram, an ignoras inscie, hac via quam statuisse subtiliter visus es tibi, & me, & qui mihi successerint Episcopos Cathurcenses fieri, & Imperatorem quisquis is, fuerit Vasconiæ præfectum. Illum verò, qui Romę præfuerit, siquidem spiritaliter Papam, sin temporaliter Imperatorem fore? Sic Italum nomen dum euertere putas attollis, & in antiquam restituis dignitatem. Nos ergo, dum datur, de super Romani pontificatus frena teneamus, & in hoc omni studio intentissimus, ne quan-

do forte summa ius, Italica manus arripiat, quod ipsum, quàm diu prohiberi possit incertum est. De titulis non certemus, velimus nolimus enim rerum caput Roma erit. His auditis, argutus ille stultus, erubuit: Ego verò Pontificis etsi animum improbem, probare cogor ingenium, qui quamuis in nos odio flagraret immeritò, meminerat tamen ac nouerat vbi fundata esset altitudo, cuius è fastigio superbirent, & ruinæ proximum videbat fundamenta concutere. Itaque quiescendum existimabat, & quasi furtim quæsitis in silentio gaudendum. Hanc historiam, quæ nescio, an ab aliis scripta sit, iam curiosè retexui, vt si tibi nota est, & mihi cognitam scias: si ignota autem, ex me discas, neu gnarus veterum præsentium sis ignarus: his verò nunc ducibus agimur, quibus prædæ sumus atque odio, & simulato contemptui, & timori vero. Et si quis etiam nunc ex nostris metu aut verecundia magis quàm iudicio; assumptus in eo numero est, quasi lucidus riuus, torrenti mixtus turbido, natiuum deposuit colorem, inque plurium naturam, & externos mores abiit. Et iam prorsus nihil est reliqui, nisi CHRISTVM precari, hísque erepta tradat aliis, quorum non & pœniteat simul, & pudeat humanum genus. Hi etenim tales sunt, quales dico, fallor, imò verò quales dicere nequeo; sic ad extrema dedecorum atque nequitiæ, quæ vtcunque olim steterat prolapsa res est, ex quo sancta & potens tunc Romana, nunc Auinionensis Ecclesiâ tangit, vertice sydera & digito cœlum voluit; vbi & Iudas si triginta illos suos argenteos pretium sanguinis attulerit admittetur, & pauper à limine CHRISTVS arcebitur, quod ita esse Christian⁹ nemo est qui nesciat, nemo qui non doleat, nemo qui vindicet. Ita dum alius alium expectat, malorum impunitas, quantum vides creuit, & quod à principio medicabile malum fuerat, iam tempore putruit. Cœperat enim, fateor, ante etiam ætatem nostram, vt ab auis accepimus fœdum hoc vlcus inflari, sed quod molestum diceres, intemperans morbum auxit exiguum. Itaque iam hæc pestis ad interitum spectat, totáque sanies in nostrum tempus erupit flebile, nisi vnum tantis in malis solatij

geaus esset. Dicam verò tibi nunc, quod interdum dixi, ei, qui solus è cunctis superfuit, illo grege pessimo, melioribus pascuis dignus erat, ingenti cum assensu eius, licet ipse dicto, non tam morum respectu, quàm status atque originis tangeretur. Siquidem enim, quoniam mortalium res oportet esse mortales, duo hæc mundi luminaria extingui, duósque gladios retundi, decreti necessitas cogebat, quamuis vtrunque, præcipuéq; alterum, occasui exemptum, promissis cœlestibus, speraremus. nec desperandum sit:, omnia hæc cum funditùs fuerint surrectura altiùs, si tamen hæc tam grauis rerum eminentium ruina, nostro sæculo impendebat. Gaudeo, hercle, quod cum in manibus nostris lux, & vigor suus his manserit, in alienis hæc tanta mutatio facta est, tantæque culpæ partem habet illa horrida & immitis: partem hæc mollis, & eneruata barbaries. Quibus ille auditis, libertate mea nihil offensus. Grauiter, inquit, & liberè, & aliorum fortassè auribus importunè, meis certè fidentissimè, & vt te decuit verissimè locutus es. Neu me forsan veri inscium, aut diuersę sententiæ arbitreris, duos Clementes nostros, plus attriuisse Ecclesiam paucis annis, quam septem Gregorij vestri, multis sęculis restaurare possent: nec ego dubito, nec dubitare aliquem existimo. Ille quidem hæc suspirans, nos autem zelo domus tuæ CHRISTE IESV iam satis euecti sumus, nec vllus sub sole fœdior rerum tramites, stylo potuerat occurrere, itaque redeundum est Ad hunc ergo populum, amice satis, tuis, an tibi quietem inuidentibus, an doctrinam ingerentibus venisti, peregrinatione dicã exilio, vtili magis quàm iocunda, quò effectum est, vt & tibi legendi, & mihi con ceptum scribendi negotiũ abstuleris. Iam profectò nec mihi, nec alteri docendus, quid sit, Babylon Rhodani, qualitérve sit exulibus Sion inter flumina Babylonis de quibus adeò magnifice tua mecum nuper egit epistola, vt illius sentinæ abdita funditùs scrutatus omnes eius Labyrinthi latebras penitùs inspexisse videare, multo tædio, multísque, reor angoribus, huius veri notitiam comparasti. Illud tibi pergratum, mihi inuidiosum affuit solamen, quòd inter tantas vitiorũ tenebras, quatuor magnis

illis quidem viris, velut totidem lucidissimis te syderibus vsum scribis, quos nescio an auorum crimen (ipsos enim optimos, integerrimósque hominum noui) an quæ fallacissima vitæ spes, an quæ fortunę violentia, tristísque necessitas, ibi detineat, quare permitte, quæso vt quod in animo est, vel inamœno sermone explicē, quasi, inquam, in cloaca solis radios. & loci simul obscœnitatem, omnem suo lumine nudantes, & circunfusis sordibus inaccessos.

FRAN. PETRARCHA AMICO, S. Epist. XVI.

Babylonem Gallicam describit.

ET quid adhuc hæres? at non hæres, sed teneris, & obluctans raperis, hoc potiùs reor, malo vim, quàm socordiam opinari, non est tuum torpor, ardens ingenium, mens ignea, generosus impetus. Sed quid hæc, si fortius impedimentum est, quàm virtus, magna etiam vis habet oppositam vim maiorem: necessitati omnia succumbunt. Illa te Babylon traxit, illa te detinet: durum, sed ferendum, loci natura est. Omne bonum ibi perditur, sed primum omnium libertas, mox ex ordine quies, gaudium, spes, fides, charitas, animæ iacturæ ingentes: Sed in regno auaritiæ, nihil damno ascribitur, modò pecunia salua sit. Futurę tibi vitæ spes inanis quędam fabula, & quæ de inferis narrantur fabulosa omnia, & resurrectio carnis, & mundi finis, & CHRISTVS ad iudicium venturus, inter nænias habentur. Veritas ibi dementia est abstinentia verò rusticitas, pudicitia probrum ingens: Denique peccandi licentia magnanimitas, & libertas eximia, & quo pollutior, eò clarior vita, quò plus scelerum, eò plus gloriæ, bonum nomen, cœno vilius, atque vltima mercium fama est. Habes quantum in tam paucis licuit illius sacræ vrbis expressum, quem non magis in his literis, hodie, quàm in illorū frontibus hominū, quotidie perlegis, quorū vitā nullus stylus nullū æquet ingenium. Cæterùm prima omnium vt dixi, ibi libertatis iactura est, quisquis limē illud introiit cōfestim

suus esse desiit, iam nec quiescere, nec abire permittitur, sed rotatur, & inefficaci labore consumendus atteritur. Paucos inde diuina clementia eripi à lege, vt Hierusalem diligant, atque oderint Babylonem. Hæc mihi de te spes reliqua est. Alioquin tuis de rebus actum crederem, tam tenaci, profundóque limo te demersum, & infixum video: interim non voluntati, aut iudicio, necessitati imputo ac fortunæ, quòd tamdiu ibi sis, & moras quas vehementer odi, libenter excuso, quod si qua fortassis in profectione culpa fuit, in mora ipsa, vtique iam non culpa, sed supplicium, & purgatio culpæ est. Sed quoniam multi, multa sæpe in carcere didicerunt, quid te vetat, in vinculis discere, aliquid, quo perpetuo sis doctior? Quædam nullo modo melius quam contrario discunt, ideóque qui Mathematicas artes docent, si quando parùm veri capax mens discipuli visa erit, solent falsa proponere, quæ dum refugit animus, ad veriora confugiat. Tu quoque solitus & religioni semper & honestati operam dare, quarum altera ad illius aspectum erigit, optantem animam, de quo ait Psalmista. Quærite faciem eius semper: Alterius ea facies est, quæ si oculis cerneretur, vt ait Plato, miris animũ amorib' inflãmaret, neq; tamẽ ideò minus amanda est, quod animo cernitur, siquid tibi nunc etiam ad vtriusque notitiæ summam deesse putas omne studium in aduersa reflectito, arrige aures, fige oculos, intende animum. Vis pulchritudinem Dei noscere cerne quanta est hostium eius obscœnitas. Non sunt autem longè quærendi, Babylone habitant, omnis vicus his vermibus scatet. Vis formam ac decus honestatis agnoscere? contemplare quanta est fœditas vitiorum, quorum omnium exemplar in oculis est tibi. Quocunque respexeris, videbis cuius odio simul Dei ac virtutis amantior fieri queas. Tu autem gaude, contrario saltem magistra virtutum: gaude (inquam) & ad aliquid vtilis, inuenta gloriare, bonorum hostis & malorum hospes, atque asylum pessima rerum Babylon, feris Rhodani ripis imposita famosa dicam an infamis meretrix fornicata cum regibus terræ. Illa equidẽ ipsa es, quã in spiritu sacer vidit Euangelista. Illa eadẽ inquã, es, nõ alia, sedẽs super aquas multas, siue

tas, siue ad littora tribus cincta fluminibus, siue rerũ atque diuitiarum turba mortalium, quibus lasciuiẽs, ac secura infides, opum immemor æternarum, siue vt idem qui vidit exposuit, Populi & gentes, & linguæ, aquæ sunt super quas meretrix sedes, recognosce habitum. Mulier circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Noscis ne teipsam Babylon? Nisi illud forsan errorem facit, quod in illius fronte scriptũ erat Babylon magna, tu verò Babylon parua es. Parua vtique murorum ambitu, sed vitiis & ambitu animorum, & infinita cupidine, cumulóque malorum omnium, non magna modò sed maxima, sed immensa es. Et certè quod sequitur, tibi vni conuenit, non alij Babylon, mater fornicationum, & abominationum terræ. Mater impia, partuum pessimorum, quando quicquid vsquam terrarum abominabile, quicquid fornicatoriũ ex te prodit, & cum semper parias, semper tumens, & talium plenus ac grauidus vterus tuus est. Si nunc quoque dissimulas, audi reliqua. Et vidi (inquit) mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum IESV. Quid siles? Aut aliam hoc sanguine ebriam ostende, aut omnino si potes, te hanc ebriam nega. Vera enim Euangelistæ & Apostoli visio sit oportet, qui si te in spiritu videns mirat⁹ est, admiratione magna, quanta nos admiratione perfundemur, qui apertè oculis te videmus? Ex omnib⁹ quidem fornicationibus tuis, de quibus biberũt omnes gentes, & reges terræ, & ex omnibus abominationibus quid expectes, nisi quod Ioannes idem ait: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum. Nota sunt quæ sequuntur: Verè iam talis facta es, quanto enim homo perditus, & desperatæ nequitiæ dæmone melior. Verè habitatio: imò regnum dæmonum facta es, qui suis artibus humana licet effigie, in te regnant. Tu verò amice cum eodem apostolo, audi vocẽ aliam de cœlo dicentem. Exite de illa populus meus & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius nõ accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vsq; ad cœlũ, & recordatus est

Dominus iniquitatum eius, quãtum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum, quia in corde suo dicitur. Sedeo regina, vidua non sum, & luctum non videbo, ideò in vna die, venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igni comburetur, quia fortis est Deus, qui iudicabit illam. Hæc & quæ Apostolicus ille locus habet, audi omnia, audi & fuge, si qua via est, nec innocentiam tuam ruinæ nocentium, & Babylonicæ præmant iniquitates, quarum nõ modus, non numerus, non mensura, non extimatio demum est. Taceo hæreditatem Symonis, & illam hæresis speciem, non vltimam, spiritus sancti dona mercantium. Taceo mali illius auaritiã matrem, quæ idolorum seruitus, ab Apostolo dicta est. Taceo vtriúsque pestis artifices, & concursantes Pontificum thalamis proxonætas. Taceo crudelitatem humanitatis immemorem, & suiipsius oblitam insolentiam atque illos vanis flatibus tensos vtres. Taceo denique illa prodigia, quæ insensibilis, veréque orbus terrarum orbis, tandiu quasi Ethnam Enceladus, aut Typheus Inarime pati potest, quorum omniũ mœsta nimis, & seuera narratio est. Ad ridicula simul atque odiosa festino. Quis enim, oro, nõ irascatur & rideat, illlos senes pueros, coma candida, togis amplissimis adeóque lasciuientibus animis, vt nihil illuc falsius videatur, quam quod ait Maro:

Frigidus in Venerem senior?

Tam calidi, támq; præcipites in Venerẽ senes sunt, tanta eos ætatis & status, & viriũ cœpit obliuio, sic in libidines inardescunt, sic in omne ruunt dedecus, quasi omnis eorũ gloria, non in cruce CHRISTI sit, sed in cõmessationibus & ebrietatib9, & quæ has sequuntur in cubilibus, impudicitijs sic fugientẽ manu retrahunt, iuuentam atq; hoc vnum senectutis vltimæ lucrum putant, ea facere, quæ iuuenes non auderent. Hos animos, & hos neruos triuit. Hinc Bacchus indomitus, hinc orientaliũm vis baccharum. O Ligustici & Campani palmites, ò dulces arundines, & Indicæ nigrantes arbustulæ, ad honestas delicias, & vtilitates hominum creatæ, in quos vsus, & quantã animarum perniciem, cladémque vertimini? Spectat hæc Satan ridens, atque in pari tripudio delectatus,

intérque decrepitos ac puellas arbiter sedens, stupet pl⁹ illos agere, quàm se hortari, ac ne quis rebus torpor obrepat, ipse interim, & seniles lumbos stimulis incitat, & cœtum peregrinis solibus ignem ciet, vnde fœda passim oriuntur incendia, mitto stupra, raptus, incestus adulteria, qui iam Pontificalis lasciuiæ ludi sunt. Mitto raptarum viros, ne mutire audeant, non tantum auitis laribus, sed finibus patriis exturbatos, quæque contumeliarum grauissima est, & violatas coniuges, & externo semine grauidas rursus accipere & post partum reddere, ad alternam satietatem abutentium coactos. Quæ omnia non vnus ego, sed vulgus nouit, etsi taceat, quamuis ne id ipsum taceat, iam maior est indignatio, quam metus, & minacem libidinem vicit dolor. Hæc, inquã, vniuersa prętereo: Malo quidem te hodie, ad risum quàm ad iracundiã prouocare, ita enim quæ vlcisci nequit, in se flectitur, & in dominum suum sæuit. Fuit ergo seniculus quidam, ex eo numero vnus, cunctis annalibus implendis idoneus, hircina libido homini inerat, vel si quid libidinosius, atque olentius hirco est, hic seu mures metuens, seu lemures, dormire solus non audebat; nil apud eum tristius, nil miserius cœlibatu, nouas quotidie nuptias celebrabat, & creber vagis amplexibus sponsus erat, cum & os illi vacuum, & ætas plena esset, septuagesimum pridem annum excesserat, septimo vix iam dente superstite. Erat illi puellarum auceps vnus ex multis, domini sui libidine nihilo segnior, cuius retia & laquei, omnes vicos, omnium, & præsertim pauperum domos obsederant, huc pecunias, huc redimicula, huc anulos, huc postremò blandicias, huc cœnæ reliquias, huc omne genus escarum, & quęcunque flexura muliebres animos, cõuehebat, ipse interim suspensus animo canebat. Nam & reuera cantor erat, sed qui vocem ab altaribus ad choreas, ac lupanaria transtulisset. Notam hominem vulgi digito monstratum, qui his artibus, multas prædas, in os lupi senis, inferre solitus diceretur. Mille locus hic ridiculosas historias capit, vnum accipe. Multis ille politicis, misellam virgunculã, an meretriculã illexerat, vt dominio eius, vtique & excelsi gradum, & magnarũ opum

sed nec formæ, nec ætatis amabilis, obsequi in animum induceret. Quid multis agam? Acquiescit, & velut Psyche illa Lucij Apulei, fœlicibus nuptiis honestanda, ignoti viri thalamum subit. Re comperta, impatiens moræ, senex aduolat, & vlnis arreptam, pendulis labiis exosculans, atque inermi ore commorsitans, consummare nouas nuptias anhelabat: repentino malo perculsa, & olente senio, & vultu lucido deterrita, exclamat. Ad magnum se quendam, & insignem prælatum non ad deformem, & decrepitum sacerdotem aduenisse, non posse sibi fraudem fieri. Vis si fiat, manibus quoad possit, deinde gemitibus atque vlulatibus occursuram, neque dum reliquiæ spiritus vllæ essent passuram se à tam turpi sene violari. Hæc vociferans vbertim flebat: ille autem, & manu scabra, & ore hispido, spumantíque tenerum os præcludẽs, fletibus & querimoniis conabatur obstare. atque incondito murmure, & ineptissimis blanditiis (erat enim præter cætera blesus adeo, vt à nemine posset intelligi) ægrã animi solari. Sed cùm nil proficeret senex egregius, in secretarium se proripit, arreptóque quo conscripti Patres, à reliquis discernuntur, rubenti pileo, & insigne suũ, albo caluóque vertici imponens, Cardinalis sum, *inquit*, Cardinalis sum, ne timeas filia. Sic amasiola adhuc flentem, & præsenti specie, & futura spe magnificè consolatus, in geniale cubiculum deduxit pronuba non Iunone, sed Ctesiphone, ac Megæra. Ad hunc modum Cupidinis veteranus, Baccho sacer, & Veneri, non armatus, sed togatus & pileatus de suis amoribus triumphauit: Plaude: fabula acta est. Nosses hominem iucundissime sonuisset, & huius, & reliquorum mille sunt talia, quorum quædam non ludicra, sed pudenda, alia, verò inania, & horrenda sunt. I nunc, mirare, ducibus his, & propitium populo suo CHRISTVM & Rempub. prosperari.

FRAN.

FRAN. PETR'ARCHA AMICO, S. Epist XVII.

Periculum egresso gratulatur, & vt caueat hortatur.

EVasisti, erupisti, enatasti, euolasti, bene est: timebam fateor tibi, timebam animæ tuæ ne post descensum ad inferos, non cũ vellet emergere sciębã, & auerni descẽsum facilem, & apertũ Labyrinthi limen laboriosum, atq; operosum exitum. Dicebam mecum: O si meus Alcides, ô si Theseus meus ab inferis redeat. O ne mali pondus illum opprimat, neque pedes ad virtutem, volucres, adamantinæ scelerum catenæ vinciant, detineántque. Inter hæc vota, hósque inter, metus emersisti, Deo gratias, qui ex inferno in se sperantes animas educit, exoptatus, euocatus, expectatus aduenis. His igitur primum terris redditus, quæ te illi Hærebo crediderant, non Phœbo, vt Dædalus, sed CHRISTO alarum remigium consecrabis, & cauebis, ne vnquam amplius Gnosum spectes. Non est sæpius retentanda fortuna, periculum sine periculo non fit, id cum semel euaseris, declina, ne quando corruas vnde non surgas, nulla vnquam te mala cupiditas tangat, vt illos principes tenebrarum rursus adeas. Quos cum suis opibus, suisque flagitiis dij, deæque omnes, imò verò deorum Deus, viuos ac mortuos malè perdat, quæ cœlestis agni sanguine saginati, calcitrant ac rebellant, eò me mirum, meus ille nunc euocat, quò te præsente, persuaderi mihi non potuit vt venirem, ille mihi hortator est fidus quidem, sed improuidus, vt Babylone viuere eligam ac mori. Cur autem siue ad quid, vt videam bonos mergi, malos erigi, reptare aquilas, asinos volare, vulpes in curribus, coruos in turribus, columbas in sterquilinio, liberos lupos, agnos in vinculis, CHRISTVM denique exulem, Antichristum Dominum, Beelzebub iudicem. Hæc ad spectacula reuocor, non audiam, malè mihi cum illis, malè illis mecũ conuenit. O crudelis & impia secta hominũ, nil nisi seipsos amantium, ídque ipsum peruersè prorsus ac nephariè. Quis releuabit oppressum orbem? Quis vindicabit afflictam vrbem? quis euersos mores reformabit? Quis colliget sparsas oues? Quis pastores erroneos arguet? Quis reducet aut retrahet in sedem suam? nullúsque

ac licentiæ ac scelerum modus erit, an frustra per Prophetam spiritus sanctus intonuit: Hæc fecisti & tacui, existimasti iniquè, quod ero tui similis. Arguā te & statuam contra faciē tuam. Intelligite qui obliuiscimini Deum ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Intelligite (inquam) nobis loquitur, Dei hostes intelligite. Surdis loquitur, sopitíque nunquam intelligent, nisi horrendo tonitru, seu quoniam tonuisse non sufficit, trisulco fulmine experrecti. Ad te mihi nunc sermo est inuictissime Regū nostri temporis, quem non nomino, quando & nomen obstat inscriptioni, & abundè te nominat, ipsa rerum ac gloriæ magnitudo. Nam quid opus est verbis vbi res loquitur. Haud immeritò tantis te victoriis ornatum credere phas est, qui præter principalis tuæ causæ iustitiam, vulpes illas veternosas, fœdis, & non suis è caueis, CHRISTI quæ sponsam cœno, ac vinculis eruere potens es. Et facies spero iure, tibi perpetuam fœlicitatem, & votiuum cœpti exitum quisque fidelium optauerit. Pastorē illum, & senio, & sopore, & mero grauidum, nunquam sponte latebris, & amatis fornicibus egressurum, solus manu prehensum, & verbis increpitū, à verberibus castigatum, in antiquum penetrale restitues. Id si fortè tibi cælitus non datur, quāquàm nec dignatus pluribus, neque hoc munere dignior quisquā sit, venient alij, quorū quò fœdior manus, eò pulchrior vindicta. Deniq; qualia multa vndique crebrescūt, vel prædonum iusta acie, vel salubri peste, clementíque cœli inclementiā. Ad postremum plaga aliqua euidenti, quoniam minis ac prodigiis cor Pharaonis obduratū, superbúmque non tangitur, sponsæ CHRISTVS superueniet laboranti. O quid scripsi, O quid mihi venit in animū, quò prodiit lingua, quò progressus est calamus. possem cum Iob & ego fortassis dicere: Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem, dixi tamen, & iam non dixisse non possum, delere autem etsi adhuc liceat non libet, tantus est veri amor, tantúmque mali odium, vt periculi omnis interim obliuiscar: In vno consilium senis illius sequar, quia cum infinita se nunc offerant, & perexigua dicendorum pars exacta sit frenabo impetum, & si cū eodē Iob, manū meam ponā super os meū, & his vltra nō addā.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA C. AMICO, S. Epist. XVIII.

Contra Auerroem vt scribat hortatur.

MAgnam tuis, vberémque materiam, & lætandi tribuis,& sperandi,ante alios mihi, quo fortassè, non alius in te oculos altius defixit. Clarum tibi lumen ingenij Deus dedit, industriæque nobilis stimulos addidit, atque ex his notitiam rerum variarum, pro ætate mirificam:ipse nempe, non alius est, qui dat omnibus affluenter,& non improperat.Ipse est,cui soli conuenit,quod ludens pro suis longè alias traduxit,magister artis,ingeniíque largitor.Et sicut tibi,ad rerum perceptionem intellectus,sic ad expressionem lingua suppetit, cuius defectus magna sæpe decolorauit ingenia, & minoribus ostendit imperia.Tu omnibus his instructus,& fauore Dei vultus, & hominum,mane primo,altum iter,duræ religionis ingressus es,eo duce,post quem nemo vnquam errauit,nisi qui voluit:Augustinum dico, cuius hæsisse vestigiis, ea demum & ad cœlum, & ad gloriam via est. Adhuc penè puer eras,dum consanguineo illo tuo,viro bono,& amico meo instante ad me perductus,aliquandiu pro tuorum tunc annorum imbecillitate recusantem, bona spe illico me implesti, vt contra morem, propositúmque meum,tanto imparem amicitiam amplexus,sæpe exinde de me redeuntem,indies lętius te viderem,admirans,vnde tibi id ætatis; nostræ amicitiæ tanta cupiditas & sæpe mecum in silentio, pòst etiam cum amicis illud patris Ambrosij repetens. Puęr iste,si vixerit aliquid magni erit. Transiuerunt interim anni plures, nihil enim tam tacitè,támque velociter transit,diúque in patriam reuerso,tuo conspectu carui. Ecce nunc puer meus, ad me rediit,sed vt ait Naso:

Iam iuuenis,iam vir,iam formosior ipso:

Ea scilicet forma,quam, nec ætas imminuet, neç morbus eripiat,nec mors ipsa. Iam de te igitur non tantum spèro,sed spero simul & gaudeo, est enim præsentis boni nomen gaudium, spes futuri. Ecce iam te magnis viris parem teneo,parem maximis mox tenebo, age modò

perge iter assumptum.excita teipsum, adde geminũ calcar ingenio, hinc honoris, hinc pudoris mane cœpisti, noli sub meridiem torpere. Solent pigri viatores, dum solē cœli medio suspiciunt, multũ lucis sibi superesse cogitantes vmbras quærere, séque somno & quieti tradere, serò tandem experti inclinatam diem se & elusos intelligere, id ex te certè non metuo, non hoc animi tui ardor spondet, non frons, non oculi, non verba denuntiant. Verè autem multos, ad summa venturos error iste detinuit, & auertit, dum auctoritate nescio quorum insanorum freti, nescio quam ætatem consistentem, vana sibi persuasione confingunt quæ nulla vnquam sui in parte consistit, sed id semper & labitur, & currit, & rapitur, vtque (ait Cicero) volat. Excusat forsan vtcunque senectutis inertiam fragilitas & morborum cohors vndique illam præmens, quæ tamen, si quid insitæ virtutis est reliquum, neque omnia, anni volatiles abstulerunt, magna vi, senilem suis affinibus abigit torporem, & vigorem iuuenilem ad honestos actus manu retrahit. Meministi M. Port. Catonem, Latinas literas iam tunc senescentem, Græcas verò, iam nunc senem didicisse, eáque ipsa ętate Socratem, post literas fidibus operam dare, Carneadem Philosophiæ studio cibi solitum obliuisci. Platonem toto pene orbe peregrinantem die vltimo vel Sophronis Mimos sub capite habentem (vt Valerius, vel vt ait Cicero) scribentem mori. Simonidem octogenarium, in certamen carminum descendisse, atque ipsa ætate Chrysippum, & propè centenarios Isocratem, ac Sophoclem præclarissima edidisse volumina. Et Solonem senem, post conditas suas ciuibus leges, Poeticæ inhiantem, semper denique literarum sitientem, & in ipsa demum morte discentem. Possem exempla subtexere, eorum senum, qui ætate vltima res bellicas, vt ciuiles elegantissimè calluerunt. sed mihi ad studiorum alterius generis sermo est. Et hæc quidem, atque his similia, senectuti mirabilia prorsus & gloriosa sunt: iuuentuti autem, vsque adeò debita & sua, vt nihil sit pigro iuuene turpius, nihil inexcusabilius, nihil ad extremum desperatius. Quædam enim vitia annis cedunt, atque diminuuntur, alia ingrauescunt, augentúrque. Horum

rum è numero segnities est, itaq; segnem iuuenẽ quem videas, quàm sollicitum senẽ speres? Quod attendens, cogitabis, nequa tibi pars tẽporis ignaua præterfluat, néve nulla tibi vnquã, aut longioris, aut tardioris spes ætatis blandiatur. Breuissima enim simul & fugacissima est, & vtrum magis incertũ sit, ex æquo contendit cum breuitate celeritas. Nihil est verè vita hæc, pro qua tãto tempore agimur, ac torquemur. & hoc ipsum nihil, nũquam stat: sed dum quæritur, tãquã fumus euanescit. Nõ est iuuenibus expectandum, dum quid promptè faciunt, lentè faciant, sed in iuuẽtute properãdũ, vnde senes gaudeant, mortui celebrentur, & sepulti viuãt, voliténtq; (vt ait Ennius) docta per ora virũ. Hæc amice discendi ætas est, quod hæc studiosa collegerit, senectus docta distribuet: quódque à multis acceperit, refundet in plurimos: in quærendis illam expectare dementia est, cui vel quæsita seruare difficile: neque verò studiosos solos memorẽ, quibus ætas alia nulla est, nisi hæc vna quã degis, & corpore, & ingenio præualida, & impedimentis libera, nisi quæ sibiipsa peperit, quibúsve sibi iter ipsa præstruxerit, quod multi faciunt, qui scientiæ ac virtutis, ad quas destinabantur obliti, post cõcupiscentias suas eunt. neque à voluptate suâ auertũtur, donec suis pudor, ac dolor, inimicis gaudium, vulgò ludibrium effecti, vndique inutiles, nec literis, nec concupiscentiis habiles, ad senium peruenêre. Sed ex alio quoque genere hominũ attingam paucos, quos si te exempla sollicitent, qui cum alias partes ætatis possent, ad agendum fortia, hanc vnã, nullámq; aliam elegerunt, neque vel modicũ distulerunt, neque si distulissent successisset, vt fecit. Certè hac ætate, iam Achylles Troiam, Alexander Indiam pulsabat, Scipio Aphricanus occidentem fregerat, meridiémque frangebat, Pompeius Magnus Hispaniam, prædomitísque prædonibus, maria cuncta pacauerat. Hac ætate Drusus verò Germaniã fatigabat, iámque ad diuortia Rheni, omnia populando, ac vincẽdo peruenerat, tantáque animi virtute eáq; (more iuuenum) maiestate, vt hostibus quoque venerabilem se, in omne tempus efficeret. Quod nec hodie Germani negant, vel dissimulant, quod interdũ fortè positus in ea terrarum par-

te, perpẽdi, & in genua huius noui Cæsaris, & suorũ procerũ confessione cognoui. Possem pluribus illustrioribus munire: his teipsum vrge stimulis, his attolle comitibus. Magnorũ sequi vestigia, séque illis conferre, magnis animis dulce est: Neu dicas, Iuuenis sum, multũ mihi superest temporis, vt enim hoc dubiũ, sic certissimum illud, quod nunquã dies ista reuertitur. Arripe eam ergo, ne tibi infructuosa prætereat, & vt magnæ parti hominũ, imò ferè cunctis hominibus, atq; in morem inter digitos effluat: Profectò autẽ, vt, quod nulli vnquam fuit, tibi certi temporis multum esset, huius tamen, & rerum omnium parcimonia, tunc est vtilis dum abundant, nempe cũ defecerint, ne quicquam amissa custodias. Quamobrem iterum atque iterum te moneo, & obtestor, ne vllum diem per ignauiã labi sinas, sed omni serò, tecũ ipse calculum ponas (tanquam diligens pater familiâs, cũ suspecto dispensatore) hoc egi hodie, hoc incepi, hoc didici, hoc doctior, hoc melior factus sum. Neq; enim minus ad virtutem quam ad scientiã te cohortor, quem inutilem tibi diẽ præteriisse deprehenderis, nec vixisse te credito. Amico diẽ perdidi (inquit) Titus Cæsar. Id si dixisse laudatur, qui non aliis illa luce profuerat, quid dicturũ putes, qui nõ profuit sibi? Nõ possum⁹ fateor libro sẽper incũbere, nõ sẽper solitarij, & tranquilli esse: & nos fragiles, & mũdus est turbid⁹, & res inextricabiles, hoc possum⁹ curare, ne dies vlla sine nostra discussione, & in nos animi refectione pertrãseat. Quomodo enim aliena curabim⁹, si nostra negligimus? Sedẽdo quidẽ, standóq; licet & eundo, de se suisq; de rebus in consilio, in consensu, & (quanquam Ciceroni aliter videatur) etiam in cõuiuio, sed leniùs cogitare. Vix tam sterilis ager, vix tã durus est animus, quem non iugis ac diligens cultura fœcundet ac leniat. Quid de tuo igitur sperem, quem natura ipsa tractabilem fecit, ac fertilem? Nostrũ ergo, quod apud Tullium ait Cato, ducem optimum tãquam Deum, imò quidem naturæ, rerúmq; omnium patrem Deum ipsum sequere, altis te vocibus euocantem, omnésque quos creauit, redemítque homines non è cœlo tantùm, vbi in æternum regnat, sed ex asperrimo etiã tropheo quod pro

nobis

nobis nudus, spinis coronat⁹, triũphator ascendit, omnes inquam vocat, pauci illum audiunt. Esto vnus è paucis, alioquin nihil esse præstaret. Audi illum & exaudi, à quo corpus atq; animam & ingenium accepisti, per quem es, qualem te gaudemus, per quem eris, nisi respuis, qualem te cupimus & speramus. Non te hodie pluribus præmam, certus hæc tibi, & multò etiam pauciora sufficere, vt qui ex te quid optem ego, quidve alij, qui te amant, tacito me licet intelligis. Vnum tamen non obmiserim, ne illis aures, aut animum accommodes, qui obtentu studij Theologici te nituntur à notitia literarum scholarium dehortari, qua, vt sileam reliquos, si Lactantius atque Augustinus caruissent, neque illæ superstitiones paganorum tam facilè subruissent, neque iste Ciuitatem Dei, tanta arte, tantísque molibus erexisset. Expedit Theologo præter Theologiam etiam multa nosse, imò si fieri possit, penè omnia quibus contra insultus carnalium sit instructus. Certè sicut vnus est Deus cui omnia subsunt, sic vna est sciẽtia de Deo, cui bonæ omnes aliæ obsequũtur: De his tamẽ libro secũdo de doctrina Christiana, ipse idẽ disputat Augustinus. Lege ergo de illius cõsilio, quæ potes sine propositi principalis præiudicio, & disce quãtũ poteris dũ ne ingenium aut memoriam afficias, sempérque memineris esse te Theologum non Poëtam, aut Philosophum: nisi inquam, tum verus Philosophus veræ sapientiæ est amator. Vera autem Dei Patris Sapientia CHRISTVS est. His illud addiderim, vt in omni doctrina illa tibi præcipua cura sit, non quàm abdita, quanquàm obscura, sed quàm vera, quàm clara sint, quibus animum intendis: sunt enim qui de his maximè quæ nec ipsi alij intelligunt inaniter gloriantur, stultum genus: nam vt veritas obiectum, sic ni fallor claritas est fœlicitas intellectus. In omni autem sanctitate ac virtute expeditam illam, & compendiariam, Socratis ad gloriam viam nunquam deseras. vt scilicet talis esse studeas, qualis vis videri: sunt enim pessimi quidam, qui videri volunt optimi, quasi vt alios, sic & Deum, & conscientiam suam fallant. Geminæ autem vitæ huius duces multos habes, vtrique tamen vnus suffecerit Augustinus: domesticus

tuus dux, quem vides, hac ipsa tua ætate, cum erroribus ac vitiis generoso impetu magnificentissimè colluctantem, si quis in illo vnquam vitæ error fuit, aut doctrinæ primus contraria sublatus est vita: secundus manu propria discretissimo volumine extirpatus est, vt nil sit tutius, quàm viri illius, & vitam simul & doctrinam sequi. Hoc ne tibi vnquam è memoria excidat. Extremum quæso vt cum primum perueneris quò suspiras, quod citò fore confido, contra canem illum rabidum Auerroem, qui furore actus infando, contra dominum suum CHRISTVM, contráque catholicam fidem latrat, collectis vndique blasphemiis eius, quod vt scis, iam cœperamus, sed me ingens semper, & nunc solito maior occupatio, nec minor temporis, quàm scientiæ retraxit inopia, totis ingenij viribus ac neruis incumbens, rem à multis magnis viris impiè neglectam, opusculum vnum scribas, & mihi illud inscribas, seu tunc viuus ero, seu interim abiero: semper enim tempus est omnibus, & mihi inter alios: iam de habitu cogitandi. Neu dubita defuturum tibi, vel ingenium, vel stylum quamuis tuorum nonnullis solitum deesse aderit CHRISTVS suas res agenti, qui tibi affuit, vel nascenti. Vale.

FRAN.



FRANCISCI PETRARCHÆ EPITOLARVM AD VIROS ILLVSTRES veteres,

LIBER VNVS.

FRAN. PETRARCHA PVLICI VINCENTINO POETAE S.

De materia & causa sequentium epistolarum.



IN suburbano Vicentino per noctem hospitatus nouam scribendi materiam inueni. Ita enim accidit, vt sub meridiem Patauo digressus patriæ tuæ limen attingerem, vergente iam ad occasum sole. Ibi-ne igitur pernoctandum, an vlterius procedendum (quod & festinabam & longissimæ lucis pars bona supererat) deliberabundus hærebam, tũ ecce (quis se celet amantibus?) & magnorum aliquot virorum, quos abunde parua illa ciuitas tulit, gratissimus interuentus dubium omne dimouit. Ita enim fluctuantem animum alligastis vani & iocundi fune sermonis, vt ire cogitans staret & non prius labi diem quam noctem adesse perpenderet. Et illo die & sæpe alias expertus sum, nulla re alia magis tempus non sentientibus eripi, quam colloquiis amicorum. Magni fures temporis

sunt amici, etsi nullum tempus minus ereptum, minus perditum videri debeat, quam quod post Deum amicis impenditur. Illic ergo ne infinita recenseam, meministi, vt forte Ciceronis mentio nobis oborta est quæ crebra admodum doctis hominibus esse solet. Ille tandem vario colloquio finem fecit. In vnum versi omnes; nihil inde aliud quam de Cicerone tractatum est. Symbolum confecimus & palinodiam sibi seu panegericum dici placet alternando cecinimus. Sed quoniam in rebus mortalium nihil constat esse perfectum, nullúsque hominum est in quo non aliquid quod merito carpi queat modestus etiam reprehensor inueniat, contigit vt dum in Cicerone velut in homine mihi super omnes amicissimo & colendissimo prope omnia placerent. Dúmque auream illam eloquentiam & celeste ingenium admirarer morum leuitatem, multísque mihi deprehensam indiciis inconstantiam, non laudarem. Vbi cum omnes qui aderant, sed ante alios senem illum cuius nomen excidit, non imago, conterraneum tuum annis verendum literísque, attonitos viderem nouitate sententiæ: res poscere visa est vt codex epistolarum mearum ex arcula promeretur, prolatus in medium addidit alimenta sermonibus: inter multas enim ad coetaneos meos scriptas. Paucæ ibi varietatis studio & amœno quodam laborum diuerticulo antiquis illustrioribus inscribuntur, quæ lectorem non præmonitum in stuporem ducant; dum tam clara & tam vetusta nomina nouis permixta compererit. Harum duæ ad ipsum Ciceronem sunt, altera mores notat altera laudat ingenium. Has vt intentis omnibus cum legisses mox amica his verbis incaluit quibusdam scripta nostra laudantibus & iure reprehensum fatentibus Ciceronem. Vno aut illo sene obstinatius obluctante qui & claritate nominis & amore captus auctoris erranti quoque plaudere & amicitia cum virtutibus amplecti mallet quam discernere, nequid omnino damnare videretur hominis tam laudati. Itaque nihil aliud vel mihi vel aliis quod responderet habebit, nisi vt aduersus omne quod diceretur splendorem nominis obiectaret & ra-

& rationis & locum teneret auctoritas succlamabat identidem protenta manu: Parcius oro, parcius de Cicerone meo: dúmque ab eo quæreretur an errasse vnquam vlla in re Ciceronem opinari posset: claudebat oculos, & quasi verbo percussus auertebat frontem ingeminans heu mihi, ergo Cicero meus arguitur: quasi non de homine sed de Deo quodam ageretur, quæsiui igitur: an Deum fuisse Tullium opinaretur an hominem: incunctanter Deum ille respondit. & quid dixisset intelligens, Deum, inquit eloquij. Recte inquam: Nam si Deus est errasse non potuit. Illum tamen Deum dici nondum audieram. Sed si Platonem Cicero suum Deum vocat, cur non vt Deum tuum Ciceronem voces: nisi quia deos pro arbitrio sibi fingere non est nostræ religionis. Ludo, inquit ille. Hominem sed diuino ingenio fuisse Tullium scio: Hoc inquam vtique rectius. Nam celestem Quintilianus dicendo virum dixit: sed si homo fuit & errasse profecto potuit & errauit. Hæc dum dicerem cohorrebat, & quasi non in famam alterius: sed in suum caput dicerentur auersabatur: ego vero quid dicerem? Ciceroniani nominis & ipse mirator maximus. Senili ardori & tanto studio gratulabar: quiddam licet Pithagoreum redolenti tantam vnius ingenij reuerentiam esse tantam religionem: vt humanæ imbecillitatis in eo aliquid suspicari sacrilegio proximum haberetur. Gaudebam mirabárque inuenisse hominem qui plus me illum diligeret, quem ego semper præ omnibus dilexissem; quíque, quam mihi puero fuisse memineram, eam de illo senex opinionem gereret altissime radicatam: nec cogitare quidem posset ea ætate homo: Si fuit Cicero, consequens esse vt in quibusdam ne dicam multis errauerit: quod ego certe iam partim cogito, partim scio & si ad hæc nullius æquè delector eloquio nec ipse de quo loquimur Tulius ignorat, sæpe de propriis grauiter questus erroribus quem nisi sic de se sensisse fateamur laudandi libidine & notitiam sui ipsius & magnam illi partem philosophice laudis eripimus modestiam: Cæterum nos, die ille post longum sermonem hora demum

interpellante surreximus atque inde integra lite discessum est: sed exegisti vltimum, vt quod tunc breuitas temporis non sinebat, vbi premiũ constituissem exẽplum tibi epistolæ vtriusque transmitterem, quò te acrius excussa vel sequester pacis inter partes vel si quo modo posses Tullianæ constantiæ propugnator fieres: laudo animum ac postulata transmitto, dictu mirabile, vincere metuens vinci volens. Vt vnum noueris si hic vincis plus tibi negotij superesse quam putas: pari etenim duello Anneus Seneca te poscit athleta quæ proxima scilicet carpit exempla. Lusi ego cum his magnis ingeniis, temerarie forsitan sed amanter, sed dolenter, sed vt reor vere aliquanto inquam verius quam vellem. Multa me in illis delectabant, pauca turbabant de his fuit impetus vt scriberem: qui hodie forte non esset, quamuis enim hæc propter dissimilitudinem materiæ ad extrema reiecerim, ante longum tamen tempus excuderam: adhuc quidem virorum talium fortunam doleo, sed non minus culpam. Nec te prætereat, non me Senecæ vitam aut Ciceronis erga Remp. damnare propositum, néue duas lites misceam. De Cicerone nunc agitur, quem vigilantissimum atque optimum & salutarem consulem ac semper amantissimum patriæ ciuem noui. Quid ergo varium in amicitiis animum & ex leuibus causis alienationes grauissimas, atque pestiferas sibi & nulli rei vtiles in discernendo insuper suo ac publico statu iudiciũ reliquo illi suo impar acumini: ad postremum sine fructu iuuenile altercandi studium, in sene philosopho nõ laudo, quorum scito neque te neque alium quolibet equum iudicem fieri posse, nisi omnibus Ciceronis epistolis vnde ea lis oritur non à transcurrente perlectis. Vale III. Idus Maias. Ex itinere.

FRAN.

FRAN. PETRARCHA M.T. CICERONI, S. Epist. I.

Ciceronem reprehendit quòd eum senem falsus gloriæ splendor adolescentium bellis implicuerit.

EPistolas tuas, diu multúmque perquisitas atque vbi minimè rebar inuentas, auidissimè perlegi: audiui multa te dicentem, multa deplorantem, multa variātem M. Tulli, qui iampridem qualis præceptor aliis fuisses noueram: nunc tandem, quis tu tibi esses agnoui. Vnum hoc vicissim à vera charitate profectum, nō iam consilium, sed lamentum audi, vbicunque es, quod vnus posterorum tui nominis amātissimus, vix sine lachrymis fundit. O inquiete sēper & anxie, vel vt turba tua recognoscas, ô præceps & calamitose senex, quid tibi tot contentionibus, & prorsum nihil profuturis simultatibus voluisti? Vbi & ætati, & professioni fortunæ tuæ cōueniens otiū reliquisti? Quis te falsus gloriæ splendor senē, adolescentiū bellis implicuit, & per omnes iactatū casus, ad indignā Philosopho mortē rapuit? Heu & fraterni consilij immemor, & tuorū tot salubriū præceptorū ceu nocturnus viator, lumen in tenebris gestans, ostēdisti secuturis callē, in quo ipse satis miserabiliter lapsus es. Omitto Dionysium, omitto fratrē tuū ac nepotē, omitto, si placet, ipsum etiam Dolabellā, quos nunc laudibus ad cœlum effers, nunc repentinis maledictis laceras. Fuerint hæc tolerabilia fortassis. Iul. quoque Cæsarē præteruehor, cuius spectata clementia ipsa lacescentibus portus erat. Magnū præterea Pompeiū sileo, cum quo iure quodā familiaritatis, quidlibet posse videbare. Sed quis te furor in Antoniū impegit? Amor credo Reip. quā funditùs iā corruisse fatebaris. Quod si pura fides, si libertas te trahebat (quod quidē de tāto viro licet opinari) quid tibi tā familiare cū Augusto? Quid enim Bruto tuo responsurus es? Siquidē (inquit) Octauius tibi placet, nō Dominū fugisse, sed amiciorē dominū quæsisse videbaris. Hoc restabat infelix, & hoc erat extremū, Cicero, vt huic ipsi tā laudato malediceres qui tibi nō dicā malefaceret, sed malefaciētibus nō obstaret (Doleo vicē tuā amice, & errorū pudet ac miseret tātorū) iāq; cū eodē Bruto, iis artibus nihil tribuo, quibus te instructissimū fuisse scio: nimirū, quid enim iuuat a-

lios docere, quid ornatissimis verbis semper de virtutib⁹ loqui prodest, si te interim ipse non audias? Ah quātò satius fuerat, Philosopho præsertim, in tranquillo rure senuisse, de perpetua illa, vt ipse quodā loco ais, non de hac iam exigua vita cogitantē, nullos habuisse fasces, nullis triūphis inhiasse, nullos inflasse tibi animū Catilinas. Sed hoc quidem frustrà. Æternùm vale mi Cicero. Apud superos ad dexteram Athesis ripam in colonia Veronensium Transpadano Italiæ XVI. Calend. Quintiles, anno ab ortu Dei illius, quem tu nō noueras. M C C C. X L. V.

FRAN. PETRARCHA M.T. CICERONI, S. Epist. II.

Ciceronis ingenium & eloquentiam summopere laudat.

SI te superior offendit epistola, verum enim, vt ipse soles dicere, quod ait familiaris tuus in Andria. Obsequium amicos, veritas odium parit. Accipe quod offēsum animum ex parte mulceat, ne semper odiosa sit veritas, quoniam veris reprehensionibus irascimur, veris laudib⁹ delectamur. Cùm quidē Cicero, quod pace tua dixerim, vt homo vixisti, vt Philosophus scripsisti, vitā ego tuam carpsi, non ingenium, aut linguam, quippe qui illud miror, hanc stupeo. Neque tamen in vita tua, quicquā præter constantiam requiro, & professione Philosophicę debitum quietis studiū, & à ciuilibus bellis fugam. Extincta libertas, ac sepulta iam & complorata Resp (vide vt ciuiliter tecum ago) ac tu cum Epicuro multis in locis, sed expressiùs in lib de Finib⁹, Agebas enim vbilibet, vitam probas, rides ingenium, ego nihil in te rideo, vitę tamen compatior vt dixi, ingenio gratulor, eloquió ve. O Romani eloquij summe parēs, nec solus ego, sed omnes tibi gratias agimus, quicunque Latinæ linguæ floribus ornamur, tuis enim prata de fontibus irrigamus, tuo ducatu directos, tuis suffragiis adiutos, tuo nos nomine illustratos, ingenuè cōfitemur: tuis denique (vt ita dicam) auspiciis, ad hanc, quantulacunque est, scribendi facultatem ac propositum peruenisse. Accessit & alter poëticæ viæ dux. ita enim necessitas poscebat, vt esset, & quem solutis, & quem frenantibus gressibus præeūtem sequeremur,

mur, quem loquentem, quem canẽtem miraremur, quoniam cum bona venia amborum, neuter ad vtrunque satis erat, ille tuis æquoribus, tu illius impar angustiis. Non ego primus hoc dicerem fortasse, quamuis planè sentirem, dixit hoc ante me, magnus quidem vir Annæus Seneca Cordubensis, cui te, vt idem ipse conqueritur, non ætas quidem, sed bellorum ciuilium furor eripuit. Videre te potuit, sed non vidit, magnus tamen operum tuorum, atque illius alterius laudator, hæc affirmat, quicunque quémque suis eloquentiæ funibus circunscribens. Verùm expectatione te torqueo, quisnam dux ille sit quæris, nosti hominem, si modò nominis meministi, P. Virgilius Maro est, Mantuanus ciuis, de quo egregiè vaticinatus es. Cùm enim vt scriptum legimus, iuuenile quoddam eius opusculum miratus, quæsiuisses actorem, eúmque iuuenem iam senior vidisses, delectatus es, & de inexhausto eloquentiæ tuæ fonte, cum propria quidem laude permixtum: veruntamen præclarúmque ac magnificum illi testimonium reddidisti. Dixisti enim,

Magna spes altera Romæ:

Quod dictum ex ore tuo auditum, adeò sibi placuit, insedítque memoriæ, vt illud post annos viginti te pridem rebus humanis exempto, diuino operi suo, eisdem penitus verbis insereret, quod opus si videre licuisset, lætatus esses, de primo flore, tam certum te venturi fructus præsagium concepisse. Néc non & latius gratulatus Musis, quod insolentibus Graiis, vel reliquissem ambiguam, vel certam victoriam abstulissent: vtriusque enim sententiæ auctores sunt: te si ex libris animum tuum noui, quem nosce mihi non aliter, quàm si tecum vixissem videor, vltimæ assertorem futurum, vtque in oratoria dedisti, sic in Poëtica palàm Latio daturum, atque vt Æneidi cederet. Illas iussurum fuisse, non dubito, quod iam ab initio Virgiliani laboris, Propertius asseuerare non timuit. Vbi enim prætij operis fundamenta contemplatus est:

Cedite Romani scriptores, cedite Graij.
Nescio quid maius nascitur Iliade:

Hęc de altero latinę duce facũdię, magnæq; Romę spe al-

tera. Nunc ad te reuertor, quid de vita, quid de ingenio tuo sentiã audisti. Expectas audire de libris tuis, quęnam illos exceperit fortuna, quàm seu vulgò, seu doctioribus probentur? Extant equidem præclara volumina, quæ ne dicam perlegere, sed nec enumerare sufficimus, fama rerum tuarum celeberrima, atque ingens, & sonorum nomen, perrari autem studiosi, seu temporum aduersitas, seu ingeniorum hebetudo & segnities, seu quod magis arbitror, aliò cogens animos cupiditas causa est. Itaq; librorum aliqui, nescio, an irreparabiliter, nobiscum qui nunc viuimus, nisi fallor, proculdubiò periêre, magnꝰ dolor meus, magnus sæculi nostri pudor, magna posteritatis iniuria profectò: námque quod in tuis conqueror, & in multorum virorum illustrium libris accidit: Tuorum sanè, quia de iis mihi nunc sermo erat, quorũ insignior iactura, ita hæc sunt nomina Reip. Rei familiaris, de consolatione, de gloria, quanuis de hoc vltimo, magis mihi spes dubia, quàm desperatio certa sit. Reliquum est, vt vrbis Romæ ac Romanæ Reipub. statum audire velis, quæ patriæ facies, quæ ciuium concordia, ad quos rerũ summa peruenerit, quibus manibus, quantóque consilio frena tractentur imperij? Histér-ne & Ganges, Hyberus, Nilus, & Thanais, limites nostri sunt? An verò quisquã surrexerit:

Imperium Oceano famam qui terminet astris.

Vt amicus ille tuus Mantuanus ait, hęc & his similia cupidissimè auditurum te auguror, id enim pietas tua suggerit, & error erga patriam, vsque in tuam perniciem notissimus, verumenim tacere melius fuerit. Crede enim mihi Cicero, si quo in statu res nostræ sunt audieris, excidẽt tibi lachrymæ, quamlibet vel cœli, vel Hęrebi partem tenes. Aeternũ Vale, apud superos ad sinistram Rhodani ripam, in Transalpina Gallia, eodem anno XIIII. Calend. Ianuarij.

FRAN. PETRARCHA ANNEO SENECAE, S. Epist. III.

Reprehendit vitam & laudat ingenium.

PEtitam à tanto viro, impetratámque veniam velim, si quid asperius dixero, quàm aut professionis tuæ reuerentiam deceat, aut requiem sepulchri. Qui enim me M. Ciceroni, quem Latinæ eloquentiæ lumen, ac fontem, teste te, dixerim non pepercisse legerit, si te reliquis itidem vera loquens, non pepercero, indignationis iustæ materiam non habebit, iuuat vobiscum loqui, Viri illustres, qualium miram patitur ætas nostra penuriam. Inter omnes quidem cui clara nomina, tuum nomẽ annumerandum esse, non sum nescius, idque si aliunde nescirem, magno quodam, & externo teste cognoui. Plutarchus siquidem Græcus homo, & Traiani principis magister, suos claros viros, nostris conferens, cùm Platoni & Aristoteli (quorum primum diuinum, secundum dæmonium Græci vocant) M. Varronem, Homero autem Virgilium, Demostheni M. Tullium obiecisset, ausus est ad postremum, & ducum controuersiam mouere, nec eum, tanti saltem discipuli veneratio continuit, in vno sanè, duorum ingenia prorsus imparia, non erubuit fateri, quod quem tibi ex æquo, in moralibus præceptis obiiceret non haberet. Laus ingens, ex ore præsertim hominis animosi, & qui nostro Iul. Cæsari, suum Alexandrum Macedonem comparasset; sed nescio, quomodo sicut corporum, sic animorum egregias formas, aliqua sæpè grauis iniuria naturæ variantis insequitur, siue quod omnium parens, perfectionem mortalibus inuidet (eóque magis, quò ad illam propius videntur accedere) siue quod inter multa decora, deformitas omnis apparet, & quod in obscura facie, facilis ne tuus esset, in præclara cicatrix fœda est, tanta lux in rebus ambiguis, ex cõtrariorum vicinitate suboritur. Tu verò venerande vir, & morum incomparabilis præceptor, errorem vitæ tuæ, si non molestum est, mecum recognosce. In omniũ seculorum crudelissimum principem incidisti, & tranquillus nauta, pretiosis mercibus onustus, ad infamem, & procellosum scopulum appulisti. Cur autem illic hæsisti

incuso te? An vt in tempestate magisterium approbares? Sed hoc nemo nisi amẽs eligit, neque enim vt fortis perpeti, sic prudentis est, optare periculum, quinetiam si libera prudentiæ relinquatur electio, otiosa semper erit fortitudo: nihil enim accidet, aduersus quod auxilium implorandum sit. Modesta potius suis vtens partibus, & lætitiam frenabit, & votiua moderabitur. Sed quoniã innumerabiles casus eueniunt, & multa fert vita hominũ, quibus consilia nostra vincuntur, idcircò virtus iuncta opponitur fortunæ, non quidem secundum electionem, vt dixi, sed secundum necessitatis ineuitabiles ac ferreas leges: at ego nunquid sanus satis videar, si diutius cum magistro virtutum, de virtute disputem, & probare nitar, id cuius contrarij probatio impossibilis sit? vnicum vel te iudice, vel quolibet, qui inter vitæ huius fluctus mediocriter nauigare didicerit, non fuisse consilium Syrtibus inhærere. Quod si laudem, ex difficultate captabas, hoc ipsum summæ laudis erat, emergere, & in portum aliquem salua puppi confugere, impendentem iugiter ceruicibus tuis gladium videbas, nec timebas, nec tam ancipitis rei exitum prouidebas, præsertim, quando, quod moriendi miserrimum genus est, intelligere poteras, mortem tuam, & fructu quolibet, & gloria carituram. Veneras ô miserabilis senex, in hominis manus, qui quicquid vellet posset, nil nisi pessimum velle, posset. Somnio iam ab initio deterritus, vigilans deinde, multiplicibus argumentis, fidem turbidæ quietis acceperas quid igitur tibi cum his laborib. tam diu? Quid cum inhumano, cruentóque discipulo? Quid cum dissimillimo comitatu? Respondebis. Effugere volui, sed nequiui, & illum Cleantis versiculum prætendens, quo in Latinum verso vti soles.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Illud insuper proclamabis, voluisse te, opibus tuis renuntiare, vel vt sic laqueum, libertatis abrumperes, téq; in tutum, ex tanto naufragio, vel nudus eriperes. Res & veteribus historicis nota est, & mihi ipsi illorũ vestigijs incedenti, haud quaquã silentio prætermissa, verum tibi palam loquens, secretiora cõtinui. Nunc autẽ, quando ad te mihi sermo est, putás-ne silebo, quod indignatio, veri-

tásque

tásque suggesserint? Testem nempe certissimũ habemus, & qui de summis viris agens, nec mœtu flectitur, nec gratia, Suetonium Tranquillum. Is igitur quid ait? Auertisse te Neronem à cognitione veterum Oratorum, quo scilicet in tui illum admiratione diutius detineres. Illi igitur pectori charus esse studuisti, tibi vt fieres vilis, & irrisione dign⁹ habereris, vel simulato certè, vel inaccersito linguę vitio curare debueras? Prima est miseriarum tuarum radix, ab animi leuitate, ne dicam vanitate, profecta, inanem studiorum gloriam, dure senex, nimis molliter, ne rursus dicam pueriliter, cōcupisti. Ipsum q̄ ad immitis verè magisterium accesseras, fuerit vel iudicij, vel fati cuiuspiã quando excusationem errorũ studiosiùs aucupamur, & culpas nostras in fata reflectimus. Hoc totum, profectò iudicij tui fuit, non potes accusare fortunam, quod optaueras inuenisti, sed quò pergo? Ha miser, postquàm in admirationem tui, væsanum iuuenem, eò vsque perduxeras, vt nulla libertatis, aut comeatus occasio superesset. Nunquid æquanimiùs saltē pati poteras iugum, quod spontè subieras, & hoc saltem præstare, ne in cōtumeliosas notas, æternæ sugillationis erumperes? nō equidem ignorabas, Tragœdiam esse genus scripti grauitate vincere, vt ait Naso? Hãc tu, quam mordaciter, quàm venenosè, quàm acriter in illum scripseris notum est. Non quod ego sim nescius, nullam vel ingenij, vel sermonis acrimoniam, nephandis actibus æquari posse, bonis illius, si modò hominis nomine dignus est. Vide tamen, num te deceret id scribere, de imperatore subiectum, de domino familiarem, de discipulo præceptorem, postremò de illo, cui tam multa blandiri, ne dicã blandiendo mentiri, solitus eras. Relege libros, quos ad eum ipsum de Clementia: reuolue quē ad Polybium de cōsolatione dictasti: cętera denique tuarum vigiliarum monumenta percurre, si modò vel libros, vel librorum memoriam Læthei gurgitis vnda non obruit. Pudebit credo laudati discipuli. Qua enim fronte, de tali talia scripsisse potueris, ignoro, certè: ego, illam sine pudore non relego. Sed hic rursus occurres, & adolescentiam principis, atque indolē multum spei melioris præferentem obiiciens, errorem

tuum, repentina morum eius mutatione, tutabere: quasi verò, hęc nobis ignota sint: Verùm ipse considera, quàm sit inexcusabile, paucula personati principatus opuscula, vel simulatæ pietatis voculas, obliquasse animum ac iudicium tibi tali ætate, tanta rerum experientia, ac doctrina. Quid enim oro, tibi placuit ex illius actis, quæ ab historicis (vt eorum verbis vtar) partim nulla reprehensione, partim non mediocri laude, memorantur, prius scilicet, quàm se totum in probra & scelera demergeret? An aurigandi potius, an cytharizādi studium? Quibus tam curiosè deditum accepimus, vt secretiùs primùm coram seruis, ac plebe sordida, deinde etiam in publico, vniuerso populo spectante princeps auriga decurreret, & quasi numen aliquod oblatum, sibi cytharam adoraret, egregius cytharista. Quibus tandem successibus euectus, & velut Italicis non contentus ingeniis, Achaiam petiit, & Græcorum Musicorum adulationibus inflat⁹, solos Græcos studiis suis dignos asseruit. Ridiculum monstrum, ferox bellua, an illud omen certis magni simul & religiosi principis habuisti, quod barbæ primitias, & illas inhumani oris exuuias, in Capitolio consecrauit? Hi certè sunt actus Neronis tui Seneca, ea ætate, qua historici adhuc eum inter homines numerant, tu eum inter deos, nec laudante, nec laudato dignis præconiis conaris inserere, nisi fortè illud maiori gloria dignum putas, quod Christianos genus hominum, reuera sanctum, & innocuum verum, vt sibi videbatur, & Suetonio referenti, superstitionis nouæ ac maleficæ, suppliciis affecit, omnis pietatis persecutor atque hostis crudelissimus. Ego quidem de te ista non suspicor: eóque magis propositum animi miror: nam & superiora illa friuola nimis & vana sunt, vltimum hoc nefarium etiam & immane, nec ibi aliter videri potuisse certus sum. Præsertim Pauli Apostoli sacris monitis, aurem non neganti, & oblatam cœlitus amicitiam complexo, quam vtinam arctiùs tenuisses, ne diuelleremris in finem, vt cum illo saltem præco veritatis, pro veritate ipsa, & pro æterni præmij promissione morereris. Sed progressus sum longiùs, dicendi impetu, & intelligo me, ad hęc exaranda seriùs processisse, quàm vt vlla tem-

pestiuæ frugis spes appareat. Aeternum vale, apud superos in Gallia Cisalpina, inter sinistram rapacis Entiæ, & dextram pontifragi Parmæ ripam. Cal. Sextilibus anno ab ortu, eius quem ante tu noueras incertus sum. M. CCC. L.

FRAN. PETRARCHA TITO LIVIO, S. Epist. IV.

Titum Liuium laudat deploratque iacturam eorum librorum qui adhuc hodie desiderantur in eius operibus.

OPtarem si fato datum esset, vel me in tuam, vel te in nostram ætatem incidisse, vt ætas ipsa, vel ego per te melior & visitatorum ex numero tuorum vnus forem, profectò non Romam modò te videndi gratia, sed Indiam ex Galliis, aut Hispania petiturus. Nunc verò quia datur, te in libris tuis video, non equidem totũ, sed quatenus nondum sæculi nostri desidia peristi. Centum quadraginta duos rerum Romanarum libros edidisse te nouimus: heu, quanto studio, quantis laboribus vix triginta ex omnibus supersunt, in illis exerceor, acri cum indignatione animi, aduersus mores hominum nostrorum, quibus nihil in pretio est, nisi aurum & argentum, atque obscœna corporũ voluptas, quæ sibi in bonis habenda sunt, multò cumulatiùs, multóque perfectiùs, non tantùm mutæ pecudis, sed immobilis est, & insensibilis elementi, quàm rationalis hominis bonum erit, sed de hoc aliàs. Nunc tibi potiùs tempus est, vt gratias agam, tum pro multis tũ pro eo nominatim, quod oblitũ sæpe præsentium malorum, tecum me fœlicioribus inseris, vt inter legendum saltem cum Corneliis, Scipionibus, Africanis, Læliis, Fabiis Maximis, Metellis, Brutis, Deciis, Catonibus, Regulis, Cursoribus, Torquatis, Valeriis, Coruinis, Salinatoribus, Claudiis, Marcellis, Neronibus, Æmiliis, Attiliis, Quintiis, Curiis, Fabriciis, ac Camillis, & non cum his extremis furibus, inter quos aduerso sydere natus sum, mihi videar ætatem agere: tu velim de antiquioribus Polybium, & Q. Claudium, & Valerium Antiatem, reliquósque quorum gloriæ splendor tuus officit. De nouis verò Plinium secun-

dum Veronensem, vicinum tuum, atque æmulum quendam tuum Crispum Sallustium salutes, quibus nuntia nihilo fœliciores eorum vigilias fuisse quàm tuas. Aeternum vale, rerum gestarum memoriæ consultor optime. Apud superos, in ea parte Italiæ, & in ea vrbe, in qua & ego nunc habito, & tu olim natus ac sepultus es, in vestibulo Iustinæ virginis, & ante ipsum sepulchri tui lapidem VIII. Cal Martias. Anno ab ortu eius, quem si paulò vixisses diutius, cernere potuisses, M. CCC. L.

FRAN. PETRARCHA M. VARRONI, S. Epist. V.

Varronis ingenium & doctrinam miris laudibus effert, dolétque, quòd eius integra opera ad nos non peruenerint.

VT te amem ac venerer, tua singularis virtus, & industria, tuum me clarissimum nomen, cogit. Sunt quidem, quos licet extinctos, superstitibus tamen beneficiis ac meritis amamus, qui scilicet cæteris conspectu, & odore grauiter offendentibus, ipsi doctrinis instruunt, exemplisque delectant, quique licet hinc abierint, in communem locum vt ait Plautus in Cassina, tamen absentes prosunt præsentibus. Tu nihil aut modicum prodes, non tua quidem, sed omnia corrumpentis æui culpa ætas nostra libros tuos perdidit, quid ni autem vnius minorum custodię studiosa, quis vnquam inuisæ rei custos bonus fuit? Tu cognitioni rerum supra fidem, & sine exemplo deditus, non ideò tamen actuosæ vitę semitam declinasti, vtroque calle conspicuus, & illis summis viris Magno Pompeio ac Iulio Cæsari merito tuo charus. Itaque sub altero militasti: ad alterum scripsisti libros mirabiles, omnisque disciplinæ refertissimos, inter bellorum & publicorum munerum diuersissimas curas. Magna est laus, non ingenij modò, sed propositi in actu perpetuo corpus simul atque animum habere, & posse, & velle, non ætati tuæ tantùm, sed omnibus seculis prodesse. Ii equidem tanto studio elaborati libri digni non sunt habiti, qui per manus nostras ad posteros peruenirent, ardorem tuum nostra vicit ignauia, nemo tam parcus pater vnquã fuit,

cuius non longæuam parsimoniam, breui tempore luxuriosus filius posset euertere. Quid nunc libros perditos enumerem? Quot librorū tuorum nomina, totidem famæ nostræ sunt vulnera: præstat igitur siluisse: nam & contrectatione recrudescit vulnus, & sopitus dolor, damni memoria excitatur. Sed, ô incredibilis famæ vis, viuit nomen sepultis operibus, & cum de Varrone prope nihil appareat, doctorum tamen omnium consensu, doctissimus Varro est, quod sine vlla dubitatione compatriota tuus M. Cicero, in iis ipsis libris, in quibus nihil affirmandum disputat, affirmare non timuit, vt quodammodo luce tui nominis perstringente oculos, videatur interim dum de te loquitur, suum principale propositū non vidisse. Quod Ciceronis testimonium quidam Latinitatis angustiis circumscribunt, apud quos Romanorum doctissimi nomen habes, alij ad Græcorum metas extendunt, præcipuéque Lactantius vir ex nostris eloquentia, & religione clarissimus, qui nullum Varrone doctiorem, ne apud Græcos quidem, vixisse non dubitat. Sed inter innumerabiles præcones tuos famosissimi duo sunt: primus est ille, cuius suprà mentionem feci, coætaneus & conciuis & condiscipulus tuus Cicero, qui multa tibi, & cui tu multa seruata, ex Catonis præcepto, ratione otij scripsisti, cuiúsq; vt viuaciora sint opera, styli forsan dulcedo præstitit. Secundus vir quidam sanctissimus & diuino ingenio Augustinus, origine Afer, eloquio Romanus, cum quo vtinam de libris diuinis tractatibus deliberare potuisses. Summus nempe Theologus futurus, qui eam, quam poteras theologiam, tam scrupulosè, tam anxiè diuisisti. Vt vero rerum tuarum nihil ignores, quamuis de te ita scriptum sit, legisse te tam multa, vt aliquid tibi scribere vacasse miremur, tam multa scripsisse, quàm multa vix quenquam legere potuisse credamus. Nullæ tamē extant, vel admodum laceræ tuorū operū reliquiæ, è quibus aliqua pridē vidi, & recordatione torqueor sūmis vt aiūt labiis gustatę dulcedinis: & ea ipsa præcipue diuinarū & humanarū rerū libros qui nomini tuo cognati peperere adhuc alicubi forsitā latitare suspicor, eáq; multos iā per annos me fatigat, aura, quoniā

longa quidem ac ſollicita ſpe, nihil eſt importunius in vita. Hæc hactenus. Tu vero ſolare animum, & laboris egregij fructum, ex conſcientia percipiens, mortalia periiſſe non doleas. Sciebas peritura dum ſcriberes, mortali enim ingenio, nihil efficitur immortale. Quid autem refert, an ſtatim, an poſt centum annorum millia pereat? Quod aliquando perire neceſſe eſt, eſt quidem illuſtris ſimilis ſtudio flagrantium cohors, haud quaquam fortunatior laborum, quibus exemplis, quamuis nemo tibi par fuerit, tamen vtcunque ſorte tuam æquanimius ferre debes, ex qua nunc aliquos numerare delectat, quoniam clarorum nominum, vel ſola commemoratio dulcis eſt. Sunt igitur hi M. Cato Cenſorius, P. Nigidius, Antonius Gnipho, Iulius Hyginus, Ateius Capito, C. Baſſus Veratius Pontificalis, Octauianus Herennius, Cor. Balbus, Maſurius Sabinus, Seruius Sulpitius, Cloacius Verus, C. Flaccus, Pompeius Feſtus, Caſſius Hemina, Fabius Pictor, Statius Tullianus, multique alij, quos enumerare longum eſt, olim clari viri nunc cinis ambiguus, & præter primos duos vix cognita nomina, quos omnes meis verbis tuo ore ſalutatos velim, Iul. & Auguſtū Cæſares, & aliquot alios ex illo ordine quenquam ſtudioſiſſimos, atque doctiſſimos teque nonnullis horum familiariſſimum ſciam, æquius tamen fuerit, noſtris imperatoribus ſalutandos linquere, ſi tamen hos non illorum pudet, quorum ſtudio ac virtute fundatum imperium euerterunt. Æternum vale, vir clariſſime, apud ſuperos, in capite orbis Roma, quæ tua fuit, mea patria facta eſt. Cal. Octobris, anno ab ortu eius, quē vtinam nouiſſet, M. CCC. L.

FRAN. PETRARCHA QVINTILIANO, S. Epiſt. V.

Laudat Quintiliani libros qui in eius manus temporis iniuria dilacerati venerant.

OLim tuū nomen audierā & de tuo aliquid legeram, & mirabar vnde tibi nomen acuminis. Sero ingeniū tuum noui, Oratoriarū inſtitutionū liber heu diſcerptus & lacer venit ad manus meas. Agnoui ætatem vaſtatricē omnium, & dixi mecū, Satis, vt ſolita es, nihil bona fide cuſtodis, niſi quod perdere lucrū erat. Ætas ſegnis &

X inſo-

insolens tales mihi remittis insignes viros, cum ignauissimos colas. O sterilis & fœdi pars temporum tot rebus ediscendis ac scribendis dedita quæ melius nescirentur, opus hoc integrum neglexisti? Cæterum hic mihi de te veram libet opinionem attulit. Diu tuis in rebus erraueram: errori finem aduenisse gratulor. Vidi formosi corporis artus effusos: admiratio animum dolórque concussit. Et fortasse nunc apud aliquem totus es, & apud talem forsitan qui suum hospitem habet incognitum. Quisquis in te reperiẽdo fortunatior fuit, sciat se rem magni pretij possidere, quámque si nouerit primas inter diuitias locet. Tu quidem in his libris, qui quot sint nescio, sed haud dubiè multi sunt, rem à Cicerone iam sene summo studio tractatam refricare ausus quod factu impossibile iudicabam post tanti viri vestigia nouam non imitationis sed doctrinæ propriæ præclarique operis gloriam inuenisti, adeo diligẽter ab illo instructus orator à te comptus ornatúsque est, vt multa ab illo vel neglecta vel non animaduersa videantur. Atque ita singulatim omnia colligis duci tuo elapsa, vt quãtum vinci eloquio, tantum diligentia vincere, recto ni fallor iudicio dici possis. Ille enim suum oratorem per ardua causarum ac summos eloquentiæ vertices agit, & iudicialibus bellis ad victoriam format. Tu longiùs repetens oratorem tuum per omnes longæ viæ flexus ac latebras ab ipsis incunabulis ad supremam eloquij arcem ducis. Placet, delectat & mirari cogit: eò nanque aspirantibus nihil vtilius. Ciceroniana claritas prouectos illuminat, & celsum validis iter signat. Tua sedulitas ipsos quoque fouet inualidos, & optima nutrix ingeniorum lacte humili teneram pascit infantiam: sed ne tibi veritas blanda suspecta sit imitandus est stylus. In te igitur re apparuit verum esse, quod Cicero idem ait in rhetoricis, oratori minimum de arte loqui, multò maximum ex arte dicere. Non tamen vt ille Hermagoræ de quo agebat, sic ego tibi horum alterum eripio, vtrumque concesserim: sed hoc mediocriter, illud eximiè, atque adeo excellenter, vt vix quicquam adiici iam humano posse videatur ingenio. Equidem quantum hoc tuo magnifico opere

collato cum eo libro quem de causis edidisti (qui ideirco non periit, vt constaret ætatem nostram optimarum rerum præcipuè negligentem) mediocrium non ita satis intelligentibus patet multò te melius cotis officio functum esse, quàm gladij & oratorem formare potius quam præstare. Id ne ad iniuriam trahas velim: sed intelligas in te ipso in quibus alijs nunquam sit ingenium vnum par ad omnia, vt non aliqua in parte se vincat. Magnus fateor vir fuisti: sed instituendis formandisque magnis viris, maximus: & qui si materiam idoneam nactus esses te maiorem ex te facilè gigneres, doctus nobilium cultor ingeniorum. Nihil modò quod scriberem aliud fuit. Opto te incolumem videre, & sicubi totus es, oro ne diutius me lateas. Vale apud superos inter dextrum Apennini latus & dexteram Arui ripam intra ipsos patriæ meæ muros, vbi primum mihi cœptus es nosci, eòque ipso tempore VII. Idus Decembris. Anno eius quē Dominus tuus persequi maluit quam nosse 1350.

FRAN. PETRARCHA ASINIO POLLIONI ORATORI, S. Epist. VII.

Ornatulatur ei felicem obitum atque tempestiuum, deinde eundem increpat eò quod Ciceroni famæ detraxerit.

DVm venisset in animum, vt familiaribus epistolis aliquot procul absentes eloquij duces, & rara quædam linguæ Italæ ornamenta complecterer, silentio tuum nomen obruere nolui, quod magnorum testimonio supremis quoque nominibus par videbam: sed quoniam pene nuda rerum ad nos tuarum fama peruenerat, magisque aliorum scriptis adiuta quàm tuis, quod ipsum meritò inter æui nostri pudores ac damna quis numeret? Breue fuerit, quod tecum loqui habui. Tibi quidem Consulari pariter ac Triumphali viro, cum pro summi ingenij florideque facundiæ laudibus proque alijs multis corporis atque animi fortunæque dotibus, tum pro eo expressim gratulor, quòd sub optimo & studiorum ac virtutum amantissimo principe seruisti, estimatorem rerum nactus idoneum. O felix

qui ad-

qui adhuc superstes Augusto post tam viuendi mensuram assecutus octogesimo ætatis anno in Tusculano rure præclaram vitam tranquillo claudens exitu euasisti cruentas Tiberij manus in quas Asinius Gallus orator inclitus, infausta progenies tua, quem diris ab illo supplicijs enecatum legimus. Bene quod in tantas miserias vergenti iam fato peropportuna mors affuit, quæ oculos tuos ab tam tristi spectaculo liberaret. Paucis expectatum diu in annis erat, vt mœstissimus nati comes aut spectator fieres. Cuius euentu (si vt quibusdam sapientibus visum est, defunctos tangit fortuna superstitum) non parum felicitati tuæ portio subtraheretur. Vnum tacita dissimulatione transire fidelis amicitiæ lex vetat qua clarorum omnium æui hominum cineri ac famæ non aliter ac præsentium obstringor. Illud ergo tuum mihi displicuit, quod Marco Tullio, cuius nomen tuo in primis præconio celebrari par fuerit & attolli, censor acerrimus ne dicam reprehensor asperrimus esse volueris. Quod si tibi iudicij libertas præstitit, vt iudicium non probo, sic ipsam tibi non inuideo libertatem; sed ea certe parciùs vtendum fuisse denuntio, serò licet: etsi eadem aduersus ipsum mundi Dominum sæpe vsus ab aliis veniam facilè merearis. Et sanè in tanta fortunæ indulgentia frenare animum ac linguam subdifficile est: sed ex te vt exacta omnia requiram, ætatis & doctrinæ tuæ grauitas facit, vtque te liberiùs hac in re quam vel filium ipsum tuum qui patrem secutus idem sensit, vel Caluum, cæterósque participes eiusdem iudicij reprehendam. Neque verò tam mei ipsius oblitus sim, vt tibi in coætaneo tuo negem visum & cognitum, quod ego mihi post tot secula in homine tam antiquo, tantíque nominis vsurparim. Nullus hominum est cui nō aliquid desit. Quis te talem virum vetet in vicini tui moribus notādū aliquid aduertere, cum ego de longinquo in scriptis eius inuenerim q notarē? At quòd illius eloquentiæ famā tentas, facundiæq; principatū vis eripere cœlitus illi datū, & toti⁹ pene nostri orbis cōsensu sine litigio permissū: vide ne aperta nimis iniuria sit. Vide, tecumque Caluus videat, ne cum illo viro non

æqua bella sumpseritis de eloquentiæ principatu, quod nobis expectantibus vestra certamina facillimum est videre. Itaque pridem coronæ iudicio victi estis. Vos tamen frustra nitimini & obstatis nec verum cernere interim luminis rumor sinit: magni, fateor viri, si maiorem pati possetis. At humana superbia dum supra id quod est opinionibus falsis attollitur, infra id quod esse poterat vero iudicio deiecta redigitur. Plerique mortalium alienæ gloriæ appetitu propriam amisere. Quod si vos huc fortè livor impulit, quamvis utrobique & tumoris & livoris multi sint comites, eo tamen id ægrius in te fero, quod in Calvo aliquam, certè nec exiguam non livoris sed odii, in te nullam odii causam scio, & aliquanto mihi quidem indignius videtur, visam altum ingenium humi serpere solitam invidiam ascendisse. Æternum Vale & ex Graiis Isocratem, Demosthenem & Æschinem, ex nostris oratoribus Crassum & Antonium salvere iube. Corvinum quoque, Messalam & Hortensium si modo illi memoria, quam biennio antequam hinc migraret amiserat, carnis fasce deposito, restituta: hinc alteri non erepta est. Mediolani in suburbio Calendis Sextilibus anno ætatis ultimæ, millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio.

AD HORATIUM FLACCUM LYRICUM POETAM.

Laudat Horatium.

Regem te Lyrici carminis Italus
Orbis quem memorat plectraque lesbia
Nervis cui tribuit Musa sonantibus,
Tyrrhenum Adriaco Tuscus & Apulo
Quem sumpsit proprium Tibris ab Aufido
Nec fuscam atque humilem sprevit originem
Te nunc dulce sequi saltibus abditis,
Umbras & latebras cernere vallium,
Colles purpureos, prataque virentia,
Algentesque lacus, antraque roscida:
Seu Faunum gregibus concilias vagis,
Seu pergis Bromium visere fervidum,
Fulvam pampineo sive deam deo

Al-

Affinem tacitis concelebras sacris:
Amborum Venerem seu canis indigam,
Seu Nymphas querulas. & Satyros leues:
Et nudas roseo corpore gratias,
Seu famam & titulos Herculis, improbe
Incestique aliam progeniem Iouis
Martem sub galea: Palladis Ægida
Rata Gorgoneis crinibus horridam:
Ledeos iuuenes mitia sydera
Tutelam ratium fluctibus obrutos:
Argutum cithara Mercurium patrem
Verbis auricomum pectus Apollinem
Et Xanto incidam caesariem lauans.
Germanam pharetra conspicuam, & feris
Infestam. aut choreas Pieridum sacras,
Sculpas seu rigido marmore durius.
Heroas veteres siue faues nouis
Æternam meritis & memorem notam
Affigis calamo nequa premat dies.
Sic vatum studiis sola fauentibus
Virtus perpetuas linquit imagines
Quarum praesidio semi deos duces
Drusium & Scipiadas viuere cernimus,
Nec non & reliquos inclyta gentibus
Per quos edomitis Roma iugum dedit.
In quis preradians lumine viuido
Vt sol emicuit Caesareum genus
Nec dum tu modulans me cupidum preis,
Duc aut veliuelo si libet aequore
Duc aut aerio vertice montium
Duc & per liquidi Tiberis alueos
Qua ripis auius rura secans ruit.
Olim grata tibi dum superos colis
Vnde haecce meditans nunc tibi texnit:
Nostrum Flacce decus, duc per inhospitas
Syluarum latebras, & gelidum Alpium
Baianique sinus stagna tepentia
Sabinumque lacus, ruráque florea
Socratisque iugum dum niuibus riget.

Duc me Brundusium tramite deuio
Lassabor minime & vatibus obuiis
Congressus placidos aspiciam libens.
Non me proposito temporis aut loci
Deflectet facies, qualibet iniquo
Vel dum fœta vterum magna parens tumet
Vel dum ros nimiis solibus aruit,
Vel dum pomifero fasce tremunt trabes,
Vel dum terra gelu segnis inhorruit:
Visurus veniam littora Cicladum,
Visurus Thracij murmura Bosphori,
Visurus Lybies auia torrida
Nimbosique procul frigora Caucasi.
Quo te cunque moues, quicquid agis minat,
Seu fidos comites sedulus excitas
Virtutem meritis laudibus efferens,
Seu dignum vitium morsibus impetis
Ridens stultitiam dente vafer leui
Seu tu blandiloquens carmen amoribus
Dum comples teneris. Siue acie stili
Obiectas vetulæ luxuriem graui,
Siue vrbem & populum dum scelerum reos
Culpas & gladios & rabiem trucem.
Mecenásque tibi dum canitur tuus
Per partes operum primus & vltimus
Dum calcas veteres & studium recens
Natum magnanimi Cæsaris auribus
Infers: dúmque flore, carminis hispidi
Limen seu tumidi, carmine conficis.
Fuscum ruris opes, & mala turbida
Vrbis, Cúrue homini seruit equus ferox:
Crispum diuitiis quis color edoces,
Longis Virgilium luctibus abstrahis
Atque ad lætitiam ver vbi panditur
Hortaris placidè, & stultitiam breuem.
Hirpinum profugi temporis admones,
Torquatum & parili carmine Posthumum
Dum noctes celeres & volucres dies
Obrepens tacito dum senium gradu

Aut

Aut vitæ breuitas ad calamum tedis,
Aut mors præcipiti quæ celerat pede?
Quis non præterea dulciter audiat
Dum tu syderea sede superstitem
Augustum statuis? Dum tunicam fuit
Marti nec satis est texere ferream
Acceditque adamas. Dum cuneos ducum
Vinclis implicitos curribus aureis
P[illegible] victor [illegible]
Qu[illegible] mulier dum canet insolens
Haud quaquam rigidas horruit aspidas.
Ius fractum hospitij dum memoras dolis
Pastoris Phrygij: nil Nerei minis
Pacatum Paridi vaticinantibus
Dum Danae pluuiâ fallitur aureâ:
Dum virgo egregiis regna flectibus
Tergo cornigeri fertur adultero.
Lætus, sollicitus, denique mœstior,
Iratúsque places: dum dubium premis
Riualem variis suspicionibus:
Aut dum vipereas iure veneficas.
Dum cantas Lalagen, nudus & asperum
Et solus tacita fronte fugas lupum:
Infaustámque humeris effugis arborem,
Fluctúsque Æolio turbine concitos.
Pronum te viridi cespite fontium
Captantem strepitus & volucrum modos
Carpentem riguo gramine flosculos
Nectentem facili vimine palmites
Tendentem tenui pollice barbiton:
Miscentem numeros pectine candido:
Mulcentem vario carmine sydera
Vt vidi Inuidiam mens vaga nobilem
Concepit subito nec peperit prius
Quàm te per pelagi stagna reciproci
Perque omnis scopulos, notáque fluctuum
Terrarúmque sequerer. Limite ab Indico
Vidi solis equos surgere nitidos
Et serum Oceano mergier vltimo

Tecum trans Boream transque Notum vagor
Iam seu fortuitas ducis ad Insulas
Seu me fluctisonum retrahis Antium
Seu me Romuleis artibus inuehis
Totis ingenij greßibus insequor
Sic me grata lyrae fila trahunt tuae
Sic mulcet calami dulcis amabilitas.

AD PVBLIVM VIRGILIVM MARONEM HEROICVM POETAM, LATINORVM PRINCIPEM POETARVM.

ELoquij splendor Latiae spes altera linguae
Clare Maro tantam quem fertilis Andes prolem
Romanum genuisse decus per secula gaudet.
Quis te terrarum tractus quotus ambit Auerni
Circulus an raucam cytharam tibi pulsat Apollo
Percutis & nigra contexunt verba sorores
An pius Elysiam permulces carmine syluam
Tartareúmque Helicona colis pulcherrime vatum
Et simul vnanimis tecum spatiatur Homerus
Soli vagique canunt Phoebum per prata poetae
Orpheus, ac reliqui nisi quos violenta relegat
Mors propria conscita manu saeuique ministri
Obsequio qualis Lucanum in fata coëgit
Impulit arterias medico dedit ille cruorem
Supplicij grauiore metu mortisque pudendae.
Sic sua Lucretium mors abstulit ac fera verba
Longè aliis, vt fama, locis habitare coëgit
Qui tibi nunc igitur comitas, quae vita libenter
Audierim quantum tua somnia distent
Et vagus Aeneas portáque emissus eburna
An potius caeli regio tranquilla beatum
Excipit ingeniisque arrident astra serenis
Post Stygios raptus spoliatáque tartara summi
Regis ad aduentum magno certamine victor
Impia qui preßit stigmatis limina planta
Stigmatisque potens aeterna repagula palmis
Fregit & horrisono conuulsit cardine valuas

Hic

Haec ego nosse velim. Tu mundo si qua silenti
Umbra recens nostra venit tibi forsan ab ora
Quis tria chara tibi loca nunc totidemque libellos
Et iam exceptum nostris simul accipe verbis.
Parthenope insultat rapto gemit orba Roberto
Multorúmque dies dominorum fastidit unius
Prosperitatis nunc dubiis pendet plebs anxia fatis;
Innocuámque premunt paucorum crimina turbam
Optima finitimo quatiunt fore fine tumultu.
Mantua magnanimis ducibus sed fulta recusat
Invicta cervice iugum civilibus usa:
Illa quidem dominis, externi nescia regni
Haec tibi composui quae perlegis otia nactus
Ruris amica tui. Quamnam vagus avia calle
Saxa sequi quibus in pratis errare soleres
Assidue mecum volvens quam fluminis oram,
Quae cavi secreta lacus, quas arboris umbras
Quas nemorum latebras collisque sedilia parvi
Ambieris cuius fessus seu cespitis herbam
Presseris accubitu seu ripam fontis amoeni.
Atque ea praesentem mihi te spectacula reddunt
Quae patriae fortuna tuae pax quaesita sepulchri
Audisti. Quid Roma parens hoc quaerere noli:
Hoc melius nescire puta, melioribus aurem
Ergo adhibe, et rerum successus disce tuarum,
Tityrus ut tenuem senior iam perflat avenam
Quadrifido cultu tuus ut resplendet agellus:
Ut tuus Aeneas vivit totumque per orbem
Et placet et canitur tanto quam ad sidera nisu
Tollere conanti mors obstitit invida magni
Principis. Miserum Aeneam iam summa premebant
Fata magis, idemque ore tuo damnatus abibat
Adfuit ipsque iterum pietas Augusta secundis
Eripuit flammis, quem non morientis amici
Dicere movere animum meritoque supremas
Contempsisse preces eum laudabitur omni
Aeternum dilecte vale nostrisque rogatus
Mopsumque Astreamque senes salvere iubeto

FRAN. PETRARCHA SOCRATI Svo, S. Epist. X.

Conclusio huius libri.

A Te principium, in te finis. Habes ergo mi Socrates quod optasti. Librum è meis nugis multa rerum ac verborum imparitate contextum, haud immeritò delicatas aures offensurum opus: quamuis vt est animus mortalium vagus & varius, & velle suum cuique est, quibusdam fortasse quibus qualitas rerum non placebit ipsa, hæc sit placitura varietas. Ignoscant verò alij si meminerint huc me non mea sponte, sed amicis tractum precibus descendisse parendíque cupidine nec aliena iudicia, nec occupationes meas atque irreparabilem huius exigui & incerti temporis pertimuisse iacturam. Nam tu si quid offenderit non mihi, sed tibi veniam dabis, & dices: Hoc volui, negare ille nil potuit tanto mei amantior, quanto negligentior sui, sed quidem nulli pluris est amicus, quàm cui famæ propriæ constat impendio. Multis & præsertim bonis vita atque operibus charior fama est, quam qui pro amico spreuerit, haud dubiè viliora contemnet, si res exigat. Et hoc quidem opus adolescens cœpi, senex perago: imo verò cœptum prosequor. Nunc est enim hoc ex omnibus cui supremam sola mors imponet manum. Quomodo ego alium amici colloquij quàm vitæ finem sperem? aut quænam dies me spirantem inter eos tacitum efficiet, cum quibus ore gelido sepultúsque loqui cogito? hinc sanè non rerum sed temporū rationem habui. Præter has enim vltimas veterib⁹ inscriptas illustribus viris quas propter similitudinem nouitatis sciens, vnum simul in locum contuli ac (præter primam quæ dictata serius præuenit comites, & locum præfationis obtinuit) cætera pene omnia quæ inciderant scripta sunt ordine. Ita enim & progressus mei seriem (si ea forte cura fuerit) vitéque cursum lector intelliget. In quibus fateor ne semel dicta repeterem quod incipiens promiseram ad plenum præstare nō potui, volui quidem, sed multitudo rerum obstitit, varietásque ipsa, & occupati interim intentíque aliis animi violenta distractio. Nunc quoniam & hinc calamū mu-

tare.

ta circunsonant, atque, in diuersum vocant, & quantum vitæ restet incertum habeo, & hic liber satis creuit, nec, nisi iusti voluminis meta transcenditur, plurium capax est; quæ huius quidem generis scripta iam superent his auulsa extra ordinem alio quodam digessi volumine. Quæ scribenda autem, siquid tale nunc etiam sum scripturus, ab ætate id nomen habitura rursus alio venient claudenda volumine, quando & vos eo estis animo sodales vt meũ aliquid vobis subtrahi nolitis. Et ego ita sum vt vota vestra semper anteponenda meis arbitrer: Illud vobis in medio precum feruore prouidendum erat ne dum sine delectu mea omnia probatis dum nil penitus mihi vultis effluere, dum quæ priuatis rebus meis vix respondent laudandi studio effertis in publicum inuitus in illorum manus cogerer, qui aliena omnia stomachantes sibi plaudunt, sua sola suspiciunt ac mirantur fœlices extimatione domestica: horum me iudiciis imparatum & inermen obiicitis amici Non possum de affectib⁹ vestris queri, nempe quibus chariùs nil habeo. Sed est vt cęterarum rerum sic amandi modus ne scilicet dũ prodesse vis noceas nimis, mihi facile, nimis in me proni estis, nimis tribuitis, nimis vrgetis, nimis amando me premitis. Te in finem, lector candidissime quisquis es, obtestor atque obsecro per communis studij amorem, per si qua tibi famę propriæ cura est, ne aut varietate rerum aut verborum humilitate mouearis, memor quid de hoc ipso prima operis huius in parte præfatus sim. Vale.

26. maii. 1794. N°. 510 Compl

0-19 :

